


יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVII.
Ps CXIX
169
JOH XVII
17.

Dr. *Michaelis Permanederi,*
Juris ecclesiast., Historiae sacrae nec non p. t. Patrologiae Professoris
in Lyceo regio Frisingensi,

Bibliotheca Patristica.

Tomus primus

Patrologia generalis.

Landishuti, 1841.
J. G. Wölfle.
Sumptibus Bibliopol. literar. Universit.
Krülliani.
Vindobon.
ap. Carol. Gerold.
Colon. Agripp.
ap. Du Mont. Schauberg.

Encyclopaedia Patristica

sive

Patrologia Generalis,

in

usum praelectionum accommodata

a

Dr. *Mich. Permaneder,*

Juris ecclesiast. et Historiae sacrae nec non Patrologiae Professore in
Lyceo regio Frisingensi.

Landishuti, 1841.

J. G. Wölfle.

Sumptibus Bibliopol. literar. Universit.
Krülliani.

Vidobon. ap. Carol. Gerold.

Colon Agripp. ap. Du Mont. Schauberg.

Viro

illustrissimo atque excellentissimo

DOMINO

LOTHARIO ANSELMO

e Liberorum Baronum de Gebsattel nobilissimo genere nato,

celsissimi Regiae Domus Bavaricae ordinis a *S. Huberto* Equiti,

civiliumque de patria Emeritorum magna cruce insignito Decurioni,

nec non a *Consiliis imperii* Senatori,

atque

ordini S. Josephi in Magno Ducatu Florentino Praefecto,

Reverendissimo

Monacho-Frisingensis Provinciae

ARCHIEPISCOPO,

summo

regii Lycei Frisingensis Fautori atque Promotori

omni pietatis cultu prosequendo

D. D. D.

Auctor.

Reverendissime illustrissime
Archipraesul!

Domine ac Pater Gratiosissime!

Septimus prope abhinc annus effluxit, ex quo Lyceum nostrum huic avitae sedi restitutum novoque superaddito theologorum ordine ampliatum suppletumque sub auspiciis *Gloriosissimae Regiae Majestatis* aperuisti. Huic nostro ludo literario *Tu* non solum grandem pro augenda dotatione pecuniam ex propriis contulisti, sed etiam unacum Reverendissimo Capitulo Cathedrali aliisque passim in hujate Dioecesi Viris benignissimis in hoc genere prospexisti, ut factis quotannis collationibus pauperes, quotquot bene de se sperari jubent, Candidati quandamtenus sustentari atque sublevari possint. Taceam reliqua, multa licet et valde magna, modestiae *Tuae* potissimum freno cohibitus. Quis ergo non palpet, omni jure *Tibi* deberi laudem et gloriam et immortales gratias, quas quisque nostrum alius aliter enuntiabit, om-

nes autem eadem erga *Te* pietate in pectore usque fovent! Vive, *Reverendissime*, vive diu Ecclesiae, Patriae, Nobis!

Ego vero, ut aliquod pro virili parte devoti simul gratique animi mei documentum ederem, quod munificentia *Tua* singularis et in perpetuum praedicanda a me postulavit, huncce libellum credidi rectius et auspicatius haud posse in publicum prodire, quam sub augustissimo *tanti Patroni ac Benefactoris* nomine. Quod consilium, cum ex intima erga *Te* devotione profluxerit, a *Te* non improbatum iri eo magis confido, cum jam aliud „De fabrica ecclesiastica“ opusculum a me exaratum et privatis literis ad *Te* transmissum indulgentissimo affectu abs *Te* acceptum fuisse, cum gloria de me possim praedicare.

Suscipe igitur, *Reverendissime Archiepiscope, Illustrissime Domine!* hoc, quod *Tibi* offerre ausus sum, munusculum, atque laboribus meis pro usitata *Tua* clementia fave, meumque de sacra Patrologia bene merendi studium aequi bonique consulere dignare! Suscipe, et ratum gratumque habe istud tantillum *tanto nomine* licet minus dignum monumentum, quod *Tibi* erigit, et gratae posteritati transscribit *Reverendissimae ac perillustris Excellentiae Tuae*

Frisingae, pridie Id. Jun. MDCCCXLI.

Filius obedientissimus gratissimusque

Dr. Mich. Permaneder.

Conspectus.

Prolegomena.

Patrologia.

Prolegomena.

---

1. Divino-apostolicae Traditionis existentia.

§. 1. *Deus, qui omnes homines vult salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire,* 1) per *Christum* filium suum unigenitum nota fecit nobis, *quaecunque sunt* ad vitam aeternam *necessaria.* Cujus revelationis ex ore Jesu Christi ab Apostolis acceptae *pars* postea per ipsos *literis* mandata est. *Neque vero omnia* ad salutem necessaria in ss. Scripturis continentur, *neque* cuncta in iisdem recepta *satis clare* ac *dilucide* consignata sunt.

a. Traditio constitutiva.

aa) probatur ex Sacra Scriptura.

§. 2. Etenim *non omnia,* quibus cuivis ad salutem scitu opus est, *in ss. bibliis contineri,* ex ipsa *Scriptura* et unanimi antiquorum Scriptorum testimonio erudimur. Scriptum enim est: „*Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in hoc libro.*“ 1) Quod autem de factis et

---

1) Timoth. II. 4.

1) *Joann.* XX., 30. Imo „*si scribantur per singula, quae fecit*

signis loquitur Apostolus, quidni magis idem etiam de *dictis* Domini intelligendum est? Similiter divus *Paulus:* „*State*, ait, *et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.*" [2]) Hic verbum *ore traditum scripto verbo* per oppositionem disparitatis juxta positum esse quis non sentit? *Idem* alibi: „*Tu ergo*, inquit, *fili mi, conforture in gratia, quae est in Christo Jesu; et, quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus, qui idonei erunt et alios docere.*" [3]) At dixerit quispiam, eam ipsam, quam hic divus Paulus commemorat doctrinam *viva voce* a se traditam, nonne postmodo *literis* mandavit? Imo *non potuit* mandare; quia nempe haec secunda ad Timotheum epistola omnium postrema jam cum praesagio mortis suae scripta fuit. Neque obstat *Matth. XV.*, 3.; verba enim Domini illic allata: „*Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram*" — revera de traditione nonnisi *spuria*, qua legem divinam Pharisaei illudebant, intelligenda sunt. Frustra itidem urgetur locus apud *Joann. XX.*, 31.: „*Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis aeternam.*" De *miraculis* enim Christi hic disserit Apostolus, eorum scilicet tot esse literis consignata, quot sufficiant ad contestandam divinam ejus *missionem* ac proinde ad vitam consequendam nimirum per *fidem in illum*, si mandata Dei, utromodocunque sint sive literis sive ore ab Apostolis communicata, servaverimus. Porro alius locus ab adversariis usurpatur, *Gal. I.*, 8., cujus haec sunt verba: „*Sed licet nos aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod nos vobis evangelizavimus, anathema sit.*" Damnatur autem hisce dictis, quicunque *divinum* verbum *tam traditum quam scriptum* additis *humanis* sanctionibus ausus fuerit corrum-

Jesus, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros." Id. XXI., 25.

2) II. Thessal. II., 14.

3) II. Timoth. II., 1. 2.

pere. Nec minus inepte provocatur ad *Apocal. XXII.*, 18.: „*Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto;*“ qua quidem prohibitione evidenter *haeretici* feriuntur, ut qui *sacris* literis *sua* addere vel supponere figmenta diabolica non erubescant. Hujusmodi fere jam habentur *Deutron. IV.*, 2.: „*Non addetis verbum ad verbum, quod ego praecipio vobis, nec auferetis ex eo*“; et *Proverb. XXX.*, 5. 6.: „*Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se; ne addas quidquam verbis illius*“. . . Ergo si *omnino quid* addere fuisset prohibitum, alium amplius librum divinum adjungere non licuisset; quod ipsi adversarii negant. Imo vero dictum est, ne quis *divinis* illis eloquiis apponere *humana* sibi praesumat.

bb) ex Antiquorum assertis.

§. 3. Idem autem assertum illud Catholicorum, non omnia ad salutem necessaria in ss. libris contineri, etiam probatur ex *testimoniis antiquorum*. Ita S. *Ignatius singularum civitatum, quas ingrederetur, ecclesias . . hortabatur, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit.* 1) S. *Irenaeus* monet „*ut traditionem Apostolorum respiciant omnes, qui recta velint videre. Quid autem*, quaerit, *si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oportet ad antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere, quod certum et re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias?*“ 2) *Clemens Alexandri-*

1) ap. *Euseb.* Hist. Eccl. III. 36. n. 2., ed. Zimmermann. (Frankcof. ad Moen. 1822. II. 8.) T. I. p. 202.

2) adv. Haeres. III., 3. 4, ed. Massuet, P. I. p. 175. 187.

nus de doctrina christiana itidem: „*Est*, ait, *duplex agricultura* (spiritualis), *una quidem quae non fit scriptis*, *altera vero quae fit scriptis*". [3]) *Tertullianus* in contentionibus cum haereticis *non esse provocandum* dicit *ad S. Scripturam*, *sed quaerendum potius*, *quaenam ecclesiae ab Apostolis sint fundatae*, *et ab eis desumendam esse veritatem scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum*." [4]) *Origenes* de parvulorum baptismate, quod expressis quidem verbis in Scriptura nusquam legitur „*hanc*, ait, *traditionem ab Apostolis Ecclesia accepit*." [5]) S. *Stephanus* Pontifex Romanus martyr in celebri de rebaptismo haereticorum controversia sententiam suam traditione constanter tuebatur. Nota sunt illius verba: „*Nihil innovetur*, *nisi quod traditum est*, *ut manus imponantur ad poenitentiam*." [6]) S. *Basilius* duplicem esse fontem dicit „*dogmatum et institutionum*, *quae in Ecclesia servata sunt*; *alia quidem habemus ex doctrina*, *quae literis consignata est*; *alia vero ex Apostolorum traditione ad nos transmissa in mysterio accepimus*; *quae utraque eandem vim ad pietatem habent*." [7]) S. *Joannes Chrysostomus*: „*Perspicuum est*, ait, *quod non omnia tradiderunt* (Apostoli) *per epistolam*, *sed multa etiam sine scriptis*, *et*

---

3) Stromat. lib. I. in *Ejusd.* Opp. omn. ed. *Potteri* (Oxon. 1715.) T. I. p. 319.

4) De praescript. haeret. c. 19. in Ej. Opp. omn. ed. Rigaltii, p. 208.

5) Comment. in Epist. ad Rom. c. 6.

6) S. *Cypriani* Epist. ad Pompej. in *Schoenemanni* Epp. Romm. Pontiff. (Goetting. 1796) T. 1. p. 162. — Ad haec ipse quidem *Cyprianus*: „*A quo est, ait, ista traditio?*.. *Ea enim facienda esse quae scripta sunt, Deus testatur*. . . *Si ergo aut in Evangelio praecipitur, aut in Apostolorum Epistolis aut Actibus continetur, ut a quacunque haeresi venientes non baptizentur sed tantum manus illis imponatur ad poenitentiam; observatur divina haec et sancta traditio.*" Sed quum sanctum Patrem *in hoc dogmate* omnino errasse nunc omnes norint, consequenter et *argumentum*, quo erroneam opinionem suam tueri nitebatur, rejiciendum est.

7) De Spiritu sancto, c. 27., ed. Maurin. (Paris 1721—30. III. f.) T. III. p. 54.

ea quoque sunt fide digna." [8]) S. *Epiphanius* item traditione quoque opus esse contendit, neque ex Scripturis peti posse omnia. „*Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt.*" [9]) S. *Hieronymus* de sacramento confirmationis per impositionem manuum *Luciferianos* his verbis urget: „*Exigis, ubi scriptum sit? In actibus Apostolorum. Etsiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret. Nam et multa alia, quae in Ecclesiis observantur, per traditionem auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt.*" [10]) Ita et S. *Augustinus* in libro II. *De Baptismo contra Donatistas* consuetudinem illam de non rebaptizandis haereticis *ab apostolica traditione exordium sumsisse* affirmat, [11]) et alibi: „*Multa sunt*, ait, *quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis bene praecepta creduntur, quamquam scripta non reperiantur.*" [12])

cc) ex divinae revelationis modo.

§. 4. Quod quam sit verum, ipsa humana ratio certissimis *historiae argumentis* innixa nobis persuadet. Etenim *Christus* ipse *viva tantum voce* Apostolos instituit, eisque *praedicandi* non *scribendi* mandatum tradidit. Et *primum* scimus Evangelium octo demum vel pluribus etiam

---

8) Homil. IV. in II. Thessal. II., 15. ed. Montfaucon. T. XI. p. 532.

9) Haeres. LXI. §. 6. ed. Petavii, T. I p. 511.

10) Dial. adv. Luciferian. c. 4. in Ej. Opp. omn. ed. Martianaci, T. IV. Cl. III. col. 294. — Objiciunt quidem, quod idem S. Doctor alibi omnem absolute rejiciat traditionem dicens: „*Ut haec quae scripta sunt non negamus, ita ea quae non sunt scripta renuimus,*" (Lib. adv. Helvid. ib. col. 141.) Verum haec contra mentem divi *Hieronymi* proferuntur. Non enim de *divinis* et *apostolicis* hic agit traditionibus, sed de *humanis* iisque *falsis*, e. gr. quod Christus secundum Helvidium ex utero virgineo exiverit *sordibus inquinatus;* quod beatissima Virgo post obitum S. Josephi *alteri viro nupserit;* cett.

11) De Baptismo, Lib. II. c. 12., in Ej. Opp. omn. ed. Maurin. T. IX. col. 102.

12) Ibid. Lib. V. c. 31.; T. IX. col. 156.

annis post Christi in coelos ascensionem consignatum esse, reliquos deinde sacros libros successive in lucem prodiisse, ideoque *diu antequam Apostoli scripserunt quidquam*, religionem christianam divulgatam et Ecclesias fundatas esse. Imo *Marcus* et *Lucas* ipsi non de choro apostolico fuerunt, sed *e traditione tantum* apostolica sua contexuerunt Evangelia. „*Quod scilicet divina providentia per Spiritum sanctum ita procuratum est, ne putaretur, quod attinet ad percipiendum et praedicandum Evangelium, interesse aliquid, utrum illi annuncient, qui eundem Dominum hic in carne apparentem secuti sint, an hi, qui ex illis fideliter comperta crediderunt.*“ [1]) Et ipsi sacras literas inspicienti facile persuasum erit „*multa sane tam de verbis quam de factis Dominicis ab Evangelistis silentio praetermissa esse, quae Apostoli vel supplevisse verbo vel facto expressisse leguntur*“; [2]) multa praeterea, quae catholica tenet Ecclesia, aut *solummodo* aut certe *potissimum* ex Traditione innotuisse, puta doctrinas *de essentialibus Sacramentorum, de parvulorum baptismo, de validitate baptismi ab haeretico suscepti, de sacrificio Missae, de cultu Sanctorum*, cett.

b. Traditio interpretativa.

aa) evincitur ex S. Scripturae locis.

§. 5. Alterum, quod diximus, *non esse omnia*, quae in ss. Scripturis leguntur, *satis clare et aperte consignata*, pariter probatur cum *ex iisdem libris* tum ex unanimi consensu Scriptorum antiquorum. Sic *Eunuchus* in loco Jesaiae LIII., 7. 8. legendo haesitans *Philippo* diacono quaerenti: „*Putasne, intelligis quae legis?*“ „„*Et quomodo possum*, ait, *si non aliquis ostenderit mihi?*““

1) S. *Augustin.* De consens. Evangg. Lib. I. c. 2., in Ej. Opp. ed. Maurin. T. III. P. II. col. 3.

2) *Innocent. III.* in c. 16. de celebr. Missae (III. 41.)

Aperiens autem *Philippus* os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit Jesum. [1]) Sic ipse *Petrus* de epistolis beati Pauli monens: „*Sunt quaedam*, inquit, *in iis difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem*". [2]) Neque obstant, uti quibusdam visum est, verba Domini ap. *Joannem V.*, 39. recitata; haec enim solum de *Messiae characteribus* loquuntur, quos utique, si *simul* sumseris, in ss. Literis *sat clare* expressos esse facile concedimus. In aliis hujus generis locis, quos in sui asserti probationem solent adducere, [3]) haud mihi videtur esse, quod diutius moremur.

bb) ex unanimi Doctorum testimonio.

§. 6. Magis idem etiam ex concordi *veterum Scriptorum doctrina* elucet. Ita S. *Irenaeus* ad Episcopos nos delegat, si *absque errore* ss. Scripturas intelligere velimus. „*Hi enim*, ait, *Scripturas sine periculo exponunt nobis.*" [1]) Et *Clemens Alexandrinus* aperte dicit, illos, qui *adversus ecclesiasticam traditionem* Scripturas interpretantur, *regulam fidei amisisse et veritatis.* [2]) Vere autem et praeclare hac de re *Tertullianus* statuit, in controversiis cum haereticis non esse recurrendum ad S. Scripturam. „*Ista haeresis non recipit quasdam Scripturas; et si quas recipit, non recipit integras, .. et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit... Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione.*" [3]) Itaque *Origenes* sacram Scripturam dicit non aliter esse interpretandum, *nisi quemad-*

---

1) Act. Apost. VIII. 27. sqq.
2) II. Petr. III., 16.
3) e. gr. Deut. XXX., 11.; Psalm XVIII., 9.; CXVIII., 105.; Prov. VI., 23.; Joann. XII., 48.; Rom. X., 8.; II. Petr. I., 19.
1) adv. Haeres. IV. 26. §. 5., ed. Massuet. P. I. p. 263.
2) Strom. lib. VII., in Opp. omn. ed. *Potteri*, p. 892.
3) De praescript. haeret. c. 17. 18., in Ej. Opp. ed. Rigaltii. p. 208.

modum per successionem ecclesiae Dei nobis tradiderunt.[4]) Hinc et *Eusebius* Caesareensis „*quae sunt divinis literis consignata, ea etiam majorem in modum confirmata* dicit *per traditionem catholicae Ecclesiae a finibus ad fines terrae, quae ex non scripta traditione ss. Scripturarum testimonia confirmat et obsignat.*“ [5]) De *Basilio M.* et *Gregorio Nazianzeno Rufinus* narrat: „*Hi Scripturarum divinarum intelligentiam non ex propria praesumtione sed ex Majorum scriptis et auctoritate secuti sunt, quos et ipsos ex Apostolica successione intelligentiae regulam suscepisse constabat.*“ [6]) Atque idem sentiunt multisque declarant locis SS. *Hieronymus,* [7]) *Augustinus,* [8]) et imprimis *Vincentius Lirinensis,* qui de expositione Scripturarum *cur* secundum Majorum doctrinam fiat, rationem ingerit dicens: „*Quia videlicet ipsam Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt tot illinc sententiae erui posse videantur.*“ [9])

§. 7. Instant quidem Novatores provocantes maxime ad divos Patres *Joannem Chrysostomum* et *Augustinum* ut qui ambo dicant, *adeo manifesta et perspicua* esse, quae Apostoli tradiderint et Prophetae, „*ut per se discere quisque possit ea, quae dicuntur, ex sola lectione. . . Cui enim non sunt manifesta, quaecunque in Evangelio scripta sunt?*“ [1]) Et rursus: „*Ad ea, quae necessaria sunt saluti, non adeo magna difficultate pervenitur in ss. Scriptu-*

4) Tract. XXIX. in Matth.; Ej. Opp. ed. de la Rue, T. III. p. 864. col. 2.

5) Contra Marcell. Ancyr. I. 1.

6) Ruf. Hist. Eccl. II.

7) adv. Helvid. c. 17.; in Opp. omn. ed. Martianay. T. IV. P. II. c. 141.

8) De doctr. christ. III. 1., in Ej. Opp. ed. Maurin. T. III. P. I. col. 43. 44.; contra Crescon. I. 33., ib. T. IX., col. 407. 408.

9) Commonitor. c. 2., in Bibl. max. Lugd. T. VII. p. 250.

1) S. *Chrysostom.* Homil. III. in Lazarum nr. 3. pr., in Ej. Opp. ed. Montfaucon. T. I. p. 739.

ris." [2]) .. *Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.*" [3]) At vero in allatis textibus similibusque aliis locis ex mente ss. Patrum *moderatio quaedam* adhibenda est. Neminem enim fugit, S. Chrysostomum istis verbis in oratione ad populum usum esse in sensu quodam, quem oratores amant, *hyperbolico* et *accommodativo*, cum loco laudato dicat: „*Quis audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundo corde, ceteraque ejusmodi, egebit praeceptore, ut aliquid eorum discat quae dicuntur? Verum signa, miracula, historiae, non cuivis nota manifestaque sunt?*" Atque praecepta *moralia*, *facta* Christi et *miracula*, quibus maxima pars Scripturae constat, *utique* satis clare in ss. literis leguntur. Similiter S. Augustinus, non quaecunque ad *universam* Ecclesiae fidei professionem pertineant in genere ac specie, sat dilucide consignata dicit, sed ea, quae *particulari* cuique *explicite* creditu sunt necessaria ad salutem. Saepius enim idem S. Doctor *obscuram quandoque sacram Scripturam esse* ingenue fatetur. [4]) At, inquiunt Acatholici, saltem *Praedestinatis* proprio quodam sapore et interiori S. Spiritus illustratione nota est S. Scriptura? Quae sententia si affirmetur, liberum jam erit cuilibet haeretico rejicere vera Scripturae dogmata, quotiescunque ejus erroribus opponuntur, et obtrudere falsas tanquam genuinas, utpote quae ipsi faveant et suo humano arbitratui accommodata sint. Si sola praedestinationis fides ab errore securos redderet, ecquo modo accidit, ut epistola S. *Jacobi* palato *Lutheri* sit straminea et insipida, cum *Calvino* sapiat tanquam divinum opus?

2) S. *Augustin.* Epist. CXXXVII. c. 1. nr. 3. in Ej. Opp. ed. Maurin. T. II. col. 402.

3) *Idem* in Doctr. christ. Lib. II. c. 6. in fin., ibid. T. III. P. I. col. 22.

4) e. gr. „*Quum verba propria faciunt ambiguam Scripturam*, (catholicus) *consulat regulam fidei, quam . . . de Ecclesiae auctoritate percepit.*" De doctr. christ. III. c. 2. „*Quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, Ecclesiam de illa consulat etc.*" Contra Crescon. Lib. I. c. 33.; al.

Nonne uterque firmiter et credidit et asseruit, se esse praedestinatum?

cc) ex ipsa experientia.

§. 8. Imo nostram sententiam *ipsa experientia* satis superque tuetur. Quicunque enim S. Scripturam vel obiter perlustraverit, eam in rebus etiam maximi momenti *non ita facilem intellectu* esse sola lectione, non poterit non fateri. 1) Et omnia si revera essent in ea adeo clara et cuique perspecta, ut amplius nihil requireretur; qui fit, quod *Lutherus* et *Calvinus*, ut qui maximam uterque Scripturae evidentiam praetendit, de *uno* tamen *eodemque loco* in tam *diversas* abierint sententias, ut alter *realem*, alter nonnisi *figuratam* corporis et sanguinis Christi in Eucharistia praesentiam viderit? Atque omnes, quotquot unquam exstiterunt, *haeretici* nonne *sacrae Scripturae* locis futilissimas suas et impiissimas opiniones defendere conabantur? Hinc sacrosancta Synodus *Tridentina* „*ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum . . . sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia . . . aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram audeat interpretari*“. 2)

2. Divinae Traditionis necessitas.

§. 9. Denique ponamus, quod isti somniant, ut *sola Scriptura* sacra sufficiat, unde fidei regulam sumamus. *Quinam* sunt hi libri, quibus Scriptura continetur? Nusquam enim in ipsis sacris bibliis doceris, qui libri sint

---

1) Lege sis e. gr. Matth. V., 32. 34.; Ephes. V. 32.; I. Cor. VII., 14. Nonne hi loci de rebus agunt ad *fidem moresque pertinentibus*, ideoque ad *salutem necessariis?* nonne iidem valde *per se difficiles nec per alios* Scripturae *locos elucidandi* sunt?

2) *Conc. Trid.* Sess. IV. Decret. de edit. et usu ss. libb.

canonici habendi, qui *apocryphi*. Quo autem quantoque opere studerent haeretici primaevi, scriptis Apostolorum genuinis sua immiscere et supponere, innumera fere probant et exempla et testimonia. Ejusmodi Apocryphorum distinctio Ecclesiae rursus *a sola traditione* petenda fuit. „*Apocryphi* enim *vocantur libri, quorum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima ac novissima successio pervenit.*" [1]) Unde alibi recte divus *Augustinus* habet: „*Evangelio non crederem, nisi Ecclesiae catholicae me moveret auctoritas*". [2]) Huic verò dogmati altera statim nec minus gravis quaestio subjungenda est: Quo fit, ut *tantam* illi libri nobis *fidem* faciant? Nimirum eo quod *divinitus inspiratos* esse credimus. Sed quamquam ipsos Hagiographos non raro ad hanc divinam librorum suorum originem provocare legimus; [3]) tamen, vera esse isthaec testimonia de se ipsis, non adeo persuasum nobis esset, nisi *infallibile universae Ecclesiae judicium* seu prisca illa et per continuam apostolicam successionem in Spiritu sancto intemerata *traditio* id ipsum nobis confirmaret. Sola igitur *Traditio* est, quae *de sacro canone* et *divina Scripturae inspiratione* incluctabile usque perhibuit argumentum, illa nimirum a Majoribus, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, semper agnita continuisque testimoniis firmata fides, quam „*universum Ecclesiae sensum*" Tridentini Patres appellant. [4])

3. Traditionis testes sancti Patres.

§. 10. *Duo* sunt igitur flumina, uno fonte promanantia, e quibus *divina revelatio* petenda; atque haec

---

1) S. *August.* de civitate Dei, lib. XV. c. 23. nr. 4., in Opp. omn. ed. Maurin. T. VII., col. 408.

2) Contra Epist. s. Fundam. Manich. c. 5., ibid. T. VIII. col. 154.

3) e. gr. Act. Apost. I., 16.; I. Cor. II., 4.; II. Timoth. III., 16.; II. Petr. I., 21.; al.

4) *Conc. Trid.* Sess. XIII. c. 1. Decret. de S. Euchar. sacram.

semper fuit et est hodiedum Catholicorum consuetudo, ut veram fidem e duobus hisce fluentis hauriant, scilicet ex divini *canonis auctoritate* et Ecclesiae catholicae *traditione.* Hinc „*sacrosancta Synodus . . . perspiciens hanc salutarem veritatem et disciplinam christianam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus . . omnes libros tam veteris quam novi testamenti . . nec non traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes tanquam vel ore tenus a Christo vel a sancto Spiritu dictatas et continua sucessione in Ecclesia catholica conservatas pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. . . Si quis autem libros ipsos . . pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contemserit, anathema sit.*" 1) *Traditio* autem dicitur *sacra institutio*, quae ex ipsius *Christi ore ab Apostolis* accepta et ab iisdem *dictante Spiritu sancto viva primum voce fidelibus promulgata, deinde* vero *ab Apostolorum discipulis et eorum in Ecclesia successoribus literis consignata et continua communicatione* in secula usque *propagata est.* Haec prout dogma aliquod sive fidei sive morum continet, quod ab ipsis Hagiographis *omnino non* est literis mandatum, traditio *constitutiva* audit; quando vero locum in ss. Scripturis *non satis clare* conscriptum explanat atque illustrat, *interpretativa* traditio appellatur. Atque hujus divino-apostolicae Traditionis cum constitutivae tum etiam interpretativae praestantissimi atque sub infallibili Ecclesiae censura omni fide dignissimi *testes* sunt *ss. Patres*, maxime *Episcopi*, *qui continua et apostolica ordinatione ac successione* eam, quam unusquisque ab Apostolis profectam cognoverat *traditionem intemeratam, nec non Scripturarum tractationem plenissimam et lectionem sine falsatione et expositionem legitimam . . ad nos usque propagabant.* 2)

1) *Conc. Trid.* Sess. IV. Decret. de canon. Scriptt.

2) S. *Irenaeus* adv. Haeres. Lib. III. c. 3. nr. 2. 3.; lib. IV. c. 33. nr. 8.; ed. Massueti P. I. p. 175. sq. et 272.

Patrologia.

1. Patris ecclesiastici notio.

§. 11. Honorifico gravissimoque vocabulo *Patris*, unde *Patrologiae* nomen obortum est, *Magistros religionis* per similitudinem a *patre naturali* desumtam apud omnes fere totius Orientis populos insignitos esse constat. Quod nomen jam in *veteri sacra Scriptura* persaepe occurrens etiam in *novum testamentum* translatum, et ab Ecclesia postmodo constanter usurpatum est. Quemadmodum enim Patris est gignere filios, eosque nutrire, educare, instituere; ita quoque *Ecclesiae Patres* in plenitudine gratiae Dei *multos filios in Christo Jesu per Evangelium genuerunt* spiritualiter, *et scriptis suis* ad posteros transmissis *de universa Ecclesia optime meriti* sunt. Idcirco tamen e Patrum numero eximendos noli putare eos, quorum libros edax rerum tempus devoravit; quia, quod universam saltem *aliquamdiu* docuerint Ecclesiam, satis est. Itaque venerabili hoc Patrum titulo salutari in genere solent *Scriptores ecclesiastici, qui potiori doctrina et vitae sanctitate de Ecclesia egregie meriti et ut tales ab eadem approbati sunt.* Et ecclesiasticam quidem sive sacrae *theologiae scientiam non*

vulgarem itemque *vitae probitatem eximiam* in iis requiri, ex incumbente iisdem et *doctorum* et *testium* officio facile colligitur. Similiter et Ecclesiae, quae pro utroque charactere spondeat, *approbatio* eaque, si non expressa seu specialis et solemnis, tamen usualis necessaria est. Sunt autem, qui singulari Patrum nomine eos tantum insigniri debere arbitrentur, a quibus modo *nascentis Ecclesiae* fides tradita est: sunt porro, qui *clericatum*, imo qui *episcopatum* in iis requirant. Verum *antiquitas* insignis quidem sancti Patris praerogativa, *necessaria* tamen *non est;* nimirum ideo quis dicitur Pater, quod Ecclesiae dederit filios spirituales ore, calamo, moribus docendo; docendi vero provincia, unde paternitas oritur, non est ad certae aetatis limites restricta. Cumque Pater nomen sit *pietatis potius quam potestatis*, ut ait Tertullianus in Apologetico suo c. 34., jam *neque episcopatus neque clericatus* omnino tamquam conditio necessaria postulatur. Hinc S. Augustinus *Hieronymum presbyterum*, ipse autem S. Hieronymus *Justinum laicum virum* omni jure Patribus adnumeravit.

2. Variae Patrum distinctiones.

§. 12. Patres alii *graeci* sunt, alii *latini*, suo singuli quo scripserunt *idiomate* conspicui. Utrique in *veteres* dispescuntur et *recentiores*. *Veterum* autem classem, ut fert communior usus, *sex priorum seculorum* Patres constituunt, quorum agmen *Gregorius M.* Pontifex Romanus claudit. Et ex his quidem ii, qui *tribus prioribus* seculis floruerunt, ad unum *omnes*, si quidem Ecclesia eos non rejecerit, pro antiquitatis veneratione Patrum titulo ornari solent, ita tamen, ut, qui Apostolorum consortio uterentur, eximio nomine *Patres apostolici*, reliqui *simpliciter Patres* appellentur; si qui vero ob haeresin notati fuerint, aut a quarto seculo demum et ita vixerint, ut de eorum sanctitate non plane constiterit; solummodo *Scriptores ecclessiastici* audiant. E *recentioribus* autem Scriptoribus ne eos quidem omnes, qui in Sancto-

rum numerum recepti sunt Scriptores ecclesiasticos, sed *illustriores* tantum ceu *Patres* itidem veneramur, eos nimirum, qui triplici illa principalitate nempe *doctrinâ*, *sanctitate* et *approbatione ecclesiastica eminentes* a seculo VII. ad XIII. usque scriptis suis theologicis inclaruerunt. Quae tamen aetas non ita absolute determinata est, ut omnino non possint existere, qui posterioris quoque temporis respectu Patres dici mereantur. Id solum voluimus indicare, post SS. *Thomam* Aquinatem et *Bonaventuram* alium neminem amplius hoc nomine *ab Ecclesia expressis verbis* insignitum fuisse. Denique in ipsis SS. Patribus rursus ii, qui *praestantia* et praecipue *puritate doctrinae* Ecclesiam prae ceteris illustrarunt, ideoque *solemni* ejusdem *approbatione* potiti sunt, *Doctores* eximie vocantur.

a. Doctores Ecclesiae.

aa. Graeci.

§. **13.** Hoc principaliori titulo gaudent in Ecclesia graeca *S. Athanasius Episcopus Alexandrinus*, orthodoxae fidei pater strenuusque toto vitae tempore vindex, multa quidem ab Arianis perpessus, stetit tamen usque immotus, † 373; — *S. Basilius Episcopus* in urbe patria *Caesarea*, vitae monasticae insignis promotor et adversus Arianos fortissimus athleta † 379; — *S. Gregorius Nazianzenus Episcopus*, vir cum doctrina tum moribus eminens, maximum Ecclesiae lumen, † 389; — *S. Joannes Chrysostomus* et christianus Demosthenes ob miram eloquentiam cognominatus, *Episcopus Constantinopolitanus*, qui verbo et exemplo religioni Jesu plurimum profuit, † 407.

bb. Latini.

§. **14.** In Ecclesia occidentali illustrissimo Doctorum nomine celebrantur *S. Ambrosius Mediolani Episcopus*, vir summa pietate omnique virtutis genere venerabilis, catholicae fidei adversus Arianos quasi columna et

turris inexpugnabilis, † 397; — *S. Hieronymus Presbyter*, vitae sanctitatis exemplar integerrimum et contra Haereticos velut leo rugiens, postremum vitae tempus in eremo Bethlehemitica inter continua pietatis ac literarum exercitia transegit, † c. 420; — *S. Augustinus Hipponensis* in Africa *Episcopus*, theologorum in Occidente parens atque magister; eximia vitae sanctimonia, editis libris relatisque de Haeresibus Arianorum, Manichaeorum, Donatistarum et Pelagianorum victoriis toto orbe celeberrimus, † 430; — *S. Leo magnus Pontifex Romanus*, verae fidei acerrimus propugnator zeloque religionis nemini secundus, de Dei Ecclesiae et universo grege Dominico pastor bonus optime meritus, † 461; — *S. Gregorius* item *Pontifex Romanus*, qui tanta pro bono Ecclesiae gessit, scripsit, docuit, ut *Magnus* fuerit appellatus, vir eminens singulari vitae sanctitate atque humilitate, † 604; — *S. Thomas Aquinas* Aquinatum comitum nobili genere natus, *Ordinis Praedicatorum* illustrissimum sidus, ab animi eruditione subtilitate ac foecunditate *Doctor* dictus *angelicus*, angelicis item moribus insignis, miraculis clarus, † 1274; — *S. Bonaventura*, *Ord. S. Francisci* Monachus et Generalis, dein Albanensis Episcopus et *S. R. E. Cardinalis*, in disciplinis theologicis eruditissimus indeque *Doctor Seraphicus* cognominatus † 1274.

b. Patres Ecclesiae.

aa. SS. Patres Apostolici.

§. **15.** Inter Patres, quos non solenniter et per eminentiam *Doctores* declaravit Ecclesia, primum locum tenent *Patres apostolici*, qui nempe *Apostolorum discipuli et adjutores* fuerant, uti *S. Barnabas* Cyprius Levites cum divo Paulo *gentium apostolus* ordinatus, vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide, † *c.* 76; — *S. Hermas*, cujus Paulus ad Romanos scribens meminit, auctor libri, qui inscribitur *Pastor* et in nonnullis Ecclesiis etiam publice legebatur, † *c.* 96; — *S. Clemens Romanus*, Pauli socius in aposto-

latu, tertius a beato Petro *Romae Pontifex*, putabilius martyr, † 101; — S. *Ignatius* Joannis apostoli discipulus et *episcopus Antiochenus*, jubente Trajano leonibus in urbe Roma objectus, † 107; — *S. Polycarpus* alumnus ejusdem beati Joannis apostoli et *ecclesiae Smyrnensis antistes*, postremo summa cum gloria illustre perpessus *martyrium*, † 167. His a nonnullis adnumerantur viri apostolici et Episcopi, *Papias Hierapolitanus* et *Quadratus Atheniensis* primus apologeta, † † *c*. 130; de quorum scriptis tamen nonnisi fragmenta supersunt.

bb. Reliqui SS. Patres.

a) Secundi et tertii Seculi.

§. **16.** *S. Justinus Philosophus*, *Apologeta*, zelo religionis Jesu ardentissimus remunerationem linguae fidelis *martyrii* palmam adeptus, † *c*. 167; — *Athenagoras* item *philosophus* singulari eloquentia clarus et religionem salutis intrepide defendens, + *c*. 180; *S. Theophilus* sextus a Divo Petro *Episcopus Antiochenus*, vir sanctus et in defendenda veritate catholica maxime strenuus, † *c*. 186; — *S. Irenaeus*, Polycarpi discipulus *Episcopus Lugdunensis*, vir spiritus sancti donis et coelestibus ornamentis instructus, glorioso postremum coronatus *martyrio*, † 202; — *S. Hippolytus Irenaei* discipulus, Episcopus ut fertur *Portuensis*, ob praeclaram fidei confessionem *martyr*, † *c*. 235; — *S. Cyprianus*, *Carthaginensis ecclesiae Praesul*, vir singularis candoris ac mansuetudinis, praecipuumque Episcoporum ac Martyrum lumen, pro Christi fide *capite plexus*, † 258; — *S. Gregorius Thaumaturgus*, *Neocaesareensis Episcopus*, eruditissimus, sanctissimus, miraculis clarus, † *c*. 265; — *S. Dionysius Alexandriae Episcopus*, de vera fide propaganda ecclesiasticaque pace conservanda mirum quantum sollicitus, † *c*. 265; — *S. Victorinus Petavionensis* in Pannonia superiori *Episcopus*, sub Diocletiano *martyrium* passus † 303; — *S. Methodius* primum *Olympi* Lyciae deinde *Tyri* in Phoenicia

Episcopus, qui multorum veterum elogiis celebratus *martyr* pro Christo occubuit † c. 311. — Plures quidem praeter hos secundo et tertio seculo floruere viri, ss. Patrum nomine digni, de quorum scriptis tamen vel *omnino nihil* vel *nonnisi* perexigua *fragmenta* supersunt, uti *Aristides* Quadrato coaevus et *Apologeta* eloquentissimus, † c. 136; *Agrippa Castor*, validissimus Basilidis haeresiarchae exsibilator, † c. 140; *Aristo Pellaeus* Palaestinensis, apologeta adversus Judaeos, † c. 150; *S.* Melito *Sardensis Episcopus*, vir Spiritu sancto plenus et a plerisque propheta habitus, † c. 180; *S. Dionysius*, *Corinthius Episcopus*, fulgentissimum Ecclesiae sidus, indefessa non in suos tantum sed et in alios prolixe labores suos communicavit vigilantia † c. 180; *Hegesippus*, ex Judaeo Christianus, primus historiae ecclesiasticae scriptor, † 180; *Claudius Apollinaris Episcopus Hierapolitanus*, cujus memoria apud aequales aeque ac posteros in benedictione fuit, † c. 185; *S. Serapion*, Maximi in sede *Antiochena* successor, unitatis ecclesiae strenuus adversus *Montani* asseclas vindex † c. 211; *S. Pantaenus*, Ecclesiae Alexandrinae doctor, a Clemente discipulo suo apis Sicula dictus, prophetici et apostolici prati flores decerpens, † c. 213; *S. Alexander*, *Flav. in Cappadocia Episcopus*, deinde Narcissi Hierosolymorum episcopi Coadjutor, ob Christi fidem carcerem et vincula *passus*, † 252; *SS. Cornelius* († 253) et *Stephanus* († 257) *Romani Pontifices* animi robore et fidei firmitate insignes *Martyres*; *Anatolius Alexandriae Episcopus* vir sua aetate eruditissimus † c. 280; *S. Archelaus Cascherum* in Mesopotamia *Episcopus* cum Manete haeretico disputatione habita clarus, † c. 285; *S. Malchion Presbyter Antiochenus*, publica in Concilio Antiocheno cum Paullo Samosatensi haeretico habita disputatione illustris, † c. 280; *S. Pamphilus*, *Presbyter Caesareensis*, vir admirandae doctrinae et sanctitatis, ob intrepidam fidei christianae confessionem cruciatus summoque *supplicio affectus* † 309; *S. Lucianus Presbyter Antiochenus* in sacris literis versatissimus

et gloriosus denique *martyr*, † 311; *S. Petrus Episcopus Alexandrinus*, christianae religionis egregius doctor et *martyr*, † 311; alii.

b) *Seculi quarti.*

§. 17. *In Ecclesia orientali* praeter *Athanasium Basilium*, *Gregorium Nazianzenum* et *Joannem Chrysostomum* (§. 13.) *Patres primi ordinis* habentur *S. Ephraem Syrus* monachus, postea Edessenae Ecclesiae *presbyter*, asceseos magister peritissimus ac veritatis christianae contra Graecorum errores propugnator fortissimus, † 379; — *S. Cyrillus Hierosolymis Episcopus* a Semiarianis bis sede pulsus, tertio in exilium missus, tandem vero honorificentissime restitutus, † 386; *S. Macarius major*, *Aegyptius* anachoreta, sanctitate atque miraculis valde conspicuus, † 391; — *S. Gregorius Nyssenus episcopus*, strenuus fidei Nicaenae defensor, eruditione ac sanctitate adeo insignis, ut Pater Patrum appellaretur, † 396; — *S. Epiphanius*, optime a monachis institutus, tandem *Salaminae* in insula Cypro *Episcopus*, vir apprime sanctus et miraculis clarus, † 403. — *Accedunt*, si librorum, quos evulgarunt, copiam et argumenti gravitatem respicias, *Patres minoris* quidem *nominis*, vitae moribus autem aeque venerabundi *S. Alexander*, Athanasii magni in sede *Alexandrina* praecessor, † 326; *S. Eustathius Episcopus Antiochenus*, ab Arianis sede sua pulsus et in exilio mortuus, † c. 336; *S. Pachomius Abbas* erectis in Aegypto plurimis claustris inclytus, † 348; *S. Jacobus Nisibenus episcopus* cognomine Sapiens, strenuus in Synodo Nicaena Arianismi impugnator, † 350; *S. Antonius Abbas* et coenobitarum pater, doctrina moribusque incredibilem nominis famam nactus, † 357; *S. Serapion* Anachoreta, deinde *Thmuensis Episcopus* ab Athanasio ordinatus, † c. 358; *S. Meletius Episcopus Antiochenus*, impavidus pro fide catholica pugil, † c. 381; *S. Arsenius*, Patricius Romanus, vir graece et latine doctus, relicta aula Theodosii M. *vitam solitariam amplexus*, Pater

omni virtutum genere ornatus, † 384; *S. Amphilochius* nobilis Cappadox, reluctans *Iconiensis* in Lycaonia *Episcopus* factus, multisque pro Ecclesia Dei laboribus functus, † c. 395; *S. Petrus Sebastes* in Ponto *Episcopus*, frater Basilii magni et Gregorii Nysseni, † c. 396; *S. Macarius junior* Alexandrinus, in Thebaide Abbas, † c. 405.

§. 18. In *latina* autem Ecclesia praeter *SS. Ambrosium, Hieronymum et Augustinum* (§. 14.) *maxima auctoritate* pollent *S. Hilarius Pictaviensis Episcopus*, catholicae fidei, adversus Arianam haeresin intrepidus propugnator, nec ullis persecutionibus fractus † 368; — *S. Eusebius Vercellensis Episcopus*, item ab Arianis multa ob fidem passus, † 369; — *S. Optatus Milevitanus Episcopus*, multiplici eruditione ac constanti pietate praecellens, acerrimus Donatistarum impugnator, † c. 380. — *Secundi ordinis patres*, ut qui non adeo insignia monumenta reliquerunt, commemorandi sunt, summi *Pontifices Romani S. Julius* † 352, *Liberius* † 366, *SS. Damasus* † 384, *Siricius* † 398, *Anastasius I.* † 402; item *S. Zeno*, Syagrii sanctae memoriae viri in *Episcopatu Veronensi* successor, † c. 380; *S. Pacianus Episcopus Barcionensis*, vir vitae moribus ac sermone aeque conspicuus, † c. 390; *S. Philastrius Brixiensis Episcopus* Arianorum continuus debellator † c. 392, et ejus in eadem sede successor *S. Gaudentius*, doctrina et pietate illustris, † c. 417; *S. Gregorius Illiberitanus Episc.* pro fide Nycaena summopere decertans, † c. 392; *S. Phoebadius Agenensis* in Aquitania *Episcopus*, adversus haereses forti et infracto animo militans, † c. 394; *S. Martinus Turonensis Episcopus*, cum Hilario Pictaviensi familiariter conversatus summisque ob eximiam sanctitatem encomiis celebratus, † c. 397; *S. Vigilius Tridentinus Episcopus Martyr*, † c. 405; *S. Chromatius* Ecclesiae *Aquilejensis Episcopus* summorum tunc temporis virorum familiaritate usus, † c. 412.

c) *Seculi quinti.*

§. 19. Inter *Graecos eximio Patris honore* salutatur *S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus*, vir eruditissimus et catholicae fidei adversus Nestorianam haeresin egregius defensor, † 444. — Sequuntur *minoris nominis Patres S. Isidorus Pelusiota* Presbyter et *Archimandrita*, vitiorum omnium acerrimus insectator, virtutum locuples laudator et praeco, † c. 445; *S. Proclus Episcopus Cyzicenus* et dein Patriarcha Constantinopolitanus, † 446; *S. Flavianus Episc.* Procli successor, ob fidem catholicam a Dioscorianis misere cruciatus, † 449; *S. Nilus Anachoreta* et Abbas deinde Constantinopolitanus, sanctitate ac doctrina insignis, † c. 450.

§. 20. *Latini* ss. Patres et ii *majores* praeter *Leonem magnum* (§. 14.) hoc seculo extiterunt *S. Paulinus Nolanus* poeticis ac rhetoricis disciplinis probe imbutus, annis demum provectior baptizatus, inde ad Presbyteratum promotus et *Episcopus Nolae* creatus, † 431; — *Hilarius Arelatensis Episcopus*, omnium virtutum exemplar et religiosae paupertatis eximius cultor, † 449; — *S. Petrus Chrysologus* ob eloquentiam dictus, *Episcopus Ravennatensis* Ecclesiae, † c. 450; — *S. Vincentius Lirinensis monachus*, de defendenda sacra Traditione optime meritus, † c. 450; — *S. Prosper Aquitanicus*, Leonis Papae Amanuensis et Augustini doctrinae acerrimus defensor, † c. 455; — *S. Maximus Taurinensis Episcopus*, insignis Concionator ecclesiasticus, † c. 466. — Ad quos *accedunt S. Joannes Cassianus, Monachus* Massiliensis et vitae integritate et eruditionis laude celebris, sed Semipelagianismi ex parte praelusor, † c. 434; *S. Possidius* natione Afer, discipulus S. Augustini et *Calamensis* in Numidia *Episcopus* a Donatistis gravissimas insectationes perpessus, † c. 440; *S. Eucherius* monachus Lerinensis, deinde *Lugduni Episcopus*, † c. 450; *S. Patricius* Tarabonnensis Bononiae natus, a Coelestino I. P. R. in *Hiberniam* missus, et erectis ibi sedibus episcopalibus conditisque monachorum coenobiis, non minus quam doctrina, virtutibus,

miraculis clarus, † c. 456; *S. Sidonius Apollinaris Avernorum Episcopus*, poëtica insuper fama celebris, † c. 470; *S. Victor Vitensis Episcopus* gravissima in persecutione Vandalica incommoda passus, † c. 490; S. *Faustus Abbas Lerinensis*, deinde *Episcopus Regiensis* et adversus Arianos Confessor egregius, † c. 493; *S. Remigius Rhemensis Episcopus*, Chlodovici I. regis Francorum unctione satis notus, † 533; et omnes hujus seculi Romani Pontifices *SS. Innocentius I.* † 417, *Zosimus* † 418, *Bonifacius I.* † 422, *Coelestinus I.* † 432, *Sixtus III.* † 440, et post *Leonem Magnum* deinceps *SS. Hilarius* † 467, *Simplicius* † 483, *Felix III.* † 492, *Gelasius I.* † 496, *Anastasius II.* † 498.

b) *Seculi sexti.*

§. 21. *Graecorum* Scriptorum hujus aevi, si forte *S. Joannem* Sinaitam Abbatem, qui *Climacus* a libro suo ascetico cognominatus († c. 580), *S. Anastasium* item *Sinaitam* Abbatem († c. 599), et *S. Eulogium* Monachum et *Patriarcham Alexandrinum* haud vulgari haereticos confutandi fervore accensum, virum Gregorio M. Pontifici amicissimum († c. 606) excipias, nemo est, qui illustri *Patris* nomine mereatur insigniri; in *latina* vero Ecclesia *maxima veneratione* coluntur *S. Ennodius* nobili genere natus et S. Maximo *Ticinensi episcopo* successor datus († 521); *S. Avitus*, Aviti Romani imperatoris nepos et patri suo in sede *Viennensi* successor († 525), uterque *poetica* fama clarus; — *S. Fulgentius Ruspensis Episcopus* ob strenuissimam catholicae fidei contra Arianos defensionem bis in exilium ejectus, † 533; *S. Benedictus*, Nursiae in Umbria natus, ex Eremita monachus factus in Sublacensi solitudine, *vir immortalis memoriae*, qui in monte *Cassino* ordinis toto orbe celeberrimi fundamenta posuit, † 543; — *S. Caesarius* Lerinensis primum monachus, deinde *Episcopus Arelatensis*, † 543; *S. Gregentius*, *Sapphoritis*, (Taphar) in Arabia felici *Episcopus*, qui coram Abramo Homeritarum rege christiano

cum Herbano Judaeo publice disputavit, † 552; — *S. Gregorius Turonensis Episcopus*, vir in tuenda fidei veritate dexterrimus et Scriptor imprimis religiosus ac diligens, † 595. — Accedunt *Romani Pontifices SS. Symmachus* † 516, *Hormisdas* † 523, *Joannes I.* † 526, *Felix IV.* † 530, *Bonifacius II.* † 532, et post Joannem II. (§. 29.) *SS. Agapetus* † 535, *Sylverius* † 538, denique post aliquot in Sanctorum diptychis non receptos (§. eod.) omnium hujus aevi longe doctissimus et rebus gestis illustrissimus *Gregorius Magnus* (§. 14.).

e) Seculi VII. et reliquorum usque ad XIII.

§. 22. *Graeci* duo praesertim ss. Patres in hac periodo enitent, *S. Joannes Damascenus*, utpote Damasci in Syria natus, *Monachus* et *Sacerdos*, *Aurifluus* ob insignem eloquentiam dictus, in disciplinis philosophicis et theologicis versatissimus, † c. 754; et *S. Theodorus Studita*, nimirum Studii monasterii prope Constantinopolim *Abbas*, ob christianam veritatem exilium, flagella, cruciatus et foedissimi carceris aerumnas perpessus, † 826; — in *latina* autem Ecclesia eminent *S. Isidorus Hispalensis Episcopus*, sanctimoniae, eloquentiae ac doctrinae laude dignissimus, † 636; — *S. Ildephonsus*, monasticam vitam professus, propter immensa et virtutis et scientiarum merita *Archiepiscopus Toletanus* creatus, † 669; — *S. Beda Venerabilis, O. S. B. Monachus*, sacrae Scripturae omniumque paene cum profanarum tum sacrarum literarum admodum gnarus, † 735; — *S. Petrus Damiani*, ejusdem ordinis *monachus*, dein Abbas et Episcopus Ostiensis et S. R. E. *Cardinalis*, denique abdicatis iterum omnibus dignitatibus ad solitariam vitam reversus, † 1072; — *S. Anselmus*, item O. S. B. *Monachus*, Abbas, postremo *Archiepiscopus Cantuariensis*, in philosophia aeque ac theologia tunc temporis princeps, † 1109; — *S. Bernardus*, primus *Claraevallensis Abbas*, vita, doctrina, miraculis clarus, ob admirandum eloquentiae donum *Doctor Mellifluus* cognominatus, † 1153; quorum agmen usque

nunc claudunt sanctissimi *Thomas Aquinas* et *Bonaventura* (§. 14.).

c. Scriptores ecclesiastici.

aa) Seculi II. et III.

§. 23. Permulti jam duobus his seculis exstiterunt Scriptores Ecclesiae maxime *apologetici*, *polemici* et *sacrae Scripturae Commentatores*, quorum tamen scripta monumenta vel prorsus, vel ita ut nonnisi perpauca fragmenta supersint, interierunt. Sed hos recensendi locus aptior erit in *speciali* parte Patrologiae. Eorum autem, a quibus saltem nonnulla *integra* ad nos pervenerunt, celeberrimi sunt inter *Graecos* Scriptores *Tatianus* gente Assyrus, *philosophus* christianus et S. Justini discipulus, post mortem vero illius auctor haeresis Encratitarum factus, vir singularis eloquentiae et in disciplinis graecis eruditissimus, † c. 180; — *Hermias* item *philosophus* christianus, gentilium philosophorum irrisor, cetera parum notus, † c. 190; — *Clemens Alexandrinus*, ex ethnico philosopho christianus, S. Pantaeni auditor et in schola *Alexandrina* successor, *presbyter* pro re christiana assidue laborans, † c. 220; — *Julius Africanus*, Libya ortus, *Nicopolitanus* in Palaestina sive *Presbyter* sive *Episcopus*, vir ingentis variaeque doctrinae, † c. 245; — *Ammonius*, *christianus philosophus* et philosophiae praeceptor Alexandrinus, fortasse idem ille (Ammonius Saccas) Scholae Neoplatonicae conditor, sive alius quispiam, certo *Origenis Magister*, cujus Eusebius facit mentionem (Hist. eccl. VI. 19.), † c. 250; — *Origenes*, ob laboris instantiam et invictam animi fortitudinem Adamantius cognominatus, filius Leonidae martyris, omnium aetatis suae *doctorum virorum facile princeps*, magnis et in vita et post mortem impugnatoribus aeque ac defensoribus nobilitatus, † 253. — Inter *Latinos* autem *Minucius Felix*, verisimilius Romanus, Romae caussidicus, aetate demum provectior fidem christianam suscipiens, ejusdem egregius vindex atque

adsertor factus, † c. 240; Septimius Florens *Tertullianus* Carthaginiensis Afer, rhetorices primum magister et caussidicus, tunc rebus secularibus abjectis Christum amplexus et *sacerdotio* initiatus, postea vero jam senex in Montanistarum haeresin prolapsus, † c. 220; — *Cajus*, *Romanae ecclesiae Presbyter*, cetera nihil notus, † c. 220; — *Novatianus*, *Presbyter Romanus*, vir imprimis quidem doctus, sed sub Cornelio summo Pontifice Schismatis auctor, † c. 270; — *Commodianus*, legendo sacra biblia ad Christum conversus, *christianus poëta*, † c. 270.

bb) Seculi IV.

§. 24. Hujus aevi Scriptores memoratu dignissimi sunt in Ecclesia *graeca: Eusebius Pamphili*, *Caesareae* in Palaestina *Episcopus*, vir immensae lectionis et summae eruditionis, † c. 340; — *Eusebius*, Eusebii Pamphili discipulus, *Episcopus Emesenus*, Semiarianus, † 360; — *Titus Bostrensis* in Arabica *Episcopus*, † c. 372; — *Alexander Lycopolitanus Episcopus*, auctor libelli adversus Manichaeos, quorum erroribus antea ipsum implicitum fuisse nonnulli arbitrantur, † c. 380; *Apollinaris junior*, Lector ac tandem Episcopus Laodicenus, † c. 392; — *Didymus Alexandrinus*, humanas divinasque omnes disciplinas ita complexus, ut prodigium hominum audiret, sed propter Origenianos errores post mortem proscriptus, † 393; — *Asterius Amaseae* in Ponto *Episcopus*, † c. 410; — *Theophilus Alexandriae Episcopus*, qui magnam quam ex impugnatione haereticorum sibi gloriam peperit, dira S. Chrysostomi persecutione foedavit, † 412; — *Severianus*, *Gabalae* urbis in Syria *Episcopus*, item S. Chrysostomi accerbissimus insectator, † c. 415.

§. 25. In *latina* autem Ecclesia sequebantur deinceps *Arnobius* in urbe Sicca Venerea *rhetor*, ex christianismi impugnatore defensor ejusdem egregius factus, † 326; *Lactantius Firmianus* singularis eloquentiae vir, in ethnica superstitione impugnanda felicissimus, † c. 330; — *Cajus Juvencus*, Hispanus *Presbyter*, poëta christia-

nus, † c. 336; — *Firmicus Maternus* Siculus, fidem Christi in senectute amplexus, auctor libri profunda eruditione pleni, † c. 340; — *Hosius Cordubensis Episcopus*, Confessor, † 361; — *Potamius Episcopus Olisiponensis*, postea Arianus, † c. 366; — *Lucifer*, *Calaritanus* in Sardinia *Episcopus* et hostis Arianorum infensissimus, sed postmodo Luciferiani Schismatis auctor, † c. 370; — *Caj. Marius Victorinus*, Afer, Romae per multos annos rhetorices magister, post Christianum nomen susceptum totus sacrae poeseos studiis deditus, † c. 367; — *Faustinus Presbyter* Hispanus, a Gennadio multum laudatus, † c. 390; — *Rufinus Toranus Aquilejensis presbyter* ac monachus, propter assiduam Origenis defensionem inimicitiam S. Hieronymi familiaris et sedis Romanae censuram expertus, † c. 410; — *Prudentius Clemens*, natione Hispanus, insignis Poëta christianus, † c. 418; — *Tychonius*, coaevus Rufino, Africanus, vir literis perquam doctus, † c. 420; — *Sulpicius Severus Presbyter Aquitanicus*, qui SS. Paulino Nolano, Hieronymo, Augustino, aliis amicitia junctus aliquamdiu erroribus Pelagianis deceptus resipuit, † c. 420; — *Evodius*, *Uralensis* prope Utticam *Episcopus* amicissimus Augustino, † c. 428; — Pelagianismi haeresiarchae *Pelagius* Britannus († c. 420) et *Coelestius* Scotus († c. 430) uterque monachus.

cc) Seculi V.

§. 26. Inter *graecos* hujus aetatis scriptores celeberrimi sunt *Synesius Ptolemaidis* in Cyrenaica *Episcopus*, insigni vigilantia ac pietate munere functus, † c. 430; *Palladius* primum Hellenopoli in Bithynia, postea Asponae in Galatia *Episcopus*, † c. 430; — *Philostorgius* Cappadox Eunomianus, † c. 430; — *Nonnus*, Panopoli Aegyptiaca natus, homo cetera obscurus, † c. 440; — *Socrates Scholasticus* Constantinopolitanus († c. 440) et *Hermias Sozomenus* Palaestinensis († c. 450) *Eusebianae* Historiae ecclesiasticae continuatores; — *Theodoretus* Antiochiae in Syria natus, *Episcopus Cyri*, vir

apprime doctus, injuriarum autem impatiens animique elati, † c. 457; *Basilius Seleuciensis* in Isauria *Episcopus*, † c. 460; alii.

§. 27. *Latini* vero ejusdem seculi Scriptores iique notabiliores sunt *Paulus Orosius* Hispanus, Tarraconensis ecclesiae *Presbyter* sanctisque Hieronymo et Augustino amicissimus, † c. 420; — *Nicetas* in Dacia *Episcopus*, † c. 420; — *Coelius Sedulius Poëta* christianus juxta et elegans, † c. 439; — *Dracontius Presbyter* Hispanus, itidem *poëta* plus quam mediocris, † c. 440; — *Aurelius Carthaginensis Episcopus*, † c. 440; — *Paulinus Mediolanensis* S. *Ambrosii* vitae scriptor, † c. 440; — *Leoporius* a S. Augustino a Pelagiana haeresi revocatus, *Monachus Gallicus*, † c. 440; — *Claudius Marius Victor*, Massiliensis rhetor, christianus *poëta*, † 445; — *Capreolus Episcopus Carthaginiensis* † c. 445; — *Marius Mercator*, Afer, homo laicus, at graeco latinoque sermone eruditus ac strenuus Nestorianorum impugnator, † c. 450; *Fastidius Priscus*, *Britanicus Episcopus*, † c. 450; — *Julianus* Eclani in Apulia *Episcopus*, *Pelagianus*, † c. 450; — *Bachiarius monachus*, cetera ignotus, † c. 450; — *Philippus* discipulus et amicus beati *Hieronymi*, ceterum non amplius notus, † c. 455; — *Paschasinus*, *Leonis* Magni Legatus in Concilio Chalcedonensi, † c. 455; — *Turibius*, *Episcopus Hispanicus* Priscillianistarum acerrimus debellator, † c. 455; — *Idatius* (al. Idacius et Ithacius) *Hispanus* e civitate Limica oriundus, *Episcopus* vel in urbe patria vel, ut aliorum opinio fert, in oppido Lamecensi, † c. 470; — *Salonius* S. Eucherii filius, *Episcopus Januensis* (Genevae an Genuae?), † c. 470; — *Arnobius junior*, non confundendus cum ejusdem nominis Apologeta (§. 25.), † c. 470; — *Claudianus Mamertus*, *Presbyter Viennensis*, S. Mamerti Episcopi frater, † c. 470; — *Lupus Episcopus Trecensis*, strenuus Pelagianorum oppugnator, † 479; — *Honoratus Massiliensis Episcopus*, † c. 480; — *Cerealis Episcopus Castelleripensis*, Arianorum debellator, † c. 485;

Vigilius Tapsensis Episcopus, † c. 490; — *Salvianus* Gallicus *presbyter* ac monachus, humanis et divinis literis probe instructus, vitia aetatis suae acerbe deplorans, † c. 490; *Julianus* cognomento *Pomerius*, Gallicus presbyter, deinde *Episcopus Arelatensis*, † c. 493; — *Gennadius* Massiliensis *presbyter*, Semipelagianorum adsertor, † c. 500; — *Ruricius Episcopus* Lemovicensis, † c. 508; alii.

dd) Seculi VI.

§. 28. Scriptores *graeci* fuerunt seculo sexto *Theodorus lector*, Constantinopolitanus, † c. 530; — *Procopius Gazaeus*, *rhetor* ibidem, † c. 536; — *Cosmas Aegypticus* Anachoreta, *Indicopleustes* cognominatus, † c. 550; — *Adrianus*, a Cassiodoro et Photio laudatus, qui scripsit *Isagogen in ss. Scripturas*, ceterum parum notus, † c. 550; — *Zacharias*, Alexandriae primum Philosophus ob singulares animi virtutes et doctrinae famam *Episcopus Mitylenaeus* electus, † c. 550; — *Paulus*, *vir illustris* cognomine in honorem insignitus, Justiniani imperatoris *Primicerius Silentiariorum* Constantinopolitanus, † c. 570; — *Theodorus Episcopus Scythopolitanus* Palaestinensis † c. 570; — *Joannes Scholasticus* primum, deinde *Patriarcha* Constantinopolitanus, † c. 580; — *Joannes Jejunator* gente Cappadox, vir rigidissimae morum disciplinae et abstinentiae, usurpato *oecumenici Patriarchae* nomine gloriatus, † 595; — *Evagrius* Syrus ex urbe Epiphania ortus, *Scholasticus Antiochenus*, † c. 600.

§. 29. In Ecclesia autem *latina* ut initium faciamus cum *RR. PP.*, qui S. *Sylverium* sequebantur, ob emissas literas decretales potissimum recensendi sunt *Joannes II.* † 535, *Vigilius* † 555, *Pelagius I.* † 561, *Ioannes III.* † 573, *Benedictus I.* 577, et *Pelagius II.* † 590; praeter quos singularem sibi aestimationem paraverunt scriptis suis *Orientius Episcopus Illiberitanus*, † c. 520; — Anicius Severinus *Boethius*, Anicia illustri

gente Romana natus, Athenis per duodeviginti annos literis perpolitus, aevo suo clarissimus, *Patricius*, *Senator*, tertium *Consul*, a Theodorico rege falsa criminis suspicione capitis damnatus, † 524; — *Dionysius Exiguus*, *Abbas Romanus*, ex nova canonum collectione satis notus, † c. 536; — *Fulgentius Ferrandus*, Carthaginiensis Ecclesiae *Diaconus*, † c. 550; — *Arator*, *Subdiaconus Romanus*, christianus poëta, † c. 500; — *Rusticus*, patria Romanus, Vigilii Papae nepos et *Ecclesiae R. Diaconus*, Synodi Chalcedonensis prolixus defensor, † c. 560; — *Liberatus Diaconus Carthaginiensis*, trium Capitulorum defensor acerrimus, † c. 560; — *Victor Episcopus Capuanus*, † c. 560; — *Aurelius Cassiodorus* sub Odoacre, Theodorice, Athalarico, Theodato et Vitige regibus summis honoribus ornatus, monasticam postremo vitam secutus, et *Vivariensis monasterii Abbas* factus, † c. 563; — *Nicetas Trevirensis Episcopus*, † 566; — *Agnellus Episcopus Ravennatensis* Ecclesiae, † 568; — *Primasius Adrumeti* in Africa Episcopus, † c. 569; — *Junilius* item Africanus (forsitan Uticensis) *Episcopus*, † c. 570; — *Gildas* cognomento *Sapiens* (alias et *Gildas Badonicus*) natione Scotus, *Ruysiensis in Amorica Abbas*, de convertendis in Britannia et Hibernia infidelibus inprimis emeritus, † c. 570; — *Victor Tununensis episcopus*, historiographus, ceterum de vitae suae fatis nihil notus, † c. 570; *Facundas Hermianensis* in Africa Episcopus, † c. 572; *Martinus*, Dumiensis a se conditi Monasterii Abbas, inde *Archiepiscopus Bracarensis* in Lusitania, † 580; — *Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis*, † c. 603.

ee) A seculo VII. ad med. XIII.

§. **30.** Proximus deinde seculis Scriptores notatu maxime digni sunt inter *Graecos*: *Leontius Byzantinus*, ex Ecclesiae CPolitanae Presbytero Monachus in laura S. Saba e prope Hierosolyma, vir theologicis disciplinis insigniter imbutus, † c. 630; — *S. Sophronius Monachus*, multiplici eruditione divinarumque Scripturarum sci-

entia ac pietate insignis, † c. 638; — *Olympiodorus Diaconus Alexandrinus*, Paschalis chronici auctor, † c. 636; — *Gregorius* gente Pisides, *Diaconus* et Chartophylax Constantinopolitanus, † c. 640; — *S. Maximus* ex Protosecretario regio Monachus, gloriosus Monotheletarum debellator, et ob tormenta, quae inde passus est, *Martyris* titulo honoratus, † 662; — *S. Theophanes*, Constantinopoli natus, *Abbas*, sub Leone Armenio Iconomacho per biennium cruciatus, † 818; — *S. Nicephorus Patriarcha* CPolitanus, item ob Imaginum cultum bis in exilium pulsus, † 828; — *Photius*, expulso S. Ignatio *sedis CPolitanae invasor*, bis eadem juste dejectus et in exilio mortuus, vir cetera doctissimus, historicus summus, criticus acerrimus, orator disertissimus, † c. 890; — *Simeon Metaphrastes* sic dictus, quia, quae reperire poterat, antiqua Martyrum acta et vitae Sanctorum variis additamentis exornavit, ne dicam depravavit, † c. 977; — *Oecumenius Triccensis* in Thracia Episcopus, Scholiastes graecus eximio cognomine dictus, † c. 980; — *Theophylactus Acridae Archiepiscopus*, vir sane perdoctus et in lectione Patrum apprime versatus, † c. 1085; — *Euthymius Zigabenus*, Monachus O. S. Basilii, † c. 1120; alii maxime *historiarum Scriptores*.

§. 31. In Ecclesia *latina* praeter *Romanos Pontifices* a S. Gregorio Magno deinceps fere ad unum omnes, et in his praesertim laudandos *S. Gregorium VII.*, magnum disciplinae ecclesiasticae restauratorem, († 1085) et *Innocentium III.* supra sui seculi captum omnibus literis excultum († 1216), potiori per orbem laude celebrantur *S. Columbanus Abbas Luxoviensis*, natione Hibernus, qui adscitis in suam societatem pluribus discipulis longe lateque Christum intrepide praedicavit, † 615; — *Braulio Caesaraugustanus Episcopus*, † 646; — *S. Fructuosus Archiepiscopus Bracarensis*, † 665; — *S. Julianus Toletanus Archiepiscopus*, † c. 690; — *S. Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis*, † c. 690; — *Cresconius Episopus Africanus*, † c. 703; — *Aldhelmus*,

O S. B. Monachus, deinde *Episcopus Schireburnensis*, vir undequaque doctissimus, cultissimus pro suo aevo poëta, † 709; — *S. Bonifacius* Anglo-Saxo, *Germaniae Apostolus*, Archiepiscopus Moguntinus et Fuldensis monasterii Abbas, vir sanctae sedi apostolicae addictissimus, gloriosus *Martyr*, † 755; — *Ambrosius Autpertus* natione Gallus, O. S. B. *Abbas*, sacrarum maxime literarum peritus, † 778; — *Paulus*, Warnefridi filius Lombardus, *Ecclesiae Aquilejensis Diaconus*, Desiderio regi a Secretis et Carolo M. vir acceptissimus, † 799; — *S. Paulinus*, ex agricola literarum doctor, ad *Aquilejensem patriarchatum* evectus, † 804; *Flaccus Alcuinus*, Anglus, *Eboracensis Diaconus*, linguarum doctissimus, nec non eloquentiae, poëseos, philosophiae ac theologiae cognitione plus quam vulgari imbutus *Abbas Turonensis* † 804; *Laidradus*, Caroli M. Bibliothecarius et *Archiepiscopus* deinde *Lugdunensis*, † c. 815; — *Theodulphus Episcopus Aurelianensis*, † 821; — *Amalarius junior*, Metensis Diaconus, † c. 830; — *Ansegisus* Luxoviensis primum, deinde Fontanellensis *Abbas* † c. 830; — *Eginhardus* ex orientali Francia oriundus, *Carolo M. a Secretis* et literis artibusque liberalibus haud leviter tinctus, † c. 839; — *S. Agobardus* Gallus, *Episcopus Lugdunensis*, vir cordatus et imprimis eruditus, † c. 841; — *Walafridus Strabo*, *Augiae Divitis Abbas*, literarum scientia ante alios illustris, † 849; — *Haymo* Monachus Fuldensis, postea *Halberstadensis Episcopus* † c. 853; — *Rabanus Maurus* ex Fuldensi monacho ad *Moguntinum Archiepiscopatum* promotus, vir seculi sui facile doctissimus, † 856; — *S. Eulogius* Cordubensis, *Archiepiscopus Toletanus*, post plures alios in persecutione Saracena *martyrio* coronatus, † 859; — *Drepanius Florus*, Lugdunensis Ecclesiae *Diaconus*, summis summorum virorum elogiis celebratus, † c. 860; — *Paschasius Radbertus*, Coenobii *Corbejensis Praefectus*, vir maximae apud Principes aeque atque Episcopos auctoritatis, † c. 860; — *Lupus Servatus* Presbyter Moguntinus et posthac *Ferrariensis Ab-*

bas, † 862; — *Ratramnus Corbejensis* in Gallia Monachus, celeberrimis sui temporis viris intimo amicitiae vinculo conjunctus, † c. 870; — *S. Ado* genere nobilis, O. S. B. Monachus et *Viennensis* in Gallia *Episcopus*, † 875; — *Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus*, † 882; — *Anastasius* Abbas Romanus, Romanae Ecclesiae *Bibliothecarius*, in omni doctrinae genere probe versatus, † 886; — *Usuardus* († c. 880) et *Notkerus* († c. 912) O. S. B. *Monachi*, martyrologiorum scriptores; — *Regino Prumiensis Abbas*, † c. 920; — *S. Odo* Abbas secundus *Cluniacensis*, sanctimonia et doctrina clarissimus, † 942; — *Flodoardus* Monachus et ad S. Remigium *Abbas Rhemensis*, vir admodum venerabilis, † 966; — *Ratherius Episcopus Veronensis*, vitia sui temporis magna styli acerbitate adgressus, † 974; — *S. Dunstanus* monachus dein *Archiepiscopus Cantuariensis*, vir literis satis excultus et rigidissimae vitae sectator, † 988; — *Gerbertus* Archiepiscopus Rhemensis deinde Ravennatensis ac denique sub nomine *Sylvester II. Pontifex Romanus*, † 1003; — *Bruno*, *Episcopus Herbipolitanus*, pietatis et doctrinae fama insignis, † 1045; — *S. Odilo Abbas Cluniacensis*, † 1049; — *Glaber Radulphus* ejusdem *Cluniacensis* coenobii Monachus, † c. 1050; — *Hermannus* Contractus, literis virtutibusque adeo excultus, ut seculi sui miraculum appellaretur, *Monachus O. S. B.* in monasterio Augiae Divitis, † 1054; — *Humbertus* Siculorum Archiepiscopus et S. R. E. *Cardinalis*, † c. 1067; — *S. Anselmus Lucensis Episcopus* multisque pro sede Apostolica legationibus functus, † c. 1086; — *Lanfrancus*, Beccensis Abbas, inde *Archiepiscopus Cantuariensis*, doctrinae fama nemini aetatis suae secundus, † 1089; — *S. Bruno Carthusianus*, vir sanctissimus, christianae poenitentiae exemplar et perfectissima imago, † 1101; *S. Ivo*, Lanfranco magistro usus, *Episcopus Carnutensis*, ecclesiasticae disciplinae acerrimus vindex, † 1115; — *S. Bruno*, O S. B., *Signinus Episcopus*, † 1123; — *Honorius* Augustodunensis *Presbyter* et Scholasticus, † c. 1125; — *Algerus Leodiensis*

Ecclesiae *Diaconus*, dein Monachus O. S. B. Cluniacensis, † 1131; — *Rupertus Tuitiensis* coenobii prope Coloniam Agrippinam *Abbas*, virtutibus et eloquio eximius, † 1135; — *Hugo* a S. Victore (*Victorinus*) O. S. Augustini Canonicus, scientiae theologicae laude suo aevo unus omnium maxime conspicuus, † 1142; — *Gratianus*, *Camaldulensis* ad S. Felicem Bononiae monachus, ob canonum collectionem a se adornatam celeberrimus, † c. 1160; — *Petrus Lombardus*, Theologiae Professor postremo *Episcopus Parisiensis*, Scholasticorum facile princeps, † 1164; — *Richardus*, natione Scotus, Parisiis in coenobio S. Victoris *Monachus*, Hugonis Victorini in prioratu successor, vir sacris Scripturis exercitatissimus, † 1173; — *Jacobus de Vitriaco*, Presbyter et Coenobii Ogniacensis Canonicus regularis, postremo in collegium S. R. E. *Cardinalium* cooptatus, † 1244; — *Alexander Halensis*, Anglus, *Doctor Parisiensis* et singulare Ordinis Fratrum Minorum lumen, † 1245; — *Guilielmus*, Aureliaci in Arvernia natus, *Episcopus Parisiensis*, theologus aetate sua eximius, † 1249; — *Sinibaldus Fliscus* Genuensis post Coelestinum IV. summus *Pontifex Romanus*, *Innoc. IV.* † 1254; — *Hugo a S. Caro*, Ord. Fratrum Praedicatorum alumnus, postea *Cardinalis*, propter insignem qua excelluit pietatem et eruditionem summis passim encomiis celebratus, † 1264; — *S. Raymundus de Pennaforti*, Barcione in Hispania nobili genere ortus, celeberrimus Bononiae Doctor, deinde Ordinem S. Dominici ingressus et *Apostolici Poenitentiarii* dignitate ornatus, † 1275; — *Petrus Tarantasiensis* (hodie Moustiers) in Sabaudia O. Praedic. Monachus, S. E. R. Cardinalis ac Summus denique Pontifex (*Innoc. V.*) † 1276; — *Albertus Magnus*, Lavingae in Suevia natus, Ordini Praedicatorum adscriptus, vir ingenti nominis celebritate, † 1280; aliique permulti.

3. Conceptus Patrologiae.

§. 32. *Patrologia* autem dicitur *disciplina* docens *modum Ecclesiae Patribus recte utendi in religionis christianae doctrina sive eruenda sive illustranda.* Est ea igitur scientia theologiae et *praeparatoria* et *subsidiaria*; probe autem discernenda a *Patristica*, quae Patrologiam praesupponit eamque *applicat*, actu nempe eruens doctrinam religionis adductis SS. Patrum testimoniis.

4. Scriptores patrologici.

a. Veteres et mediae aetatis.

§. 33. Multi sunt, qui de vitae fatis et Scriptis Patrum notitiam suppeditarunt, et *Patrologiae specimina* ediderunt. Inter *Graecos* quidem post *Eusebium Caesareensem* episcopum († c. a. 340), qui in *Historia* sua *ecclesiastica* [1]) etiam SS. Patrum scripta recenset, multaque nunc deperditorum fragmenta exhibet, unus *Photius Patriarcha Constantinopolitanus* († a. c. 890) in libro, cui *Myriobiblion* seu *Bibliotheca* nomen est, hanc sibi provinciam sumens animadversiones criticas et excerpta ex operibus Scriptorum ducentorum et octoginta adornavit [2]). Inter *Latinos* autem, qui operam in hoc genere scribendi posuerunt, recensendi sunt *S. Hieronymi* († c. a. 420) *De viris illustribus* liber, qui continet capita centum quinque et triginta a S. Petro ordiens et ad Chrysostomum usque descendens; *Gennadii* Presbyteri Massiliensis († c. 500) *Catalogus virorum illustrium*, quos beatum Hieronymum sequens in capitibus centum ad sua usque tempora (annum sc. 495) commemorat; *S. Isidori* Epis-

1) *Eusebii Pamphili* Histor. eccl. libri X, ex nov. recogn. c. integro Valesii commentario et selectis Readingi, Strothii, al. observatt. ed. Frid. Adolph. *Heinichen*, Lips. 1827—28. III Voll. 8.

2) *Photii* Bibliotheca, gr. et lat. cum scholiis Andr. *Schotti* S. J., Genev. 1613; nov. ed. gr. ex rec. Imm. *Bekkeri*, Berolin. 1824. II. 4.

copi *Hispalensis* († a. 636) *De viris illustribus* s. additio ad Hieronymi et Gennadii libros continuata ad annum c. 610; *S. Ildefonsi* Archiepiscopi Toletani († 667) *De Scriptoribus ecclesiasticis* liber, qui Isidorianum catalogum quatuordecim novis capitibus auxit. Post longum intervallum deinde in lucem prodierunt *Sigeberti Gemblacensis* O. S. B. († c. 1112) *Liber de Scriptoribus ecclesiasticis*, centum unum et septuaginta capita seu totidem auctorum vitas et scripta complectens; *Honorii Augustodunensis Presbyteri* († c. 1110) *De luminationibus Ecclesiae* libri IV, maxime ex Hieronymo, Gennadio, Isidoro excerpti et nonnihil augmentati; *Anonymi* cujusdam *Mellicensis monachi* O. S. B. Liber *ejusdem tituli*, qui ab ao. 500 usque ad 1120 progressus centum et septemdecim capitula complectitur; *Petri Monachi Casinensis* et Ostiensis Diaconi († p. a. 1140) *De viris illustribus Casinensibus opusculum*; *Henrici Gandaviensis* Archidiaconi († 1293) Liber *de Scriptoribus ecclesiasticis*, septuaginta fere authores recitans; *Joannis Trithemii* Abbatis Spanheimensis († 1516) Liber *de Scriptt. eccl.* usque ad annum 1444 continuatus et auctores nongentos septuaginta complectens; denique *Auberti Miraei* Liber *ejusdem tituli*, qui est continuatio Trithemii catalogi usque ad annum 1641. Atque hi omnes libri laudati, exceptis Eusebii Photiique, editi sunt in Jo. Alb. *Fabricii Bibliotheca ecclesiastica*, Hamburg. 1718. fol.

b. Recentiores et recentissimi.

aa) Catholicorum.

§. 34. Praeter *Aubertum Miraeum* multi sunt, qui post Trithemium in consignandis Patrum vitis scriptisque operam collocabant, velut *Sixtus Senensis* [1]), *Stephanus Lusignanus* [2]), *Antonius Possevi-*

1) *Bibliotheca sancta;* Francof. 1575. f.

2) *Catalogus virorum illustr. V. et N. T. nec non omnium primitivae Ecclesiae*, Paris. 1580. 8.

nus[3]), *Simon de Voyon*[4]), *Suffridus Petrus*[5]), *Petr. Halloix*[6]), alii; verum omnes longe post se reliquit Robertus *Bellarminus*, E. R. *Cardinalis*, cujus *Liber de Scriptoribus eccl.* (Romae 1613. 4) cum continuatione ab Andr. de *Saussay* Episcopo Tullensi (Tulli Leucor. 1665. 4) usque ad ann. 1660 descendit. Secuta est seculo eodem ad finem vergente Ludov. Ellies *Du Pin*, sacrae Fac. Paris. Professoris, *Nouvelle bibliothèque des auteurs ecclésiastiques* contenant l'histoire de leur vie, la catalogue, la critique et la chronologie de leurs ouvrages, Paris 1686—1714. XLVII. 8.; cum quo opere conferendi simul sunt *Remarques* sur les premiers tomes de la bibliothéque eccl. de M. *Du Pin*, par Matthieu *Petit-Didier*, Par. 1691—1696. III. 8., et *Critique* etc. par Rich. *Simon*, ibid. 1730. IV. 8. Eodem fere tempore prodierunt, quae itidem huc maxime spectant, Seb. le Nain de *Tillemont Mémoires pour servir* de guide dans les premiers six siécles *de l'histoire ecclésiastique*, Paris, 1693, XVI. 4; et Nicol. *le Nourry*, O. S. B. ex congreg. S. Mauri, *Apparatus ad Bibliothecam maximam* vett. PP. et antiqq. Scriptt. eccl. *Lugduni* editam, Par. 1703—1715. II. fol., qui libri multas et praestantissimas de vitis, scriptis et doctrina Patrum priorum seculorum dissertationes continent. Neque praetermittenda est Remy *Ceillier* O. S. B. *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, l'histoire des Concils etc. et les actes choisis des Martyrs, Paris 1729—1763, XXIV. 4; ad quos accessit *Table générale* des matières etc. par Etienne *Rondet*, ibid. 1782. II. 4. Post Rem. Ceillierum etiam in Germania fusiores patrologiae coeperunt emitti, quales Gottfr. *Lumperi* O. S. B. Pro-

3) *Apparatus sacer*, Venet. 1603; auct. et emend. Colon. Agripp. 1708. II. f.

4) *Catalogue des Docteurs de l'Eglise de Dieu*, Rupell. 1707. 8.

5) *De illustr. Ecclesiae Scriptt. auctores praecip. vett.*, Antverp. 1630. 8.

6) Vitae et Documenta illustrium *Ecclesiae orientalis Scriptorum I et II Seculi*, *Duaci* 1633—39. II. fol.

fessoris theol. ac Lycei Villingensis Praefecti *Historia theologico-critica de vitis, scriptis atque doctrina ss. Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum*, Aug. Vind. 1783—1799. XIII. 8.; qui tamen libri tria priora secula non excedunt; Fr. Wenzesl. *Goldwitzer* Bibliographie der Kirchenväter und Kirchenlehrer vom I. bis zum XIII. Jahrhunderte, Landshut 1829. 8., quam secuta est Ejusdem Patrologie verbunden mit Patristik, bearbeitet für Theologen, Nürnberg 1834. II. 8.; verum opus hoc multo quidem labore conscriptum et ad seculum usque IX. productum, ob historicos, chronologicos ac sanioris omnino critices defectus paene inutile est. Novissime prodiit J. Adami *Moehler* Prof. in litt. universit. Monacensi et nominati Decani cathedr. Eccl. Wirceburg., Patrologie oder christliche Literärgeschichte, herausgegeben von Dr. F. X. Reithmayr, Regensb. 1840. sq. 8., usque nunc Tom. I. Dolendum, quod optimus Doctor in medio hujus praestantissimi operis labore immatura morte absumtus est.

§. 35. Interea breviculae quoque rerum patristicarum descriptiones seu *patrologiae* quasi *Compendia* exarata sunt, uti Caroli *Sardagna* e S. J. *Indiculus Patrum* ac veterum Scriptorum eccl. ordine alphabetico, Ratisbon. 1772. 8.; Guil. *Wilhelmi Patrologia* ad usus academ. Friburg. Briscov. 1775. 8.; Danielis *Tobenz Institutiones usus et doctrina PP.*, Vindobon. 1779. 8., ed. auct. emend. ibid. 1819. 8.; *Macarii a S. Elia Institutiones patrologicae*, Graecii 1781. 8.; Bonifacii *Schleichert Institt. patroll.* Prag 1777. His omnibus multo melioris notae sunt Stephani *Wiest*, Ingolstadii olim sacrae theol. Professoris *Institutiones Patrologiae* in usum academ., Ingolstad. 1785. 8. Proxima deinde hujus generis opuscula Joannis Bapt. *Lang* [1]); Viti Ant. *Winter*, Prof. theol. in univers. Landishut. [2]); Jos. Leonardi *Rueff*, Prof. theol.

---

1) *Patrologia*, Budae 1809. 8.

2) Kritische Geschichte der ältesten Zeugen und Lehrer des Christenthums nach den Aposteln oder Patrologie, München 1814. 8. Pars

ac Parochi Rennhartsvillae [3]); Melch. *Kaufmann*, Prof. theol. Lucernensis [4]) parum se commendant. Neque quod J. B. J. *Busse* Prof. theolog. Braunsbergensis edidit Grundriß der christlichen Literatur, von ihrem Ursprung an bis zur Erfindung und Ausbreitung der Buchdruckerei, Münster 1828—29. II. 8., fini suo, quem inscriptio intendit, satis congruit. Magnam contra sibi laudem fecerunt A. B. *Caillau Introductio in ss. Patrum lectionem*, qua eorum tempora, vitae, opera operumque praecipuae editiones describ., Mediol. 1830—31. II. 8.; Jo. Nep. *Locherer* Prof. theol. in litt. univers. Giessensi Lehrbuch der Patrologie für akad. Vorlesungen, Mainz 1836. 8.; et Jo. A. *Annegarn*, Prof. theol. in Lyceo Hosiano Braunsbergensi Handbuch der Patrologie, Münster 1839. 8.

bb) Protestantium.

§. 36. E numero Acatholicorum primi sunt tempore, qui huic generi scribendi operam dederunt, Philippus *Melanchthon* [1]), Joann. *Gerhardus* [2]), Jo. *Bottsacus* [3]), Jo. *Hülsemannus* [4]), Jo. Chph. *Meelführer* [5]), Jo. Gottfr. *Olearius* [6]). Sequebantur hos duo VV. DD.,

---

specialis ad solos PP. apostolicos et Justinum Martyrem et Irenaeum restricta est.

3) Kurze Patrologie, Sulzbach 1828. 8. Fasciculus nonnisi primus prodiit, ita compositus, ut alterius desiderium vix cuiquam moveatur.

4) Ueber die göttliche Erblehre in den Schriften der heil. Väter, oder Grundriß der Patrologie, Luzern 1832. 8. Qui libellus quatuor dissertationes et duas appendices, alteram ex opere Fr. *Baconis Verulam.* De dignitate et augmentis scientiarum; alteram quae indiculum Patrum exhibet, ex M. *Hagelii* Demonstr. relig. christ. desumtam continet.

1) *Libellus de Scriptt. eccles.*, Viteb. 1539. 8.

2) *Patrologia*, ed. ab Ern. Gerhardi fil., Jenae 1653. 8.

3) *Patrologia*, Stettin. 1664. 8.

4) *Patrologia* unac. Ejusd. Vindiciis S. Scripturae ed. ab Jo. Ad. *Scherzer*, Lips. 1670. 4.

5) *Corona centum Patrum et Doctorum Ecclesiae*, Giessae 1760. 4.

6) *Abacus Patrologicus*, Jen. 1673. 8.; ed. auct. s. t. Bibliotheca Scriptt. eccl., Jenae 1711. 4.

qui fusius aeque ac diligentius de ss. Patribus aliisque Scriptoribus ecclesiasticis exponebant, Guilielmus *Cave*, theol. Prof. et Canonicus Windesoriensis, et Casimirus *Oudin*, s. Ord. Praemonstrat. Monachus apostata. G. *Cave* inter alia minora ejusdem argumenti scripta exaravit *Historiam literariam Scriptorum ecclesiast. a Christo nato usque ad sec. XIV.* cum append. ab aliis manibus ad annum 1517 diductam, cujus editio noviss. ab ipsomet auctore recognita et augmentata prodiit Basil. 1741. II. fol. C. *Oudini* autem *Commentarius de Scriptt. Ecclesiae antiquis eorumque scriptis tam impressis quam Mss.*, cum multis dissertt. critt., Lipsiae 1722. III. f. editus est. Extant et breviationes sive *Compendia patrologiae* 7), in quibus memoratu maxime digna videtur Jo. Georgii *Walch Bibliotheca patristica literariis annotationibus instructa*, Ed. nov. auct. et emend. a Jo. Traug. Lebr. *Danz*, Jenae 1834. 8.; accessit Ejusdem *Danzii* libellus c. inscriptione: *Initia doctrinae patristicae introductionis instar in Patrum Ecclesiae studium*, cum supplementis ad bibliothecam Walchianam, ibidem 1839. 8. Alia sunt, quae de Patribus *latinae* solum Ecclesiae agunt, imprimis J. G. Arn. *Oelrichs Commentarii de Scriptoribus ecclesiae latinae priorum sex seculorum*, cur. A. H. L. *Heeren*, Lipsiae 1791. 8.; C. Tr. Gottl. *Schoenemann Bibliotheca historico-literar. PP. latt.* a Tertulliano principe usque ad Gregorium M. et Isidorum Hispal., Lipsiae 1792—94. II. 8.; et J. Chr. Felic.

7) Pleraque vero ita composita sunt, ut vitas tantum ss. Patrum exponant, qualis est *Anonymi Biographia ecclesiastica or the lives of the must eminent Fathers*. Londini 1705. II. 8.; aut nonnisi certae Provinciae Scriptores contineat, velut Casp. *Loescher De PP. africanis*, Rochlitz. 1722. II. 8.; aut nimia brevitate et angustia laborent, ut H. J. *Pestalozzi*, Grundlinien der Geschichte der kirchlichen Literatur der ersten VI Jahrhunderte, Göttingen. 1811. 8.; et J. G. V. *Engelhardt* Literar. Leitfaden zu patrist. Vorlesungen, Erlangen. 1823. 8.

Baehr Geschichte der röm. Literatur; Supplementband: die christl.-römische Literatur, (cujus sectio I. christ. Poetas et historiarum Scriptores; sectio II. christ. theolog. continet) Carlsruhe 1836. 8.

Primus Tomus.

Patrologia Generalis.

§. 37. Si quidem *Patrologia* est disciplina theologiae docens, *qualia ss. Patrum Scripta* ad nos usque pervenerint, *quae quanta* Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum ceu testium ac doctorum divini verbi sit *auctoritas et aestimatio*, *qui* denique in lectione eorum *usus saluberrimus;* haec institutio in *tres* potissimum partes discutitur, in *partem historicam*, *dogmaticam* et *hermeneuticam*. Prout autem doctrina triplicem istam disquisitionem de Scriptis Patrum *in genere* aut de singulis singulorum Patrum libris *in specie* exponit, *Patrologia* vel *generalis* vel *specialis* dicitur. *Generalis* igitur patrologia in eo versatur, ut primum doceat de operum patristicorum origine utrum sint *genuina*; de eorum autem propagatione, partim quoad materiam, num *integra* et *sincera* ad nos translata sint, partim quoad formam, quibus nempe regulis tum *manuscripti codices* tum *libri typis expressi* ponderari debeant; quae denique sint horum praestantissimae *editiones* et optimae variorum ejusdem generis operum *collectiones*.

Pars prima.

De Scriptis Patrum Ecclesiae.

§. 38. Operum patristicorum *ingens* est ac paene innumerabilis *multitudo*, sed non omnia eadem sunt aestimatione digna. Multa enim scripserunt Patres, quae de

rebus secularibus literisque, quas *profanas* dicimus, egerunt; sed et *sacra*, quae Patrum nomine circumferuntur, monumenta alia sunt *genuina*, alia *supposititia*; *integra* alia, alia *mutila*; alia *sincera*, alia varie *depravata*. Admodum diligentem eorum omnium enumerationem cum graecorum tum latinorum praebent Rem. *Ceillier* 1), Guil. *Cave* 2), Jo. Alb. *Fabricius* 3); singula vero latinorum duntaxat Patrum scripta recensent J. Traug. Gottl. *Schoenemann* 4) et J. Chr. Fel. *Baehr* 5).

Maxima autem cujuslibet scripti monumenti virtus in eo consistit, quod *genuinum*, *integrum*, *sincerum* sit. Illud quod requiritur, ut nempe *genuinum* sit, ad *originem* monumenti respicit; alterum autem, ut sit *integrum* ac *sincerum*, ad *propagationem* attinet. Ut igitur cujusvis operis scripti ita et scriptorum patristicorum historia ad duo capita referenda est, ad originem scilicet et propagationem.

Caput I.

De operum patristicorum Origine.

A. Scripta genuina.

§. **39.** Ad *originem* operum patristicorum si respicias, alia sunt genuina, alia supposititia, alia dubia. *Genuinum* opus s. authenticum dicitur, de quo nulla adfertur dubitatio, quin ab auctore, quem in inscriptione profitetur, revera compositum sit; alias vel *supposititium*, *spurium*, *apocryphum*, quod falsum in inscriptione auctorem

---

1) Histoire générale des Auteurs sacrées et ecclesiastiques (§. 34.).

2) Scriptorum ecclesiasticorum historia literaria (§. 36.).

3) Bibliotheca graeca, ed. nov. cur. G. Chph. *Harles* (Hamburg. 1790—1809. XII. 4.) Vol. VII. sq. Item *Ejusdem* Bibliotheca latina mediae et infimae aetatis, cum *Schoettgenii* supplem., ed. corr. auct. a Dominico *Mansi*, Patav. 1754. VI. 4.

4) Biblioth. historico-literaria PP. latt. (§. 36.).

5) Die christl. röm. Theologie (§. eod.).

indicat; vel *dubium*, cujus quae praetenditur origo non ad liquidum perduci potest. Opera autem ss. Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum *pleraque esse genuina*, iisdem, quibus profanis auctoribus sua cuique opera vindicantur, argumentis criticis evinci potest. Neque in Jo. *Harduini* [1]) opinione diutius morari operae pretium est. Is enim omnem ss. Patrum auctoritatem funditus evertere intendebat, cum eorum scripta prope omnia seculo demum XIII. aut XIV. a Monachis *conficta* esse deliravit. Sed pro temeritate ista ac petulantia ingenii non solum a Maturino *Veysserio la Croze* [2]) merito castigatus, verum etiam communi omnium Protestantium aeque ac Catholicorum ne dicam reprehensione, imo potius risu notatus est.

B. Spuria.

§. 40. Quamquam autem *pleraque* Patrum scripta *genuina* sunt, tamen *multa* esse itidem *supposititia* fatemur. Satis enim constat, tantum olim quorumdam fuisse impudentiam, ut non solum *apostolicorum Patrum* sed etiam *ipsorum Apostolorum* nominibus scripta sua auderent insignire [1]). Pariter ipsimet ss. PP. *Hieronymus*, *Augustinus*, alii de falsis ejusmodi suppositionibus conquesti sunt. Inter *Graecos* Ecclesiae Patres, quorum ementito nomine nonnulla juxta genuina eorum opera aliquamdiu circumferebantur, prae ceteris locum habent *Clemens Romanus*; *Ignatius*; *Polycarpus*; *Justinus*; *Athenagoras*; *Theophilus*; *Origenes*; *Gregorius Thaumaturgus*; *Cyrilli ambo*, *Hierosolymitanus et Alexandrinus*; *Athanasius*; *Epiphanius*; *Basilius*; *Gregorius uterque*, *Nazianzenus et Nyssenus*; *Joannes Chrysostomus*; alii. Nec

1) Prolusio chronologica de Numis Herodiadum, Paris 1693.

2) Vindiciae veterum Scriptorum contra Jo. Harduinum, Roterdam. 1708. 8.

1) Jo. Car. *Thilo* Codex apocryphus N. T. e libris editis et manuscriptis collectus, Halae 1832. 8.

minus inter *Latinos Tertulliano, Cypriano, Hilario Pictaviensi, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Paulino Nolano, Leoni Magno, Cassiodoro, Gregorio Magno, Isidoro Hispalensi, Bedae Venerabili*, aliis nonnulla addebantur, quae certe ficta nunc habentur [2]). Haec omnia nominatim in *secundo tomo* recensebimus, ubi de singulis singulorum Patrum scriptis disquisitio critica instituetur.

§. 41. Nec in *causis* ejusmodi suppositionum enumerandis uberius disserere necesse est, cum istae non ita procul jaceant. Alii enim *mala fraude*, ut sibi auctoritatem et lectores conciliarent; alii, maxime *Haeretici*, ut facilius legentes deciperent et venenatam doctrinam suam securius propagarent, tantis tantorum virorum nominibus abusi sunt. Sic *Novatiani* quaedam scripta *S. Cypriano*, *Eucherii* Nestoriani opuscula *S. Athanasio*, ipsius *Nestorii* haeresiarchae sermonem *S. Chrysostomo*, *Pelagii* Commentaria in Epistolas Pauli *S. Hieronymo* attributa esse omnes norunt. Alii turpis *lucri causa* novos librorum foetus emiserunt adulterinos, supposititios, pseudepigraphos, praepositis absque ullo judicio ac pudore in frontispiciis operum, *quo carius et citius venderent*, falsis illustrium auctorum inscriptionibus; aut sub diversis duorum vel trium auctorum titulis idem opus publicarunt. Rursus alii *pia* ut dicunt *fraude*, ut gloriae vanitatem vitarent, invidiamque declinarent, suppresso suo nomine nomina aliorum Scriptorum scriptis suis praefixerunt, quemadmodum de *Vigilio Tapsensi* et *Salviano* legimus. Accessit insuper *librariorum ignorantia et negligentia*, quibus non raro accidit, ut falsa pro veris literis mandarent, vel *plura* volumina in unum compacta *uni eidemque* auctori tribuendo, vel Scriptores *diversos* ob similitudinem nominum *confundendo*, aut titulos librorum, quos propriis e. gr. *Octavii*, *Athanasii* nominibus inscripserunt, pro *ipsis* auctoribus

2) Cf. Ge. *Walch*. Biblioth. patristica (ed. nov. cur. Gottl. Lebrecht *Danz*, Jenae 1834. 8.) §§. 46. 46. p. 266—276.

habendo. Ita aliquamdiu *Arnobii adversus Nationes libris septem* perperam *Minucii Felicis Octavius*, qui inscriptus erat, libellus tanquam octavus additus est.

C. Dubia.

§. 42. Nonnunquam vero res in medio relinquenda est, quum scilicet de Auctore disputatur, et prorsus *nullis* aut *non tam manifestis* argumentis vel genuinitas eorum vel suppositio evincitur, ut omnis nobis dubitandi amoveatur ratio. Huc ejus quoque generis scripta pertinent, quae luculentum originis indicium *omnino nullum* in se habent. Ceterum libris istius modi cognitione *loci*, *temporis*, *occasionis*, quibus confecti sunt, haud parum lucis affunditur. *Regula* autem *princeps*, qua scripta genuina a supposititiis discernuntur, in *consensu operis cum auctore* consistit, quae res dignoscitur ex notis partim *internis*, si aetas, animus, stylus congruit, partim *externis*, si genuinitas testimoniis fide dignis firmata est, testimoniis videlicet vel ipsorum Auctorum, vel Scriptorum coaevorum aut proxime post viventium, vel denique omnium omnis aevi hominum. Singulas hinc critices regulas et quasi corollaria derivare facile est.

1. Suppositionis notae internae.

a. Aetas.

§. 43. *Suppositionis* manifestum argumentum praebet liber, in quo *rerum*, *personarum*, *nominum* mentio facta est, quae auctore putativo *recentiora* sunt. Sic *Quaestiones et Responsiones ad Orthodoxos* perperam *S. Justino* martyri († 167) tribuuntur; commemorantur enim illic *Manichaei*, quae secta medio tertio demum seculo orta est. Opus, quod inscribitur *De Hierarchia ecclesiastica*, incassum *S. Dionysii Areopagitae* († c. 80.) nomina praesefert; etenim de *altaribus* et *ecclesiis* Christianorum primo seculo nondum usitatis iterum atque

terum sermo redit. *Apostolorum Constitutiones Clemens I. Romanus Pontifex* († 101) collegisse falso dicitur, cum *Lectoris*, *Subdiaconi*, *Patriarchae* nomina in iis obveniant, qui gradus hierarchiae longe post, et Lectoratus quidem ordo sub finem demum seculi secundi, Subdiaconatus medio tertio, Patriarchatus titulus adeo quinto medio introductus est.

b. Animus.

§. 44. Liber item, qui res vel facta continet, quorum fictio *fabulosa* vel manibus palpari potest, aut *sententias impias*, aut *contrarias* iis, quae idem auctor in genuino aliquo et indubitato opere profitetur, merito in fraudis suspicionem incidit. *S. Ignatii* putabatur esse *epistola* quaedam *ad Philippenses*, quae opinio quam sit erronea vel ex eo concluditur, quod in ea, qui sabbato jejunarent, *Christicidae* seu *Messiae occisores* audiunt, et *apostropha in Diabolum* viro apostolico minus digna adhibetur. Similiter quae occurrit in *Constitutionibus apostolicis* collatio, qua Episcopus, Presbyter et Diaconus cum *trinuno Deo*, item Diaconus et Diaconissa cum *Christo filio* ac *Spiritu Sancto Deo* comparantur, prorsus abhorret a genio *S. Clementis Romani*, cui illud opus aliquamdiu accensitum est. De *opusculis quibusdam*, quae *D. Augustino* olim tribuebant, ipse S. Pater in libris *de Civitate Dei* absque dubio genuinis aperte dicit, nihil tale a se unquam scriptum esse.

c. Stylus.

§. 45. *Stylus*, totiusque orationis *contextus*, *modusque dicendi longe diversus* ab eo, quo in *genuinis* suis operibus usus est auctor, maximum praebet suppositionis indicium. Neque vero statim ob *exiguam* dictionis differentiam liber aliquis rejiciendus est, quia auctor idem diverse quandoquidem pro materiae, conditionis, temporis diversitate scribit; neque vero ob *solam* styli convenientiam recipiendus, quoniam quis interdum etiam

ex industria alterius stylum ad vivum potest imitari. Sic *S. Augustinus Cypriani epistolas* genuinas esse, ex una earum dictione probe consentiente cum stylo ejus alibi consueto probare adnisus est. Idem de septem *Epistolis Ignatianis* ausim contendere. *Pseudo-Isidorianas* autem *literas decretales*, quas a *diversis* primaevae Ecclesiae Romanae Pontificibus exaratas esse mentitur, quisquis eas primum evulgavit, jam prope ex sola styli conformitate ab *uno* tantum et eo quidem *longe recentiore* suppostore confictas esse, luce clarius lecturis apparebit. Contra qui *epistolam alteram ad Corinthios Clementi Romano* attributam ob solam dictionis disparitatem huic s. Patri abjudicari posse putent, vereor ne properantius id faciant, nisi *aliis* quoque et *gravioribus* argumentis sententiam suam tueri valeant.

2. Notae externae.

a. Ipsorum auctorum testimonia.

§. 46. Interdum ss. Patres, ut et alii auctores, in uno alterove libro certo *genuino* ad *alium librum* provocantes eundem *a se* scriptum esse profitentur. Sic *S. Augustinus* in opere *Retractationum* paucis ante mortem annis exarato *pleraque sua ipse* recenset opera. Sic *S. Hieronymus* in libro suo *De viris illustribus* sibi ipse quasi testatur *versionem ss. Scripturarum* a se factam dicens: *Vetus testamentum juxta Hebraicum transtuli, Novum Graecae fidei reddidi.* Extant sexcenta alia ejusmodi testimonia, quae a viris *eximia sanctitate* adeo conspicuis edita, si *claris* sunt praeterea et *expressis verbis* consignata, nihil video cur non omnem sibi fidem faciant, quamdiu quidem non alia et *graviora* suppositionis argumenta adferantur.

b. Testimonia coaevorum aut non ita multo post viventium.

aa) affirmativa.

§. 47. *Scriptoris* alicujus cetera *fide digni* testimonium eo majorem in genere vim probationis habet, *quo*

propius accedit ad aetatem ejus, cujus scripta laudat, et *quo accuratius* et *distinctius* eadem recenset. Ita e. gr. de *Epistola S. Barnabae Hieronymus* testatur: *Barnabas, Cyprius, qui et Joseph, Levites, cum Paulo gentium apostolus ordinatus, unam ad aedificationem Ecclesiae pertinentem epistolam composuit etc. Idem* cum *Eusebio*, ubi de *septem genuinis S. Ignatii Epistolis* verba faciunt, non solum *auctorem* epistolarum fuisse eundem, qui nunc usque creditur, Ignatium scilicet, *auditorem Apostoli Joannis, amicissimum Polycarpo, Episcopum Antiochenum, gloriosum Martyrem;* sed etiam *epistolarum numerum; tempus*, quo eas consignavit; *Ecclesias*, ad quas direxit singulas, et istarum ecclesiarum tunc temporis *antistites* diligentissime significarunt.

bb. negativa.

§. 48. Opera vero, quae a *Veteribus pro suppostitiis* aperte declarantur, *plerumque* recte tanquam notha rejiciuntur, nisi valida et dilucida contrarium evincant argumenta. Observandum tamen est, ab Antiquioribus persaepe *apocryphos* vocatos esse libros non solum eos, qui non sunt eorum, quorum titulis praenotantur *(pseudepigraphi)*, sed etiam eos, qui authentici quidem sed ab auctoritate canonica remoti, et in *ss. Scripturarum canone non repositi* sunt. *Hoc* sensu e. gr. *S. Hieronymus Epistolam Barnabae* Apostoli *lectam inter apocryphas scripturas* docet; non spuriam, non haereticam, non ab ecclesia repudiatam hisce innuit, imo vero *ad aedificationem Ecclesiae eam pertinere* asserit. Alterum autem testimonii genus, quod et *negativum* saepe audit, *a silentio* coaevorum et proxime sequentium Scriptorum petitur, in quo aliquanto plus est cautionis adhibendum. Argumentum enim hoc negativum *magni* quidem interdum esse ponderis non diffiteor, si praesertim *integra opera*, quae veteri cuidam auctori adscribuntur, *toti* antiquitati fuerint incognita; si omnes, qui de operibus auctorum *catalogos peculiares* adornarunt, ne *verbo* quidem scriptorum talium me-

minerint. Sed *per se sola* saepenumero *futilia* sunt isthaec argumenta a silentio petita, nisi libri, de quo quaeritur, *materia* jam ipsa *gravior;* aut propter *libri celebritatem*, quae praetenditur, Scriptores tunc temporis et paulo recentiores *non potuissent* eum *ignorare*, imo forte ob *connexitatem* materiae, quam liber ille cum rebus a se scriptis habet, *tacere non deberent;* praesertim cum iidem ceterum essent diligentiores et in enarrandis rebus memorabilibus curiosiores. Sic, ut exemplo utar, *Constitutiones apostolicas* inter *apocrypha* reponimus, non, quia *nemo Antiquorum* proximis duobus seculis, non *Victor* Papa († 201), non *Irenaeus* († 202), non *Origenes* († 253), non *Cyprianus* († 258) earum mentionem facit; sed quia *S. Irenaeus* tacet et *Origenes*, cum ille in opere *adversus Haereses*, hic autem in libro *contra Celsum* ad traditiones apostolicas certo certius provocasset; quia *SS. Victor* et *Cyprianus* altum silent, cum in controversiis diu agitatis, ille *adversus Polycratem de celebrando Paschate*, hic *contra Stephanum Pontificem Romanum de Baptismate Haereticorum* ad lib. V. c. 16. et lib. VI. c. 15. provocantes, suam uterque sententiam *apostolicae* doctrinae argumentatione confirmassent; quia, inquam, hi viri neutiquam tacuissent, si istos libros non ignorassent, ignorare autem pro summa apostolicorum operum celebritate ac veneratione non potuissent, si quidem illa monumenta revera exstitissent.

c. *Testimonia omnium omnis aevi Scriptorum.*

§. 49. Irrefutabile criterium et inter argumenta externa tutissimum est, si opus aliquod ex quo tempore scriptum est inde usque adhuc continuo ab *omnibus*, qui ejusdem mentionem fecerunt, auctoribus *absque controversia* tanquam *genuinum* agnitum receptumque sit. Ut enim omnes *uno errore* capti, aut *ex consulto* quasi conspirantes id unum egerint, ut alios fallerent, fieri omnino non potuit. Unde divus *Augustinus* eodem hoc adversus *Faustum* Manichaeum argumento utitur, et Petr. Dan.

Huetus Episcopus Abricensis: *Hoc*, ait, *axioma si quis vocaverit in controversiam, jam certum nihil habebit in literis.*

Caput II.

De patristicorum operum propagatione.

I. Quoad eorum materiam.

§. 50. Ad *propagationem* operum patristicorum quod attinet, disquisitio critica vel circa *materiam* libri vel circa *formam* versatur. Et *materiam* si respicias, alia opera sunt *integra*, alia *mutila*; rursus *sincera* alia, alia *depravata*. *Integrum* appellatur opus, quod neque totum neque ex parte aliqua majori interiit, aliter vel *deperditum* vel *mutilum* s. fragmentum dicitur. *Sincerum* autem opus est, in quo nec plus nec minus nec quidquam aliter quam in Originali continetur, secus *corruptum* s. depravatum, sive demendo aliquid, sive addendo, sive immutando, quo fit liber vel *mutilatus* vel *interpolatus* vel *immutatus*.

A. Integra et sincera.

§. 51. *Permulta* eorum, quae ss. Patres aliique ecclesiastici Scriptores literis mandabant, continuo usque *conservata* et *ad nos translata* sunt. Neque eorum, quorum interitum lugemus, omnia *revera* periisse verisimile est. Quemadmodum enim jam multa, quae diu in bibliothecis abdita delituerant, recentioribus demum ac recentissimis temporibus in lucem protracta sunt; ita et in posterum, quae nunc pro scriptis deperditis habentur, nonnulla reperiri possunt et evulgari. Quod autem ad *sinceritatem* operum patristicorum attinet, longum est nimis recensere certamina, praesertim *Germonem* inter et *Mabillonium Coustantium*que propugnata. In medio veritas; nec

facile quispiam poterit infitiari, quod *non exiguus* eorum numerus *corruptus*, variisque modis *depravatus*, omnia denique (quod fieri aliter vix potuit) plus minus *scripturae mendis contaminata* ad nostra tempora pervenerint. Sed plurimi fuerunt item proximis duobus abhinc seculis viri eruditissimi, inprimis *Maurini*, qui omnem operam ac diligentiam in eo posuerunt, ut erutis collatisque undequaque Codicibus et Exemplaribus *mutila supplerent*, *corrupta restituerent*, *mendosa corrigerent*, ita nonnunquam felici successu, ut amplius paene nihil possit desiderari.

B. Deperdita.

§. 52. *Permulta* Patrum sripta sunt *deperdita*, quae hodie, proh dolor, amplius non extant. Sic *penitus* vel ita saltem, ut praeter *tituli argumentive inscriptionem* aliquotve *fragmenta* nihil nobis supersit, interierunt monumenta, maxime apologetica, polemica, exegetica virorum celebrium *Quadrati*, *Aristidis*, *Agrippae Castoris*, *Aristonis Pellaei*, *Melitonis*, *Dionysii Corinthii*, *Apollinaris Hierapolitani*, *Hegesippi*, *Miltiadis*, *Modesti*, *Musani*, *Rhodonis*, *Maximi*, *Pantaeni*, *Heracliti*, *Candidi*, *Apppionis*, *Serapionis*, *Victoris Papae*, *Polycratis*, *Theophili Caesareensis*, *Bacchyli*, *Julii Africani*, *Alexandri Hierosolymitani*, *Apollonii*, *Caji*, *Asterii Urbani*, *Dionysii Alexandrini*; *Cornelii*, *Stephani*, *Dionysii Romanorum Pontificum*, *Firmiliani*, *Berylli*, *Tryphonis*, *Anatolii*, *Malchionis*, *Archelai*, *Theonae*, *Pierii*, *Theognosti*, *Pamphili*, *Luciani*, *Phileae*, *Alexandri Lycopolitae*, ut ne ulterius ad quartum seculum descendamus. Ex scriptis horum antiquissimorum virorum deperditis saltem *nonnulla fragmenta* nobis servarunt *Eusebius* in *Historia sua ecclesiastica*, *S. Hieronymus* in libro *De viris illustribus*, *Photius* in sua *Bibliotheca* (§. 33.). De quorum fragmentorum, quotquot reperiri potuerunt, *collectionibus* optime meriti sunt Jo. Ernest. *Grabe* [1]) et Mart. Jos. *Routh* [2]). Verum etiam

1) Specilegium ss. Patrum ut et Haereticorum I. II. III. Seculi, Oxon. 1698. 99. II. 8.; Ed. auct. emend. ibid. 1714. II. 8.

SS. Polycarpus, *Justinus martyr*, *Irenaeus*, *Theophilus Antiochenus*, *Clemens Alexandrinus*, *Hippolytus*, *Eusebius Caesareensis*, *Athanasius*, *Hilarius Pictaviensis*, *Didymus*, *Gregorius Nyssenus*, *Ambrosius*, *Epiphanius*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Paulinus Nolanus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Theodoretus*, *Leo M.*, *Avitus*, *Gennadius*, *Fulgentius Ruspensis*, *Cassiodorus*, *Isidorus Hispalensis*, *Beda Venerabilis*, alii fertilissimi Scriptores ecclesiastici multa literis consignasse perhibentur, quae inter opera eorum, *utut nunc extant*, frustra quaesieris. [3]) Alia porro *non amplius in ea*, qua primum ab ipsis Auctoribus scripta sunt *lingua*, sed in versionibus tantum servata leguntur. Sic *Clementis* Romani *Epistolae duae ad Virgines* in versione *Syriaca*; *Hermae Pastor*, exceptis nonnullis graecis fragmentis, *latine* tantum; *Theophili Antiocheni* libri IV *Commentariorum* (Scholiorum) in varia *Evangelistarum* loca, *Origenis De Principiis* tres libri priores item *latine*, *Ephraemi Syri* non pauca *graece et latine* solum nunc exhibentur. Sed de his fusior erit disquisitio instituenda in *speciali* parte Patrologiae.

§. 53. *Caussas* autem, quibus potissimum factum est, ut tot praeclarissima scripta Patrum perirent, *permultas* reperire facile est. Primo enim *ante inventam typographiam*, cum omnia *manu* describere necesse fuit, tot exemplaria non potuerunt quoquoversus emitti, ut futuro defectui prospiceretur. Fecit item *impietas Gentilium*, *Judaeorum*, *Haereticorum*, qui multa penitus e medio sustulerunt orthodoxórum virorum monumenta. Alia causa fuit *ignorantia et neglectus literarum*, qui seculis rudioribus obtinuit. Adde *bella*, *incursiones Barbarorum* et

---

2) Reliquiae sacrae s. Auctorum fere jam deperditorum II. et III. seculi fragmenta quae supersunt, ad Codd. Mss. rec. et illustr., Oxon. 1814—1818. IV. 8.

3) Cf. Bonif. *Schleichert* Instt. Patrol. (§. 35.) p. 234. sq.; Macar. *a St. Elia* (§. eod.) p. 238. sq.; Ge. *Walch* Biblioth. patrist. (§. 36.) p. 309. sq.

atroces saevientium *hostium depopulationes*, *incendia*, *alia infortunia*, quae praeter edax rerum *tempus* grassabantur.[1]) Denique fieri potest, ut quaedam illorum, quae alicubi forte in tenebris archivorum huc usque latent, a posteris protrahantur in lucem, quemadmodum paucis abhinc annis prodiit Angeli *Maji Collectio*,[2]) non paucos continens *S. Hippolyti*, *S. Gregorii Thaumaturgi*, *Eusebii Pamphili*, *S. Julii I. Papae*, *Apollinaris Laodiceni*, *S. Amphilochii*, *S. Gregorii Nysseni*, *S. Ambrosii*, *Theodori Mopsvesteni*, *S. Cyrilli Alexandrini*, *S. Anastasii Sinaitae*, *Anastasii Presbyteri*, *Anastasii Abbatis*, *Photii* aliorumque libros et librorum fragmenta, quae majores nostri inter deperdita plorabant.

C. Corrupta.

§. **54.** *Corruptiones* operum patristicorum varias jam *antiquissimis temporibus* factas esse, res satis est manifesta. Non enim *testimonia* tantum perspicua et fide dignissima ad nos pervenerunt, sed etiam *exempla* suppeditant, quae idem affirmant. *S. Irenaeus* per *viscera Salvatoris* pravos ejusmodi librorum contaminatores adjurat, ut Scriptis suis parcant. *S. Dionysius Corinthius* testante *Eusebio* epistolas suas a quibusdam, ut ait, *ministris Diaboli* zizaniis completas esse conqueritur. Conqueruntur similiter de tali nefario quorundam ausu *Tertullianus*, *Origenes*, *Eusebius*, *S. Hieronymus*, *Rufinus*, *S. Augustinus*, *S. Vincentius Lerinensis*, *S. Gaudentius*, *S. Gregorius M.*, alii.

§. **55.** Inter *causas* autem ejusmodi corruptionum primario loco numeranda *Haereticorum pravitas* est; quemadmodum jam *Origenes* in libro II contra Celsum Haereticos quosdam hujus criminis reos agit, et exempla

1) Plura refert Cast. Innoc. *Ansaldi* De inopia veterum monumentorum, Mediol. 1740. 8.

2) Scriptorum veterum nova Collectio e Vaticanis Codicibus nunc primum edita, Rom. 1825—1833. VIII. 8.

permulta, quibus id probari potest, congessit Barth. *Germon.* [1]) Recte enim Henr. *Hottinger: Quodsi*, ait, *isti ne s. Scripturae quidem pepercerunt, quid obtigisse credis Scriptoribus ecclesiasticis?* Sed cave credas Germoni, qui s. Scripturae et Patrum *libros ad unum omnes* eadem petulantia contaminatos fuisse sibi persuasum habet; id quod solide reprobavit vir clarissimus *Petr. Coustantius.* [2]) Est porro alia causa corruptionis non in dolo malo posita, verum in *librariorum ignorantia et negligentia.* Quantopere enim *sensus verborum* vel una literula demta, addita, mutata; aut prava vocularum conjunctione, vel disjunctione, vel inversione variantur! Quam facile commissum fuerit, ut plura verba fortasse etiam toti versiculi *intercidereni;* ut ea, quae Librarii in margine notarunt, *glossemata* postmodo in ipsum textum reciperentur; ut, quos ad manus habebant, codices forte *jam mutilos, depravatos*, vel nulla omnino cura supplendi emendandique habita, describerent, vel pro suo arbitratu supplerent atque corrigerent! Jam *D. Hieronymus* de ista Librariorum incuria et temeritate conqueritur dicens: *Scribunt, non quod inveniunt sed quod intelligunt, et dum alienos errores emendare nituntur, suos ostendunt.* Et quod de Librariis dictum est, de *Typographorum* quoque et *Correctorum* ignorantia vel negligentia obtinet. Bursus autem variarum corruptionum ansam dederunt *usitata antiquitus scribendi ratio*, qua sine interstitiis et interpunctionibus codices conscriberentur; *mos abbreviandi; mutatio literarum formae*, praesertim apud *Latinos* (Majuscula, minuscula, Scriptura romana antiqua, Merovinga, Longobardica, Carolingica, Gothica quae dicitur etc.); de qua re Bern. *Montfauconius* [3]) et Jo. *Mabillonius* [4]) Maurini

1) De veteribus Haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus, Paris 1713. 8.

2) Vindiciae Mssptorum Codicum, Paris 1706. 8.; item Vindiciae veterum Codicum confirmatae, Paris 1713. 8.

3) Palaeographia graeca, Paris 1708. f.

4) De re diplomatica (Lut. Paris 1681. VI. f.) T. V.

egregie disseruerunt. Denique quam multa per ignorantiam audaciamque saepe peccaverint *Critici*, praeter alios *Honoratus a St. Maria* [1]) ostendit.

II. Quoad librorum formam.

A. Codices manuscripti.

§. 56. Scripta documenta ita propagantur, quemadmodum vel ab ipsis auctoribus evulgata *(Autographa, Originalia)*, vel ab aliis postmodo descripta sunt *(Exemplaria, Copiae)*, atque haec quidem sive *Manu scripta* sunt sive *Typis impressa*. Operum autem *Manuscriptorum* pretium ex *antiquitate*, *sinceritate* et *diligenti eorum exaratione* dimetitur. Quo igitur antiquius et codici autographo proprius accedens, quo magis ab erroribus expurgatum, quo melioribus literis exaratum est manuscriptum aliquod; eo majorem regulariter fidem meretur. Unde semper, *quotquot* sibi quisque *comparare potuerit*, sedula collatione adhiberi debent Msspta ab iis, qui *editiones perfectiores* curare volunt, vel *emendationes locorum* in Auctoribus quaerunt.

1. *Codicum multitudo.*

§. 57. Antequam typographia inventa est, jam ut omnium omnino, ita et Patrum opera, nonnisi per *codices mssptos* propagari ac multiplicari poterant. *Numerus codicum patristicorum summatim immensus est* et aliquanto major quam profanorum Scriptorum copia. Quamquam enim de *Ciceronis* rhetoricis, de *Virgilii*, *Quinctiliani* et nonnullorum aliorum operibus non pauci sunt superstites; tamen a *Lactantii*, *SS. Ambrosii*, *Chrysostomi*, *Augustini*, aliorum apographis longe superantur. *Lactantii* operum editio, quam *le Brun et Lenglet du Fresnoy* curarunt,

1) Animadversiones in regulas et usum critices (Venet. 1751. III. 4.) T. I. Diss. 2.

ad *octoginta et amplius* Mss. Codd. collata est. Verum non omnium Patrum monumenta tot manibus multiplicata sunt. De *Sulpicij Severi Historia sacra* unus *Herdesianus*, de *S. Philastrii* libro *de Haeresibus* item unus duntaxat *Corbejanus* Codex superstes est. Eas, quae prae ceteris codicum mssptorum multitudine excellunt, *Bibliothecas* recenset Bern. de *Montfaucon*. 1) Utinam de cunctis notabilioribus bibliothecis tam accuratam haberemus expositionem codicum msscptorum, quam Petr. *Lambecius* de *Vindobonensi* exhibuit. 2)

2. *Patria.*

§. 58. Mssptorum codicum latinorum aliquanto major est copia quam graecorum Patrum. Et *latini* quidem codices omnes in Europa occidentali, in *Italia*, *Gallia*, *Germania superiore* et *Helvetia* a Lectoribus, aliis Clericis, praesertim *monachis O. S. Benedicti* exarati; codices autem *graeci* fere omnes primum e bibliothecis orientalibus maxime *Constantinopolitanis Romam* adportati, pauci sed ii quidem praestantiores ex *Aegypto*, *Palaestina*, *Syria* ad nos advecti sunt. Quae verro de his *graecis* Codicibus mssptis postea in *Occidente* transscripta sunt exemplaria, ex Librariorum imperitia valde plerumque *mendis inquinata* inveniuntur.

3. *Aetas.*

§. 59. Cum generatim eo majorem fidem mereatur msscriptum, quo est antiquius, omnino ad aestimandum rite valorem scire oportet illius antiquitatem. Ceterum *nullus* patristicorum operum mssptus codex *ad ipsa auctoris tempora* ascendit, et *vetustissimi* codices aetate sua finibus *undecim vel decem seculorum* non excedunt. Unus ejusmodi e numero *graecorum* est *codex Rhemen-*

1) Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum, Paris 1739. f.

2) Commentarii de bibliotheca Caesarea Vindobonensi, cur. Fr. *Kollar*, Vienn. 1766—1780. VI. fol.

sis s. Chrysostomi Homilias in Psalmos continens, qui *seculo IX.* exaratus in bibliotheca regia *Parisiensi* custoditur. *Ibidem* etiam asservatur codex opera *S. Justini martyris*; *Clementis Alexandrini*, *aliorum* complectens, qui *anno* 914 consignatus est. In *latinorum* autem Patrum antiquissimis Mssptis observante J. Fr. Lebr. *Danzio* [1]) exstat codex operum *S. Cypriani* in bibliotheca *Veronensi* adversatus; et *Lactantii* codices duo, unus *Bononiensis* alter *Taurinensis*. Hi circiter *mille* annorum esse dicuntur. Omnes autem (monente eodem *Danzio*), quotquot ad hunc usque diem ad notitiam nostram venerunt codices, vetustate antecedit Msptum, exhibens *S. Hieronymi Vitas SS. Pauli eremitae, Hilarionis et Malchi*, qui codex a. Chr. 517 ab *Ursicino* ecclesiae Veronensis Lectore descriptus, et in bibliotheca Rev. Capituli Eccl. *Veronensis* nunc est repositus. Ceterum in Codicum Mss. aetate definienda multum laboraverunt *Mabillonius* et Bern. de *Montfaucon.* [2]) qui tamen optimi viri quandoquidem lapsi sunt, ut solide probavit eorumque judicia correxit A. F. *Pfeifferus.* [3])

B. Exemplaria typis expressa.

§. 60. Respectu ad ea ss. Patrum opera habito, quae typorum ope multiplicata ad posteros translata sunt, *varia* dantur *editionum genera.* Continentur enim in iis vel singulorum Patrum nonnulla sive etiam omnia opera, vel variorum Patrum operum collectiones *(Bibliothecae patristicae)*, vel expositiones plurium Auctorum in eundem s. Scripturae librum congestae *(Catenae Patrum)*, vel ex deperditis aut superstitibus Patrum operibus loci selecti *(Chrestomathiae patristicae)*, de quibus deinceps paulo fusius dicendum.

---

1) Initia doctr. patrist. c. supplemm. ad Biblioth. Walchianam (Jenae 1839. 8.) §. 23. p. 18. not. 1.

2) in opp. supra (§. 55.) laudd.

3) Ueber Bücherhandschriften (Erlangen 1810. 8.) p. 213. sqq.

AA. Singulorum Patrum Opera.

§. 61. Cum primum ars typographiae inventa est, jam Patrum varia opera coeperunt in lucem emitti. In editionum autem istarum pretio computando ad easdem fere rationes respicere est, quas supra notavimus. Quod primum ad *aetatem* attinet, opera typis exscripta communiter in *tres classes* dividuntur, in editiones *antiquissimas*, quae adhuc factae sunt *seculo XV. usque ad annum circiter vigesimum seculi proximi;* in *medias*, quae inde *ad medium usque decimum septimum;* et in *recentiores et recentissimas*, quae ab hoc tempore *ad nostram aetatem usque* prodierunt.

1. Editiones antiquissimae.

a. *Patrum latinorum.*

§. 62. Editiones Patrum antiquissimae, quas *principes* dicunt, jure merito magno in pretio habentur, tum quia *ex optimis codicibus* et summa cum religione ac diligentia descriptae proxime ad Manuscriptorum lectionem accedunt, et *codicum deperditorum quasi vices* possunt supplere; tum quia tunc temporis nondum *Catholicos* inter et *Protestantes* orta et agitata controversia, nec ulla inde fraudulentae corruptionis ratio erat. Et *Latinorum* quidem patristicorum *antiquissima* est *Lactantii operum* editio, quae *Romae* 1465 *fol.*, moxque deinde per Conrad. *Sweynheim* et Arnold. *Pannarz ibid.* 1468, ac rursus 1470 *in fol.* prodiit, et usque ad annum 1515 *Florentiae* et *Rostochii* semel, ter *Parisiis*, undecies *Venetiis* recusa est. Sequebantur cura Jo. *Andreae* Episcopi Aleriensis per *eosdem VV. DD. S. Hieronymi Epistolae, Rom.* 1468—1470. *II Voll. f.* editae, iterumque *Moguntiae* 1470 per Petrum *Schoefferum* et passim *Parmae, Lugduni, Venetiis* saepius descriptae. Ab iisdem *Sweynhemio et Pannarz* publici juris factae sunt *S. Cypriani Epistolae et S. Leonis M. Sermones*, utrique libri *Romae* 1471 *f.;* item *S.*

Augustini De civitate Dei libri XXII. per *Vendelinum a Spira* (Spirenensem) *Venet.* 1471. *f.* ibidemque eodem anno studio Gabr. *Petri de Tarvisio,* nec multo post cum commentariis Th. Valois et Nic Triveth per Jo. *Amerbach Basil.* 1489. *f.*, qui etiam *Cassiodori Expositionem in Psalmos, ibid.* 1491. *f.* et *S. Augustini Opera omnia, ibid.* 1506. *XI. f.* evulgavit. Accesserunt aliquot libri *S. Ambrosii,* quos primus (sine loci et anni notatione) emisit *Maffellus Venia* O. S. Augustini Monachus, deinde Ge. *Cribellus, Mediolani* 1490. *f.*, denique multis quae hi omiserunt additis Joannes *Amerbachius, Basil.* 1492 *III. f.* atque rursus *ibid.* 1506. *III.* 4. Similiter *Orosii Historiarum libri VII adv. Paganos* in lucem prodierunt per Jo. *Schusslerum, August. Vindel.* 1471. *f.* *S. Gregorii M. Expositio in Jobum libri XXXV,* primum *Romae* 1474 c. praefat. *Dominici Brixiensis,* dein *Paris.* 1495. et Ejusdem Gregorii *Regulae pastoralis liber, Argentor* 1496. *fol.* Paris. 1498. 4.; et *Opera omnia* cur. Berth. *Remboldi Paris.* 1518. *f.* edita sunt.

b. Patrum graecorum.

§. 63. *Graecorum* Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum Opera pauca et ea quidem in *latina versione* duntaxat primis illis typographiae temporibus emissa sunt, e. gr. *Eusebii Caesareensis Praeparatio Evangelica* ex versione *Georgii Trapezuntii,* ed. per Nic. *Jenson, Venet.* 1470 *fol.*, Travisii 1480. f., Patavii 1497. f.; *Origenis libri VIII contra Celsum* ex versione Chph. *Porsenae* per Ge. *Heroldum Bambergensem, Rom.* 1481 *fol.;* *S. Athanasii* Scripta quaedam latine reddita ab *Omnibono Leonicensi, Vincent.* 1482 *f.;* mox ejusdem Athanasii *opera omnia ab eodem* latinitate donata, *Tubing.* 1515, et Paris. 1519. f.; item *S. Chrysostomi Opp.* ed. apud *Aldum, Venet.* 1503 *II. f.* iterumque ex officina Jac. de *Pfortzen, Basil.* 1504. *f.* quam multi perperam editionem illa priorem tempore putant. Has aliasque inter principes editiones ad annum usque 1536 evulgatas recenset Jac.

Panzer in Annal. typograph., Norimberg. 1793—1803. XI. 4.

2. Editiones mediae.

a. Stephanianae.

§. 64. Cum *tertio* circiter decennio seculi *decimi sexti* incipit aetas quasi *media* typographiae, qua aetate magis magisque pristina typographorum diligentia recessit et *incuriae*, *festinationi*, *auri cupiditati** locum dedit. Fuerunt autem et hac aetate nonnulli, qui cum summo literarum studio et indefessa emendationis opera maximam typorum elegantiam jungentes tanta cum laude artem suam exercuerunt, ut facile *principem* sibi *locum inter typographos* facerent. In his praecipue inclaruit *Rob. Stephanus* Parisiensis († 1559), vir literis *latinis graecis*, *hebraicis* multum excultus, qui exemplaria procusa tum *ipse*, tum per *correctores*, quorum decem in stipendio habebat, perlustravit et emendavit, imo alios viros eruditos ad ferendam censuram praemiis provocavit, quo codices emendatiores prodirent. Ex ejus officina *Parisiana* prodierunt *Eusebii Pamphili Opera*, et primum quidem *anno* 1544 *in fol.* ejus *Praeparatio evangelica*; sequebantur eodem anno ejusdem *Historiarum eccl. libri X* unacum *Socratis*, *Sozomeni*, *Theodoreti*, *Theodori et Evagrii* historiarum libris, subjectisque insuper libro *De martyribus Palaestinae* et *Vitae Constantini M. libb. IV.*; proximo deinde anno in lucem emissa est Ejusdem *Demonstratio evangelica*, 1545 *fol.*, demum ao. 1551 *S. Justini Martyris Opera. fol.*

§. 65. Roberti Stephani patris eruditionem aequavit imo etiam superavit *Henric. Stephanus* filius († 1594), qui magnam famae celebritatem nactus, post varia vitae fata rebus omnibus destitutus et ad extremam paupertatem redactus, Lugduni in nosocomio mortuus est. In evulgatis ab eo *patristicis* libris (ut de *profanorum* auctorum permultis editionibus taceamus) duo sunt commemorandi *S. Athenagorae* libelli, nimirum *Apologia pro christianis*, gr. c. interpre-

tatione lat. Conr. *Gesneri* et Henr. *Stephani* annotationibus; item *De resurrectione mortuorum*, gr. c. versione lat. Petr. *Nannii* et H. *Stephani* notis, *Paris* 1557. 8. Ad Stephanos patrem et filium proxime accedunt inter reliquos tunc temporis typographos *Parisienses Fridericus Morellus*, cui debemus *S. Gregorii Naz. Opera* c. scholiis Jac. *Billii*, *Paris*. 1609. *II. fol.*, et *S. Gregorii Nyss. Opera* c. nott. Frontonis *Ducaei*, *ibid.* 1615. *II. f.*; item *Carolus*, *Claudius ac Dionysius* ex eadem familia Morelli; porro *Cramoisius*, *Vitrius*, *Petitus*, Hadr. *Turnebus*. His adcensendi sunt *Paulus Manutius* Aldi filius, qui *Venetiis*; et Hieron. *Commelius*, qui *Genuae* artem typographicam cum laude tractabant.

b. Frobenianae.

§. 66. Praeter *Stephanianas* autem ad initium sexti decimi seculi maxime eminent Patrum editiones, quas *Joannes Frobenius* († 1527) ejusque filius *Hieronymus* adornarunt. Hi etenim viri singulari eruditione, industria et rei literariae promovendae studio, adjutique a doctissimis *Correctoribus*, inprimis Desiderio *Erasmo* Roterdamensi, neque ullis parcentes sumtibus opera evulgabant, quae ob *nitorem*, *elegantiam*, *chartae soliditatem* hodiedum admiratur politior orbis, quamquam isthaec *non omni naevo* carent, cum praesertim *Erasmus* non immerito accusatur, quod plus ingenio suo ac propriis conjecturis tribuerit quam msstorum codicum fidei. Inter *Latinorum* Patrum editiones, quae ex officina Frobeniana in lucem prodierunt, praecipuae sunt *S. Hieronymi Opera* c. scholiis *Erasmi*, *Basil.* 1516. *IX.*, melius *ib.* 1537; *S. Cypriani Opp. ibid.* 1520. *f.* et iterum 1525 f.; *Tertulliani Opp. ibid.* 1521. *f.* ac saepius, emend. et illustr. per *Beatum Rhenanum*, *ibid.* 1539 *f.*; *S. Hilarii Pictaviensis Opera* c. praefat. *Erasmi ibid.* 1523, iterumque 1525 *fol.*; *S. Ambrosii Opp.* per Desid. *Erasmum*, *ib.* 1527. IV Ti. in *II Vol. f.*; *S. Augustini Opp. omnia* ex emendatione *Erasmi*, *ib.* 1528. *X. f.* Similiter *graecorum* Patrum editiones,

S. Irenaei, Opera *Basil.* 1526. *fol.*; *S. Chrysostomi*, *ibid.* 1530. *V. f.*; *S. Basilii M.*, *ibid.* 1532. *f*

3. Editiones recentiores et recentissimae.

§. 67. Adspexerunt istae lucem maxime *seculo XVII. et XVIII.*, atque ita adornatae sunt, ut, si non omnes, permultae tamen prioribus antecellant; cum praesertim multa *nunc primum e tenebris eruta* monumenta contineant, *variantes* e libris Msspti͏s undequaque collectas *lectiones*, accuratiores graecorum operum *versiones latinas*, *emendatiorem textum* et *historicos*, *geographicos*, *criticosque* omnino *apparatus* exhibeant. Accedit, quod earum pars maxima *typorum* quoque Iuculenta et grata *forma*, *chartae soliditate*, *vestitu* omnino *elegantiori* se commendant, imprimis quae *Romae*, *Venetiis*, *Veronae*; quae *Lutetiae Parisiorum* ex typographia *regia* et impensis *Societatis typographicae*, *Lugduni*; quae *Oxonii* in theatro *Sheldoniano*, *Londini et Cantabrigae*; quae *Amstelodami*, *Antverpiae*, *Lugduni Batavorum*, *Bruxellis*, item *Basileae* typis evulgatae sunt.

a. Editores optime meriti.

aa. in Gallia.

§. 68. De edendis ss. Patrum scriptis *recentiore tempore in Gallia* praecipuam sibi laudem atque immortalem apud posteros memoriam paraverunt *Monachi O. S. Benedicti ex congregatione S. Mauri*, imprimis *Hugo Menard*, *Lucas D'Achery* (Dacherius), *Joann. Mabillon*, *Gabriel Gerberon*, *Jo. Garet*, *Thomas Blampin*, *Fr. Delphau*, *Petr. Coustant*, *Jac. du Frische*, *Nicol. le Nourry* (Nourrius) *Jo. Martianay*, *Theodoric. Ruinart*, *Bern. Montfaucon*, *Dionysius Sainte-Marthe* (Sammarthanus), *Guil. Bessin*, *Renat. Massuet*, *Ant. Pouget*, *Augustin. Touttée*, *Prudent. Maranus*, *Julian. Garnier*, *Car.* et *Vincent. de la Rue*, *Car. Clemenceti.* Uberiorem notitiam de PP. editt. a Maurinis curatis suppeditat D. *Herbst* Die Ver-

dienste der Mauriner um die Wissenschaften, in Drey etc. Theolog. Quartalschrift, *Tubing.* a. 1833. I. 3.

§. 69. Praeter Monachos *Maurinos* de patristicorum editionibus in Gallia optime meruerunt nonnulli *Societatis Jesu Presbyteri*, ut *Fronto Ducaeus* (le Duc), *Jac. Sirmondus*, *Jac. Gretserus*, *Dionys. Petavius*, *Fr. Chifflet*, *Thph. Raynaud*, *Jo. Garnerius*; porro *alii VV. DD.* ut *Jac. du Breul*, O. S. B. Monachus ad S. Germani Parisiensis; *Desid. Heraldus*, Jurisconsultus Paris.; *Steph. Baluze*, Tutelae natus, Iconsultus Parisiensis; *Nic. Rigaut* (Rigaltius) Ictus Paris.; *Aubert. le Mire* (Miraeus), Bruxellanus; *Fr. Combefisius*, Ord. Praedicat.; *Jo. Bapt. Souchet*, Canonicus regul. Carnutensis; *Petr. Jammy*, Ord. Praedic.; *Henr. Valois* (Valesius), Philologus Paris.; *Phil. le Prieur* (Priorius); *Petr. Daniel Huet*, Episcopus Abricensis; *Jo. Bapt. Cotelerius*, Prof. Societ. Sorbon. Theol.; *Lud. Ellies du Pin* (Dupinus), item S. Facult. Paris. nec non Philos. reg. Professor; *Paschasius Quesnell*, Theologus Paris., Presbyt. Congregat. Oratorii, Jansenismi propugnator; *Jo. Bapt. le Brun*, Philolog. Paris.; *Nicol. Lenglet du Fresnoy*; *Urb. Mangeant*; *Mich. le Quien*, Ord. Praedic.

bb. in Britannia.

§. 70. Inter *Anglicanos* operum patristicorum editores eminent *Mericus Casaubonus*, Theolog. et Philolog. Oxon.; *Patricius Young (Junius)* Jac. I. et Carol. I. Regg. Anglo-Britt. Bibliothecarius; *Jac. Usserus*, Archiepiscopus Armachanus, Princeps Senatus Hiberniae; *Isaac Vossius*, Canonicus Windsoriensis, Philologus; *Wil. Spencerus*, Phil. et Theolog. Cantabrig.; *Jo. Pearsonius*, Episc. Cestrensis; *Jo. Fellus*, Episc. Oxoniensis; *Jo. Ern. Grabius*, Regiomontanus, in Anglia literator privatus; *Wil. Worthus*, Archidiaconus Wigorniensis; *Thom. Millesius*, S. Theol. Baccalaur. Oxoniensis; *Jo. Davisius*, Collegio Reginae apud Cantabrig. Praefectus; *Thom. Smithus*, Eccl. Anglicanae Presbyter; *Jo. Potte-*

rus, Episcopus Cantuariensis; *Henr. Wottonus*, Praebendarius Sarisberiensis, theol. Dr.; *Wil. Readingus*, Bibliothecarius officinae librariae Sionis Londini; *Jo. Jacksonus*, Eccl. Anglic. Presb.; *Rich. Russelius*, alii.

cc. in Italia.

§. 71. In *Italia* praecipua commemoratione digni sunt *Constantinus Caetanus*, O. S. B. e congreg. Casinensi Monachus; *Leo Allatius*, Gregorio XV. R. P. a Bibliotheca; *Jos. Maria Suaresius*, Episcopus Vaisonii; *Jo. Salinasius*, Canonicus reg. Congr. Lateran. et S. Theolog. Lector; *Jo. Sim. Assemannus*, Archiepiscopus Tyri, Bibliographus RR. PP. et Bibliothecae Vaticanae Praefectus; *Steph. Evodius Assemannus*, Archiepiscopus Apameae; *Dominic. Vallarsius*, Presb. Veronensis; *Jo. Fr. Madrisius*, Presb. Congr. Oratorii Venet.; *Lud. Ant. Muratorius*, Ducis Mutinensis Bibliothecarius; *Hieron. de Prato*, Congr. Oratorii Veron. Presbyter; *Petr. Thom. Cacciari*, Carmelita Rom., Theol. Lector; *Joann. de Augustinis* et *Joannes Illuminatus*, Ord. Fratr. Minor. Monachi Venetiani; *Bened. Bonelli*, ejusdem Ord. Monach. Gallicus; *Petrus et Hieron. fratres Ballerini*, Theologi Veronenses; *Bern. Maria de Rubeis*, Ord. Praedic. S. Dominici; *Sebast. Paolo*, Canonicus regul. Congr. B. M. V. Lucensis; *Jo. Dominic. et Jac. Coleti*; *Andr. Gallandius*, Presb. Congr. Oratorii Venet.; *Bruno Bruni*, tecto nomine Victoris Amadei; *Mich. Angelus Lucchi*; *Simon Dominic. de Magistris*; *Faustin. Arevalus*; *Octav. Frangepani*; *Angelus Majus*; alii.

dd. in Hispania et Belgio.

§. 72. In *Hispania* pauci fuere, qui patristici monumenti editionem curarunt, ut *Lud. Vives*, Valentia natus, Presb. S. J., post Philologus Lovaniensis; *Ambr. Morales*, Cordubensis Presb. et Philippi II. regis Historiographus; *Jo. Grial*; *Lud. de la Cerda*, S. J. Presb., Philolog. Toletanus; *Fr. de Lorenzana*. Aliquanto vero

plures in *Belgio* exstiterunt, velut *Jo. Aleaume; Henr. Grave* (proprio nomine *Vermolanus*) Ord. Praed. Mon.; *Jac. Pamelius*, Archidiaconus et dein Episc. Audamaropolitanus; *Geverhard. Elmenhorstius*, Philologus Hamburgi vitam privatam degens; *Gerhard. Vossius*, Tungrensis Episcopus; *Jo. Drusius*, Prof. Lingg. Orientt. Lugduni Batavorum; *Alardus Gazaeus* (Gazey), O. S. B. in Monasterio Vedastino Mon.; *Andr. Schottus*, S. J. Presb. Antwerp.; *Claud. Salmasius*, Polyhistor et Criticus; *Jac. Gronovius*, Pisae primum, deinde Lugduni Batav. in Academ. Archaeologus; *Jo. Clericus*, Genevae nat., theologus Arminianus Amstelodamensis; *Steph. le Moyne*, Theolog. et Philol. Prof. in Acad. Lugdun. Batav.; *Sigebert. Havercamp*, Academiae Leidensis Archaeologus; alii.

ee. in Helvetia et Germania.

§. 73. Inter *Germaniae* Eruditos in Patrum Ecclesiae monumentis denuo evulgandis et illustrandis non sine laude operam navarunt *Beatus Rhenanus*, Selestadiensis, Philologus Argentorati privat. agens; *Frid. Sylburg*, Philolog. Heidelbergensis; *Dav. Hoeschel*, Scholae Augustanae Rector et Bibliothecarius; *Nic. Serarius*, S. J. Presb.; *Henr. Canisius*, S. J. Presb. Prof. Jur. can. in litt. Univers. Ingolstad.; *Conr. Rittershusius*, Philol. gr. et lat. Pr. Altorf.; *Casp. Barth*, Custrini natus, Lipsiae vit. privat. degens; *Ge. Colvenerius*, Duacensis Academiae Cancellarius; *Andr. Rivinus*, Philol. Lipsiensis; *Jo. Ge. Pritius*; *Jo. Rud. Wettstenius*, Theol. ac Philol. in Acad. Basileensi Prof.; *Chph. Cellarius*, Histor. et Eloqu. Prof. Halensis; *Jo. Alb. Fabricius*, Gymnasii Joannei Hamburgensis Rector; *Jo. Chph. Wolf*, Ecclesiae Hamburg. Pastor; *Chph. A. Heumann*, Prof. Goettingensis; *Jo. Ludph. Bünemann*, Scholae Mindensis Rector; *Jo. Lud. Schulze, I. G. Lindner; Jo. Salom. Semler; Chr. Gottfr. Schütz; Fr. A. Stroth; Fr. Oberthür; M. Denis; E. Klüpfel; J.*

Conr. Orelli; J. C. Thilo; Chr. G. Augusti; Ern. Zimmermann; Immanuel Bekker; Frid. Adph. Heinichen; J. W. P. Braun; R. Klotz; J. G. Krabinger; A. Holzmann; E. de Muralt; C. H. Bruder; Ed. Herzog; Jos. Car. Hefele; alii.

b. Editiones recentiores praestantissimae.

aa) Opera I. II. III. Seculi.

§. 74. *S. Barnabae Epistola catholica* c. nott. Hug. *Menardi* ed. Luc. *D'Achery*, Paris. 1645. 4. — *S. Hermae Pastor*, c. animadv. Casp. *Barthii*, Cygn. 1655. 8. — *S. Clementis Romani, Epistolae ad Corinth.* cur. Henr. *Wottoni*, Cantabrig. 1718. 8.; *Ejusdem Epp. duae ad Virgines*, in Jo. Dominic. *Mansi* Collectione Conciliorum noviss. et ampliss. (Florent. 1759—1767, et continuat. Venet. 1769—1798. XXXI. fol.) T. I. p. 144—157. — *S. Ignatii* Antiocheni *Epistolae VII. genuinae*, gr. et lat. unac. *S. Polycarpi Epist. ad Philipp.*, Oxon. 1709. 4. ed. a Thom. *Smitho*. — *Anonymi* viri apostolici *Epistola ad Diognetum*, in C. J. *Hefele*, Theol. Dr. et Prof. Tubing. Operibus Patrum Apostolicorum (Tubing. 1839. 8.) gr. p. 125—136. — *S. Justini* Martyris, item *Tatiani, Athenagorae, Theophili, Hermiae Opp.* ed. cura et stud. unius (Prud. *Marani*) Mon. ex Congr. S. Mauri, Paris. 1742. f. — *S. Irenaei Adversus Haereses libri V.*, ed. Renat. *Massuet*, Paris. 1710 f.; iterum typis exscript. Venet. 1734. fol. — *Tertulliani Opera*, Nic. *Rigaltii* observatt. et nott. illustrata, Paris. 1634 et 1641. fol.; *Giraldi*, c. Comment. *Havercamp.* Venet. 1744. f.; cur. Sal. *Semleri* (et Chr. Gfr. *Schützii*) Hal. 1770—75. VI. 8. — *Clementis Alex. Opera* quae exstant, recogn. et illustr. Jo. *Potterus*, Oxon. 1715. f.; auct. Venet. 1757. II. f.; ed. noviss. Reinh. *Klotz*, Lips. 1831. sq. IV. 4. — *Minucii Felicis Octavius*, ex rec. Jo. *Davisii*, Cantabrig. 1707. 8.; c. nott. J. G. *Lindneri*, Longosalissae. 1760. 8. — *S. Hippolyti Opp.* nott. illustr. ed.

gr. et lat. cur. Jo. Alb. *Fabricii*, Hamburg. 1716—1719. II. f. — *Origenis Opp. omn.* ed. Car. (et Vincent.) *de la Rue*, Paris. 1733. IV. f.; recus. Wirceburg. 1780—95. XV. 8.; nov. ed. Car. Henr. *Lommatzsch*, Berol. 1831. sq. IV. 8. — *S. Cypriani Opp.* ex rec. Steph. *Baluzii* absolv. Prud. *Maranus*, Paris. 1726. f.; cur. Fr. *Oberthür*, Wirceburg. 1782. II. 8. — *Novatiani Opp.* post Jac. *Pamelium* rec. et illustr. Jo. *Jackson*, Londin. 1728. 8. — *S. Gregorii Thaumaturgi Opp.* gr. et lat. interprete Gerh. *Vossio*, Mogunt. 1604. 4. — *S. Dionysii Alexandrini Opp.* ed. Sim. Domin. *de Magistris*, Rom. 1796. f. — *S. Methodii* (unac. *SS. Amphilochii* et *Andr. Cretensis*) *Opp.* recog. nott. illustr. a Fr. *Combefisio*, Paris. 1644. II. f. — *S. Petri Alexandrini Epist. canonica*, ext. in H. *Beveregii* Synodicon s. Pandectt. Canonum Apostol. et Concil. (Oxon. 1672. II. f.) p. 8—53.

bb) Opera Secl. IV.

§. 75. *Arnobii adversus Gentes Libri VII.* ex rec. *Salmasii* c. nott. *Elmenhorstii* et *Heraldi*, Lugd. Bat. 1651. 4.; ed. nov. J. C. *Orellii*, Lips. 1816. II. 8. — *Lactantii Opp.* ad. 80 Codd. Mss. et 40 editos coll. c. nott. *Baluzii*, *Cuperi*, al. studio J. B. *le Brun* et Nic. *Lenglet du Fresnoy*, Paris. 1748. II. 4.; recus. cur. Fr. *Oberthür*, Wirceburg. 1783. II. 8. — *Juvenci Historia evangelica* c. nott. Erh. *Reusch*. Lips. 1710. 8. — *S. Eustathii In Hexaëmeron* et *De Engastrimytho*, ed. Leo *Allatius*, Lugd. 1629. 4. — *Eusebii Caesareensis Chronicon* bipartitum, (Chronographia et chronicus canon) ed. armeniace et lat. ab. J. B. *Aucher*, Venet. 1818. 4. Ejusdem *Praeparationis Evangelicae libb. XV.*, gr. et lat., ed. Fr. *Vigerus*, Paris. 1628. f.; et *Demonstrationis evangelicae libb. XX.* (quorum X. tantum supersunt) c. nott. gr. et lat. ed. studio R. M. (Rich. *Montacutii*) Par. 1628. f.; insunt huic editioni etiam *Libri II. contra Marcellum Ancyranum* et *De ecclesiastica theologia libri III.* Ejusdem *Historiae eccles. libri X.* et *De vita Constantini Libri IV.*,

gr. et lat. ex rec. Ern. *Zimmermann*, Frcfrt. 1822. 8.; nov. recogn. F. A. *Heinichen*, Lipsiae 1827. 28. III. 8. Ejusdem Hist. eccl. unac. *Socratis Scholastici*, *Hermiae Sozomeni*, *Theodoreti*, *Evagrii*, *Philostorgii* et *Theodori Lectoris* opp. ex ed. H. *Valesii* emend. illustr. gr. et lat. ed. Guil. *Reading*, Cantabrig. 1720. f., Aug. Taur. 1748 f. — *Eusebii Emeseni* quae supersunt *opuscula* graeca, nott. illustrata J. C. G. *Augusti*, Elberfeld 1829. 8. — *Firmici Materni De errore profanarum religionum*, ed. Fr. *Münter*, Havniae 1826. 8. Idem unac. *Minucii Felicis* Octavio ed. Jac. *Gronovius*, Lugd. Bat. 1706. 8. — *S. Jacobi Nisibeni Sermones*, c. nott. et dissertt. nunc primum (cur. N. *Antonelli*) armenice et lat. ed. Rom. 1756. f. — *S. Hilarii Pictaviensis Opp.* ed. stud. et labore Monachorum O. S. B. Maurinorum (Petr. *Constant.*) Par. 1693. f.; auct. (cur. Scip. *Maffei*) Veron. 1730. II. f.; recud. cur. Fr. *Oberthür*, Wirceburg. 1785—87. IV. 8. — *S. Eusebii Vercellensis Epistolae*, insunt Andr. *Gallandii* Biblioth. vett. Patrum. (vd. §. 81.) T. V. p. 78. sq. — *S. Athanasii Opp.* ed. stud. Monach. Maurinorum praesert. Bern. *de Montfaucon*, Par. 1698. III. f.; addito tomo quarto, qui nova continet opuscula et fragmm. antehac inedita, cur. Nic. Ant. *Giustiniani*, Patav. 1777. IV. f. — *Duorum Victorinorum (Fab. Marii* et *Petavionensis) Reliquiae sacrae*, ed. ab Andr. *Rivino*, Gothae 1653. 8. — *S. Zenonis Veronensis Sermones* edd. Petr. et Hieron. fratres *Ballerini*, Veron. 1739. — *S. Ephraemi Syri Opp.*, syr.-lat. et graec.-lat. edd. c. nott. Jos. *Sim. Assemanni* (et *Evod. Assemanni* et Petr. *Benedetti*), Rom. 1732—1746. VI. f. — *S. Basilii M. Opera*, gr. et lat. ed. studio Jul. *Garnieri* Paris. 1721—30. III. f.; recus. Venet. 1751. III. f. — *S. Optati Milevitani De schismate Donatistarum Libri VII.* ed. c. nott. Lud. Ell. *du Pin*, Paris. 1700 f.; recud. cur. *Oberthür*, Wirceburg. 1790—91. II. 8. — *S. Damasi Papae Opp.* quae extant, c. nott. Martii Milesii *Sarrazanii* ed. F. *Ubaldin*. Rom. 1638. 4.; auct. et illustr. ab

Ant. Maria *Merenda*, Rom. 1754. f. — *Luciferi Calaritani Opuscula* edd. Fratres *Coleti*, Venet. 1778. f.; item in Andr. *Gallandii* Biblioth. T. VI., p. 155. sqq. — — *S. Cyrilli Hierosolymitani Opp.* gr. et lat. ed. stud. Ant. Aug. *Toutée*, Paris 1720. f.; recus. Venet. 1763. f. — *SS. Philastrii et Gaudentii Opp.* edita c. nott. Jo. Alb. *Fabricii* et specileg. Paul. *Galeardi*, in Card. *Quirini* Vett. Brix. Episcopp. Opp., Brixiae 1738. f. — *S. Gregorii Nazianzeni Opp.* gr. lat. ed. Jac. *Billus*, Paris. 1609—11. f. auct. et nott. illustr. ed. Venet. 1753. II. f.; castig. multisque aucta ed. Car. *Clemenceti*, T. I. Paris. 1778. f. (imperfect.); *Prudentii Carmina* illustr. Faust. *Arevalus*, Rom. 1788. II. 4. — *S. Paciani Opp.* (unac. Claud. *Mamerto*) ed. Casp. *Barth*, Cygneae, 1655. 8.; extant item in Andr. *Galland.* Biblioth. vett. PP. T. VII. p. 257. sqq. — *S. Macarii Aegyptii Homiliae L* et *Opuscula VII. ascetica* et *apophthegmata*, gr. et lat. ed. Jo. Ge. *Pritius*, Lips. 1698—99. II. 8. — *Didymi Alexandrini* varia *Opp.* primum collecta in Andr. *Galland.* Biblioth. PP. T. VI. — *S. Phoebadii Lib. contra Arianos etc.* c. nott. in *Gallandii* Biblioth. PP. T. V. p. 250. sq. — *S. Gregorii Nysseni Opp.* gr. et lat. ed. Fronto *Ducaeus*, c. append. a Jac. *Gretsero*, Paris. 1615. II. f.; ibid. 1638. III. f. — *S. Ambrosii Opp.* edd. Fel. Cardinal. de *Monte Alto* (et J. B. *Bandini*) Rom. 1579—87. VI. f., deinde Paris 1603. V. f., postremo stud. Monachorum Maurin. (Jac. *du Frische* et Nic. *le Nourry*) Par. 1686. 90. II. fol.; recus. Venet. 1748. II. f. — *S. Epiphanii Opp.* gr. lat. et animadv. illustr. Dionys. *Petavius*, Par. 1682. II. f. — *S. Joannis Chrysostomi Opp.* stud. Bern. *de Montfaucon*, Par. 1718. XIII. f., recus. Venet. 1734. sq. XIII. f., iterum 1780. XIV. 4.; *Ed. nov.* Paris 1835. sq. (usque nunc XIII. Vol. 8.) — *Rufini Opp.* ad codd. msspt. emend. Dominic. *Vallarsi*, Veron. 1745. T. I. f. *(imperfect.)*. — *Sulpicii Severi Opp.* c. nott. Jo. *Clerici* ed. Chr. *Schoettgen*, Lips. 1709. II. 8.; nov. stud. et lab. Hieron. *de Prato*, Veron. 1741. 1754. II. 4. (omissis tamen epistolis);

Opp. *omnia* extant in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. VIII. p. 355. sqq. — *S. Hieronymi Opp.* edd. studio Maurinorum (Ant. *Pouget* et Jo. *Martianay*), Paris. 1693—1706. V. fol.; auct. notisque ill. ed. stud. et lab. Domin. *Vallarsi* (adjuv. March. Scipione *Maffeo*), Veron. 1734—1742. XI. f.; recus. Venet. 1766—72. XI. 4. — *S. Augustini Opp.* edd. stud. Monachorum O. S. B. e Congr. S. Mauri (Thom. *Blampini* et Petri *Coustantii*) Paris. 1679—1700. XI. f.; Ejusd. *Sermones inediti* ed. et illustr. a Mich. *Denis*, Viennae 1792. f.; item *Epistolae*, lat. et ital. ed. nunc primum ab J. *Andresio*, Parmae 1804. 8.; *Sermones X.* nunc prim. ed. cur. Octav. *Frangipani*, Rom. 1819. f.; Augustini Opp. Supplem. contin. *sermones ineditos* extractos ex Archiv. Montis-Cassini et ex biblioth. Laurentiana-Medicea Florent. cur. et stud. D. A. B. *Caillau* et D. B. *Saint-Yves*, Paris. 1836. f.; Opp. omn. *ed. altera* Parisiana auct. et emend. Paris. (Lips. ap. Voss) 1835 sqq. usque adhuc X Voll. 8.

cc) Opp. Seculi V.

§. 76. *Pauli Orosii Adv. Paganos libri VII.* ed. Sigeb. *Havercamp;* Lugd. Bat. 1738. 4.; ibid. 1767. 4. — *Synesii Opp.* gr. et lat. c. nott. Dion. *Petavii*, Par. 1612. f. ac saepius. — *Palladii Historia Lausiaca*, ed. gr. c. nott. Jo. *Meursii*, Lugd. Bat. 1616. 4.; Ejusd. *Vita Joannis Chrysostomi*, ed. Emer. *Bigot*, Paris. 1680. 4.; et *De Gent. Ind. et Brahman.* ed. Edu. *Bissaeus*, Lond. 1668. 4. — *S. Paulini Nolani Opp.* ed. J. B. *le Brun* des Marettes, Par. 1685. II. 4.; rec. Lud. Ant. *Muratorius*, Veron. 1736. f.; acced. *SS. Episcoporum Nicetae et Paulini Scripta nunc ex Vatic. Cod. edita* ab Ang. *Majo*, Rom. 1728. 4. — *S. Joannis Cassiani* Opp. ed. Alard. *Gazaeus*, Duaci. 1616. II. 8.; auct. Lips. 1733. f. — *Sedulii Mirabilium divinorum libri V.*, ed. J. Fr. *Gruner*, Lips. 1747. 8.; recens. Faust. *Arevalus*, Rom. 1794. 4. — *Dracontii Opp.* c. nott. ed. F. *Arevalus*, Rom. 1791. 4.; J. B. *Carpzov*, Helmstad. 1794. 8. — *Theodoti An-*

cyrani Opp. nunc primum collect. ab Andr. *Gallandio*, in Biblioth. vett. PP. (vd. §. 81.) T. IX. — *S. Cyrilli Alexandrini Opp.* lat. ed. *Gentianus Hervetus*, Par. 1604. II. f.; gr. et lat. ed. Jo. *Aubertus*, Paris. 1738. VII. f. — *S. Procli* Constantinopolitani *Opp.* quae supersunt omnia, gr. et lat. in *Gallandii* Biblioth. T. IX. — *S. Isidori Pelusiotae Collationes* ed. Petr. *Possinus*, Rom. 1670. 8. — *S. Hilarii Arelatensis Opp.* (unacum *S. Vincentii Lerin.*) rec. et nott. illustr. Jo. *Salinas*, Rom. 1731. 8. — *Marii Mercatoris Opp.* ed. Rigberius (Gabr. *Gerberon*) Bruxell. 1673; item Steph. *Baluze*, Par. 1684. — *S. Vincentii Lerinensis Commonitorium* ed. Engelb. *Klüpfel*, Vienn. 1809. 8.; it. Edu. *Herzog*, Vratislav. 1839. 8. — *S. Eucherii Opuscula* (omnia) ed. Petrus *Galesinius*, Rom. 1564. f.; item in Biblioth. vett. PP. maxima *Lugdun.* (vd. §. 81.) T. VI. p. 822. sqq. — *S. Nili Opp.* ed. Jos. Mar. *Suaresius*, Rom. 1678. II. f. — *S. Petri Chrysologi Opp.* ed. Seb. *Paulus*, Venet. 1750. f. — *S. Prosperi Aquitanici Opp.* ed. a Jo. B. *le Brun* et D. *Mangeant*, Paris. 1711. f.; eadem c. *S. Honorati Massiliensis Vita S. Hilarii*, ed. Jo. *Salinas*, Rom. 1732. 8. — *Theodoreti Opp.* ed. Jac. *Sirmond* (et Jo. *Garnier*), Paris 1642. IV. f.; ed. nov. Jo. Lud. *Schulze* (et Noesselt), Halae 1768. X. 8. — *S. Patricio* adscripta *Opuscula*, opera et stud. Jac. *Warnaei*, Lond. 1656. 8. — *S. Leonis M.* Papae I. *Opp. omn.* post Pasch. *Quesnelli* recens. emend. et ineditis aucta, a Petr. et Hieron. *Ballerinis*, Venet. 1755—1757. III. f. — *S. Maximi Taurinensis Opp.* c. anott. ed. Bruno *Bruni*, Rom. 1784. f. — *Arnobii junioris Commentarii in Psalmos* ed. a Laur. de la *Barre*, Par. 1639. 8. — *Claudiani Mamerti Carmina* et *De statu animae libri III.*, ed. Andr. *Schott*, Antwerp. 1617. 8.; c. nott. Casp. *Barth*, Cygneae 1655. 8.; et in Biblioth. PP. maxima *Lugdun.* T. VI., p. 1050. sqq. — *S. Sidonii Apollinaris Opp.* recogn. et nott. illustr. Jac. *Sirmond*, Paris. 1614. 8.; recud. cur. Ph. *Labbé*,

ibid. 1655. 4. — *S. Victoris Vitensis* et *Vigilii Tapsensis Opp.*, ed. c. nott. Fr. *Chiffleti*, Divione 1664. 4. — *Salviani Massiliensis* (et *Vincentii Lirin.*) opp. ed. Steph. *Baluze*, Par. 1684. 8. — *Gennadii* Massil. Opp. ed. Ge. *Elmenhorst.* Hamburg. 1614. 4. — *S. Fausti* Regiensis *Opuscula* (ut quae nondum sunt in unum collecta edita) in Biblioth. max. *Lugdun.* T. VIII. p. 523. sq. — *S. Gelasii I. Papae opp.* (excepto libro *De duabus naturis*) ed. Jo. Dominic. *Mansi*, Venet. 1763. f.; Librum, quem omiserat Mansi, habet Biblioth. max. *Lugd.* T. VIII. p. 699. sqq. — *Ruricii Epistolarum libri II.*, edd. in Henr. *Canisii* Lectt. antiqq. (vd. §. 80.) ed. *Basnag.* T. I. p. 369. sqq. (ed. vet. 1608. T. V., p. 459. sq.).

d) Opp. seculi VI.

§. 77. *S. Ennodii Opp.* ed. Jac. *Sirmond* Paris. 1611. 8. — *Boethii Opp.* ex rec. Henr. Loriti *Glareani*, Basil. 1570. f. — *S. Aviti Opp.* ed. Jac. *Sirmond.* Par. 1643. 8. — *S. Fulgentii Ruspensis Opp.* ed. (per Luc. *Mangeant*) Paris. 1684. 4. et Venet. 1742. 4. — *Procopii Gazaei Commentar. in Octateuchum*, lat. tantum ed. Conr. *Clauser*, Tigur. 1555. f.; Ejus *Commentarios in Isaiam*, gr. et lat. ed. J. *Curterius*, Paris. 1580. f.; Ejusd. *Scholia in libb. Regg.*, gr. et lat. ed. J. *Meursius*, Lugd. Batav. 1620. 4. — *Dionysii Exigui Codex canonum ecclesiast.* et *liber Decretorum* (Decretalium RR. PP.) in Guil. *Voellii* et Henr. *Justelli* Biblioth. jur. can. vet. Paris. 1661. II. f.; Ejusd. *Cyclus Paschalis*, in J. W. *Jani* Historia Cycli Dionysiani, Viteberg. 1714. 8. — *S. Caesarii Arelatensis Dialogi*, *Sermones*, *aliaque opuscula*, ed. in And. *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. VI. et XI., init. — *S. Benedicti Regula* ed. ab Edm. *Martene*, Par. 1690. 4. — *Fulgentii Ferrandi Opp.* ed. Fr. *Chifflet*, Divione 1649. 4. — *Orientii Opp.* poët. illustr. H. L. *Schurtzfleisch*, Vitemb. 1706; c. append. Vimar. 1716. 4. — *Aratoris Opp.* ed. Henr. Jo. *Arntzen*, Zutphan. 1769. 8. — *Rustici Disputatio adv. Akephalos* ed.

in Josuae *Simleri* Scriptt. vett. latt. de una persona et duabus naturis in Christo adv. Nestor. et Eutych., Tigur. 1571. fol. — *Liberati Breviarium causae Nestorianorum et Eutychianorum*, ed. Jo. *Garnerii*, Par. 1675. 8. — *Aurelii Cassiodori Opp.* ed. Jo. *Garet*, Rotomag. 1679. II. f. — *Junilii De partibus divinae legis libri II.*, ed. Jo. *Gastius*, Basil. 1546. 8. — *Primasii Opp.* ed. Jo. *Gagnaeus*, Paris 1543. 8. — *Facundi Opp.* (una cum Opp. *Optati Milev.*) ed. stud. Phil. *Priorii*, Paris. 1675. f. — *Joannis Scholastici Collectio Canonum* et Ejusdem *Nomocanon*; item *S. Martini Bracarensis Liber Capitulorum* s. Collectio Canonum. edd. in Guil. *Voelli* et Henr. *Justelli* Biblioth. jur. can. vet. (Paris. 1661. II. f.) T. II. p. 499. sqq. et T. I. append.; alia *Martini Brac.* Scripta exhibet Andr. *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. XII. — *S. Gregorii Turonensis Opp.* nott. et observatt. illustr., opera et stud. Theod. *Ruinart*, Paris 1699. f. — *Venantii Fortunati Opp.* ed. Chph. *Brower*, Mogunt. 1603. 4.; rec. ed. Mich. Ang. *Lucchi*, Rom. 1786. II. 4. — *S. Joannis Climaci Scala Paradisi* et Ejusd. *Liber ad Pastorem relig.*, ex ed. Matth. *Raderi*, Paris. 1633. fol. — *S. Gregorii Magni Papae Opp. omn.* aucta et nott. illustr. stud. et lab. Monachorum Maurin. (praec. Dionys. *Sammarthani* et Guil. *Bessini*), Paris. 1705. IV. fol.; c. access. recud. cur. J. Bpt. *Gallicciolli*, Venet. 1768—1775. XVII. 4.

ee) Opp. seculorum posteriorum.

§. 78. *S. Columbani Opp.* ed. Patric. *Flemingo*, Lovan. 1667. f. — *Leontii Byzantini Opp.* in Andr. *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. XII. ad fin. — *S. Isidori Hispalensis Opp.* ed. Jac. du *Breul*, Paris 1601. f.; c. nott. ed. J. B. *Perez* et J. *Grial*, Matriti 1777. II. f.; nov. ed. Faust. *Arevalus*, Rom. 1797—1803. VII. 4. — *S. Sophronii Hierosolymitani Opp.* in Jo. Alb. *Fabricii* Bibliotheca *graeca* (ex ed. *Harlesii*, Hamburg. 1790—1808. XII. 4.) T. VIII. p. 354—358., et T. IX.

p. 162. sqq. — S. *Maximi Chrysopolitani Mart. Opp.* ed. Fr. *Combefisius*, Par. 1675. II. f. — S. *Juliani Toletani Opuscula varia* excus. in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. X. p. 590. 614. 630. sq. — S. *Bedae Venerabilis Opp.* ed. *Colon.* 1647. VIII. f.; ibid. 1688. VIII. f. — S. *Joannis Damasceni Opp.* ed. c. nott. Mich. *le Quien*, Paris. 1712. II. f. — S. *Bonifacii et ad eum scriptae Epistolae CLI.* c. nott. St. Alex. *Würdtwein*, Mogunt. 1789.; Ejus *Sermones XV.* in Edm. *Martene* Vett. Scriptorum et Monumentorum ampl. Collect. (Par. 1724—1733. IX. f.) T. IX. p. 187. sqq.; Ejusdem *Statuta XXXVI.* in Luc. *D'Achery* Specileg. vett. Scriptorum (Paris. 1655—78. XIII. 4.) T. IX. p. 63. — *Ambrosii Autperti Commentariorum libri X. in Apocalypsin*, ed. in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. XIII. p. 403. sq. — S. *Paulini Aquilejensis Opp.* c. nott. J. Fr. *Madrisii*, Venet. 1737. f. — *Alcuini Opp.* emend. auct. et illustr. stud. *Frobenii* (Forster ad S. Emmeram. Abb.) Ratisbon. 1777. II. f. — S. *Theodori Studitae Epist. et Opp. dogm.* in Jac. *Sirmondi* Opp. varr. nunc primum collect. (Paris. 1695. et Venet. 1728. V. f.) T. V. — *Theodulphi Aurelianensis Opp.* c. nott. Jac. *Sirmondi*, Paris. 1646. 8. — S. *Agobardi Opp.* emend. et illustr. ed. Steph. *Baluze*, Paris. 1666. II. 8. — S. *Eulogii Cordub. Opp.* ed. Ambr. *Morales*, Compluti 1574. f. — *Rabani Mauri Opp.* ed. Ge. *Colvenerius*, Colon. 1627. VI. f. — S. *Paschasii Radberti Opp.* ed. Jac. *Sirmond*, Paris. 1618. 8. — *Drepanii Flori Opuscula* in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. XV. — *Hincmari Rhemensis Opp.* ed. Jac. *Sirmond*, Paris. 1647. II. f. — *Photii Bibliotheca* ed. c. nott. Dav. *Hoeschel* et Scholiis Andr. *Schotti*, Genev. 1613; Rotomag. 1653. f.; gr. ex rec. Imman. *Bekkeri*, Berol. 1824. II. 4. — *Ratherii Opp.* ed. cura Petr. et Hieron. *Ballerinorum*, Veron. 1765. f. — *Oecumenii Commentarius in Acta Apostolorum* etc., gr. et lat. ed. Frid. *Morelli*, Paris. 1631. f. II. — S. *Odilonis (Odonis, Petri*, aliorum*)* Abb. Cluniac. *Opp.* in Mart. *Marrier* et

Andr. *Quercetani* Bibliotheca Cluniacensi, Par. 1614. f. — *Brunonis Herbipolitani Commentarii in Psalmos* etc. ed. in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. XVIII. p. 65. sq. — *S. Petri Damiani Opp.* ed. Constant. *Caetanus*, Rom. 1606. III. f.; Par. 1642. IV. f. — *S. Gregorii VII. Papae Registri* s. Epistolarum libri XI., in *Mansi* Collect. Concil. (vd. §. 74.) T. XX. — *Theophylacti Opp.* gr. et lat. ed. cur. Bern. Maria *de Rubeis* et Bonif. *Finetti*, (Fr. *Foscarini*), Venet. 1754—1763. IV. f. — *Lanfranci Opp.* ed. Luc. *D'Achery*, Lutet. Par. 1648. f. — *S. Brunonis Carthusiani Opp.* ed. Theod. *Petreus* Colon. Agripp. 1611. f. — *S. Anselmi Cantuariensis Opp.* ed. Gabr. *Gerberon*, Paris. 1721. f.; rec. Venet. 1744. II. f. — *S. Ivonis Carnutensis Opp.* ed. Jo. Bapt. *Souchet*, Paris 1647. f. — *S. Brunonis Signini Opp.* ed. Maur. *Marchesius*, Venet. 1651. II. f. *S. Guiberti Abbatis Opp.* ed. Luc. *D'Achery*, Par. 1651. f. — *Ruperti Tuitiensis Opp.* ed. studio Greg. *Cannoni*, Venet. 1748 —1752. IV. f. — *Hugonis de St. Victore Opp.* ed. *Rothomag.* 1648. f. — *S. Bernardi Claraevallensis Opp.* post *Horstium* denuo recogn. Jo. *Mabillon*, Par. 1667. 1719. II. f. — *Petri Lombardi Opp.* ed. Jo. *Aleaume*, Lovan. 1546. f. — *Innocentii III. Papae Opp.* ed. Venet. 1578. f.; Ejusd. *Epistolarum Libri XI.* seors. ed. Steph. *Baluzius*, Paris. 1682. II. f. — *Alberti Magni Opp.* ed. Petr. *Jammy*, Lugdun. 1651. XXI. f. — *S. Bonaventurae Opp.* prodierunt Rom. 1588. VIII. f.; nov. cur. *Joannis de Augustinis* et *Joannis Illuminati* Frr. Minorr. *Venet.* 1751—1756. XIV. 4. cum *Prodromo* Bened. *Bonelli*, Bassani 1767. f. et Ejusdem *Supplemm.* Trident. 1722—74. III. f. — *S. Thomae Aquinatis Opp. omn.* Rom. 1570. XVII. f.; Paris 1636—1641. XXIII. f.; opp. theolog. editio altera Veneta, ed. Bern. *de Rubeis*, Venet. 1745—1760. XXVIII. 4.

BB. Collectiones Operum Patristicorum.

§. 79. *Variorum* ss. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum monumenta certis voluminibus *junctim* edita sunt, quae *Bibliothecae Patrum* appellari solent. Sunt autem vel *generales* Bibliothecae, nempe monumenta ad *quascunque* theologiae partes pertinentia complectentes; vel *particulares*, ut quae scriptis constant, quae ad *unam* potissimum *sacratioris doctrinae disciplinam* spectant, aut *certo temporis spatio* angustiori concluduntur, aut *proprio dicendi genere* differunt. Re ipsa vero non omnia ejusmodi volumina Bibliothecae PP. inscripta sunt, sed aliis interdum iisque *variis titulis* prodierunt. Alia enim *Monumenta Patrum*, alia *Vetera Analecta*, *Miscellanea*, *Specilegia Patrum*, *Thesauri Scriptorum* cett. audiunt.

1. Bibliothecae Patrum.

a. Generales.

§. 80. *Generales* Bibliothecae in *majores* abeunt et *minores*, prout nempe vel pluribus vel uno alterove tantum volumine absolvuntur. Et inter *minores* quidem maxime usu veniunt *Micropresbyteron* s. veterum quorundam theologorum Elenchus, Basil. 1550. f. — *Jo. Heroldi Orthodoxographa sacrosanctae theologiae* etc. Basil. 1555. f. — *Jo. Jac. Grynaei Monumenta SS. Patrum*, Basil. 1569. f. — *Henr. Canisii Antiquae Lectiones*, Ingolstad. 1601—1608. VI. 4.; recogn. Jac. *Basnage*, Amstelod. 1725. IV. f. — *Fr. Combefisii Graeco-latinae Patrum bibliothecae novum Auctarium*, Paris. 1648. II. f.; et Ejusdem *Bibliothecae Graecorum Patrum Auctarium novissimum*, Par. 1672. II. P. f. — *Lucae D'Acherii Veterum aliquot Scriptorum etc. Specilegium*, Paris. 1655—1677. XIII. 4.; nov. ed. per Lud. Fr. Jos. de la *Barre*, Paris. 1723. III. f. — *Jo. Mabillonii Vetera Analecta*, Par. 1675—1685. IV. 8.; ed. altera ibid. 1723. fol.; et

Ejusdem (et Mich. *Germain*) *Museum italicum*, Edit. II. Paris. 1724. II. 4. — *Steph. Baluzii Miscellaneorum libri VII.* Par. 1678—1715. VII. 8. — *Ant. Muratorii Anecdota* ex Ambrosianae bibliothecae Codd. nunc primum eruta, Mediolan. 1697—1713. IV. 4.; et Ejusdem *Anecdota graeca*, Patav. 1709. 4. — *Ernesti Grabii Specilegium Patrum ut et Haereticorum Seculi I. II. III.*, Edit. II. Oxon. 1700. II. 8. — *Edm. Martene et Ursini Durandi Thesaurus novus Anecdotorum*, Paris 1717. V. f.; et Eorundem *Amplissima Collectio*, Paris. 1724—1733. IX. f. — *Bern. Petzii Thesaur. Anecdotorum novissimus*, Aug. Vind. et Graecii 1721—1729. VI. f. — *Mart. Jos. Routh, Reliquiae sacrae* s. Auctorum fere jam deperditorum fragmenta quae supersunt, Oxon. 1814—1818. IV. 8. — *Angeli Maji Scriptorum veterum nova Collectio* e Vaticc. Codd. edita, Rom. 1825—1833. VIII. 8.

§. 81. Prae ceteris autem notandae sunt Bibliothecae Patrum, quae *magnae* dicuntur et *maximae Bibliothecae*. Orta nimirum haec est amplissima collectio ex *Margarini de la Bigne* Doctoris Sorbonnae Paris. *Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum Scriptorum eccles.*, *Paris.* 1575. *VIII. fol.* Quae, quum incrementa saepius accepisset, iterumque atque iterum ibidem excusa esset, denuo in lucem prodiit cum inscriptione *Magna Bibliotheca vett. Patrum etc. Colon. Agripp.* 1618. *XIV. f.* et 1622. *XV. f.*; deinde iteratis aucta supplementis rursus prodiit *Paris.* 1644. et 1654. *XVII. f.* Accesserunt autem Front. *Ducaei* Auctarium (Par. 1624. II. f.) et Fr. *Combefisii* Auctarium novum et novissimum (vd. §. 80.); atque his aliisque additionibus ditata iterum lucem adspexit *Maxima Lugdunensis* quae dicitur; prodiit enim s. t. *Maxima Bibliotheca vett. PP. et antiqq. Scriptt. eccl.* (cur. Phil. *Despont.*) *Lugduni* 1677. *XXVII. f.* Ad hanc collectionem adhibendus est *Nic. le Nourry Apparatus ad Bibliothecam maximam vett. PP. Lugduni editam*, Paris. 1700—1715. II. f. et *Sim. a S. Cruce*

Index Bibliothec. max. Lugdunensis, Genuae 1707. fol. — Novissime deinde edita est *Andreae Gallandii Bibliotheca vett. Patrum antiquorumque Scriptorum ecclesiast. postrema Lugdunensi longe locupletior atque accuratior, Venet.* 1765. *sqq. XIII. f.*, ad quam accessit Ejusdem *supplementum s. Veterum PP. et Scriptt. eccl. nova Analecta, Venet.* 1781. *f.* Dolendum, quod hoc opus praestantissimum *tomos XIV.* complectens praematura editoris morte imperfectum mansit; ex instituti enim ratione Patrum seriem *usque ad seculum XIII.* chronologice deducere debebat.

b. Particulares.

§. 82. *Particulares Bibliothecae* Scripta Patrum aut *certae tantum aetatis* continent, aut *argumenti varietate* aut etiam *scribendi forma* differunt. Et de primo genere notatu inprimis dignae sunt *Bibliothecae ss. Apostolicorum Patrum*, eorum scilicet, qui ipsorum Apostolorum temporibus floruerunt. Secundo ordine eae veniunt, quarum collecta monumenta ad *singularia argumenta* spectant, dum vel *dogmata* fidei morumque, vel sacras *orationes* adferunt, vel *rerum gestarum* notitiam et Sanctorum *vitas* suppeditant, vel *juris canonici* analecta praebent. Tertii generis scripta sunt itidem de rebus sacris varii argumenti sed ea quidem *ligato sermone* composita. De quibus Bibliothecis particularibus fusius tractat Jo. Ge. *Walchii Bibliotheca patristica* (ed. nov. Jenae 1834. 8., c. Supplemm. Jo. Traug. Lebr. *Danzii*, ibid. 1839. 8.) §§. 31—38. pp. 229—247. Nos autem tantillum ea de re disseremus, ut ne quid scitu *maxime digni* omisisse videamur.

aa. Bibliothecae Patrum Apostolicorum.

§. 83. *Thom. Ittigii Bibliotheca Patrum Apostolicorum gr. lat.* (SS. Clementis Rom., Ignatii, Polycarpi, unac. posteriorum martyriis) *Lips.* 1699. 8. — *Jo. Bapt. Cotelerii ss. Patrum, qui tempp. apostolicis floruerunt*

(Barnabae, Clementis R., Hermae, Ignatii, Polycarpi) *Opera unac. Clementis, Ignatii, Polycarpi Actis atque Martyriis, Paris.* 1672. *II. f.* Ed. nov. c. nott. integr. *Cotelerii* aliorumque DD. VV. item Guil. *Beveregii, Jac. Usseri* et Joann. *Pearsonii* Dissertt. cur. Jo. *Clerici*, Antverp. (seu potius *Amstelodami*) 1698. II. f.; auct. et emend. recus. ibid. 1724. II. f. — *Jo. Ludov. Frey Epistolae ss. PP. Apostolicorum* (Clementis, Ignatii, Polycarpi, c. martyriis duorum posteriorum) varr. annott. illustr. *Basil* 1742. 8. — *Rich. Musselii ss. Patrum Apostolicorum* (Barn., Hermae, Clementis, Ignatii) *Opera genuina* et Ignatii etiam interpolatae Epistolae ac supposititiae, c. versionib., varr. lecct., select. Variorum notis, *Londin.* 1646. *II.* 8. — *C. F. Hornemann Scripta genuina graeca PP. Apostolic.*, gr. et lat. *Hafniae* 1828. 29. *III.* 8. — *Car. Jos. Hefele Patrum Apostolicorum Opp.* (Barnabae, Clementis, Ignatii, Polycarpi Epp. et Ep. ad Diognetum, gr. tantum; Hermae Pastor, latine c. graecc. fragmm.) brevv. annott. et Prolegg. instruct., *Tubing.* 1839. 8.

bb. Bibliothecae Patrum materiarum diversitate distinctae.

α) dogmaticae et polemicae.

§. 84. De Bibliothecis *dogmaticis et polemicis* exstant *(Jo. Sichardi) Antidoton contra diversas omnium fere seculorum haereses*, Basil. 1528. f. — *Jo. Heroldi Haeresiologiaet c.* Basil. 1556. f. — *Jo. Ulimmerii Scriptores nonnulli antiquiores* (Paschasius Radbertus, Lanfrancus, Guitmundus, Algerus Leodiensis, al.) *qui de corpore et sanguine Christi exposuerunt*, Lovan. 1561. f. — *Josuae Simleri Scripta veterum latina De una persona et duabus naturis D. J. Chr.* (adv. Nestor., Eutych., et Akephalos), Tigur. 1571. f. — *Petr. Fr. Foggini Opera selecta PP.* (SS. Augustini, Prosperi Aquit., Fulgentii, Remigi, al.) *De gratia Dei et praedestinatione*, Rom. 1754. sqq. VII. 8. — *Gilb. Maugini Veterum Auctorum, qui seculo IX. de Praedestinatione et Gratia scripserunt, Opp.*

et Fragmm., Paris. 1650. II. 4. — *Fr. Oberthür ss. Patrum Opera polemica*; Opp. PP. *latinorum*, Herbipol. 1777—1791. XIII. 8.; Opp. *Graecorum* PP. ibid. 1777—1793. XX. 8.

b) asceticae.

§. 85. Inter Bibliothecas ss. PP. *asceticas* notatu dignores sunt *Pauli Manutii Opuscula quorundam PP.* (Ambrosii, Hieronymi, Augustini) *De Virginitate*, Rom. 1562. 4. — *Melch. Haiminsfeld. Goldast Paraenetici veteres* c. nott., Insul. 1604. 4. T. I.; (ulterius nihil, quod scio, lucem adspexit). — *Claud. de Chantelou Biblioth. PP. ascetica* (de christiana et religiosa perfectione), Paris. 1661. VI. 4. — *Petr. Possini Thesaurus asceticus* s. Syntagma Opusculorum XVIII. a graecis Patribus scriptt., Par. 1684. 4. — *Bern. Pezii Biblioth. ascetica antiquo-nova* (pleraque recentioris aevi monumenta), Ratisbon. 1723—1725. VIII. 8.

c) homileticae.

§. 86. E magno numero collectionum *homileticarum* praecellunt *Galeatii Florimontii Homiliae selectae vett. PP. graecorum et latinorum* (in ling. ital. redd.), Venet. 1555. II. 4.; ad quae *Seraphinus* Voll. alia II. addidit, Florent. 1572. 4. — *Laur. Cumdii et Gerh. Mosani Biblioth. Homiliarum et Sermonum priscorum Eccl. Patrum*, Lugd. 1588. IV. f. — *Petr. Pantini Homiliae ss. PP. Methodii, Athanasii, Amphilochii et Jo. Chrysostomi*, Antverp. 1598. 8. — *Jo. Loyac Bibliotheque sacrée* ou Recueil de plus beaux sermons et homélies des ss. Péres, etc. Paris. 1634. V. 4. — *Petr. Blanchot Bibliotheca concionatoria ss. PP. et celebr. Eccl. Rom. Doctt.*, Par. 1631. 4.; c. auctariis *Mich. de la Noue*, Paris. 1644. 4. et *Petr. Pilarti*, ibid. 1654. f. — *Fr. Combefisii Biblioth. PP. concionatoria*, Par. 1622. VIII. f. — *Lud. Pelt et Rheinwald* (et *C. Voigt*) *Homiliarium patristicum*, Berol. 1829—1832. II. 8.

b) Historicae.

§. 87. In Bibliothecis *Historiographorum* locum tenent eximium *Rob. Stephani Veteres Scriptores historiae ecclesiasticae* (gr. tantum), Par. 1544. f. — *Auctores veteres hist. eccl.* (lat. tantum) primum per *Hier. Frobenium* ed. Basil. 1539. f.; deinde cur. *Wolfg. Musculi*, ibid. 1558. f.; post c. annott. *Suffridi Petri*, Colon. 1581. f.; denique ed. a *Jac. Grynaeo*, Basil. 1611. f. — Prae reliquis autem celebrari meretur collectio *Henr. Valesii*, qua continetur *Hist. eccl. Eusebii Pamphili, Socratis Scholastici, Hermiae Sozomeni, Theodoreti et Evagrii unac. Philostorgii et Theodori Lectoris fragmm.*, gr. et lat. ed. Parisiis, et c. nov. access. ac nott. recus. cura *Guil. Reading*, Cantabrig. 1720. III. f. Huc pertinent etiam collectiones, quibus exhibentur *Martyrum Acta*, sive *Martyrologia SS. Hieronymi, Bedae venerabilis, Adonis, Usuardi, Notkeri*, imprimis *Theod. Ruinarti* et *Steph. Evod. Assemanni* (vd. §. 107. in fin.); nec non Collectiones *Vitt. Sanctorum Lipomanni, Surii, Rosweydi, Mabillonii, Bollandi et Sociorum* (vd. §. 109. in fin.).

c) juridicae.

§. 88. Ad Patrum Bibliothecas *antiqui juris ecclesiastici* referendae sunt *Guil. Voellii* et *Henr. Justelli Biblioth. jur. can. veteris*, Paris 1661. et iterum 1700. II. f. — *Guil. Beveregii Synodicon* (quod praeter canones ss. Apostolorum et Conciliorum etiam canonicas ss. Patrum Epistolas una c. Scholiis Antiquorum continet), Oxon. 1672. II. fol. — Nec omittenda sunt *Romanorum Pontificum Epistolae decretales*, quae passim leguntur in *Dominici Mansi Nova et ampliss. Collect. Conciliorum*, Florent. et Venet. 1759—1798. XXXI. f. Particularem autem ejusdem generis collectionem, nempe *Pontificum Rom. a S. Clemente usque ad Xystum III. Epistolas genuinas* ex rec. et c. nott. Petri *Coustantii* et fratrum *Ballerinorum* curavit *Car. Traug. Gottl. Schoenemann*, Goetting. 1791. T. I. 8. (Pars posterior frustra desideratur.)

cc. Bibliothecae Poëtarum vett. christianorum.

§. **89.** Hujus generis collectiones prodierunt per *Aldum Manutium* primum *Prudentii Opp.*, *Prosperi Epigrammata*, *Joannis Damasceni*, *Cosmae Hierosolymitani*, *Marci et Theophanis Cantica*, gr. et lat. Venet. 1501. 4. Mox sequente anno ab eodem editi sunt *Christiani Poëtae* (Sedulius, Juvencus, Arator, Lactantius, Cyprianus, Damasus), ibid. 1502. 4. — *Ge. Fabricii Poëtarum vett. ecclesiasticorum Opera christiana*, c. commentario ed. Basil. 1564. 4. (Omissi sunt Commodianus, Orientius, Ennodius, alii). — Nec multo post ab *Anonymo* edita est *Juvenci*, *Sedulii*, *Aratoris Sacra Poësis*, Lugdun. 1588. 12. — *Joach. Zehneri Divorum PP. et DD. Ecclesiae, qui oratione ligata scripserunt, Paraphrases et Meditationes in Evangelia*, e diversis ipsorum Scriptis collectae, Lips. 1602. 8. — *Anonymi Poëtae graeci christiani ex SS. PP. operibus collect.* gr. et lat. Paris. 1609. 8. — Sequebantur inde *quatuor collectiones* minores et *separatim* edit. ab *Andr. Rivino*, intra annos 1652—54. Lips. 8. — *Mich. Maittaire Opera et fragmm. veterum Poëtarum latt.* (Tertulliani, Cypriani, Juvenci, Hilarii Pict., Mar. Victorini, Ambrosii, Damasi, Prudentii, Sedulii, Aviti, aliorum), Lond. 1715. II. fol. — *Faustini Arevali Poëtae christiani* (Prudentius, Dracontius, Juvencus et Sedulius), Rom. 1789—1794. V. 8. — *C. A. Bjoern Veterum Poëtarum christ. Hymni*, Hafniae, 1818. 8. — *A. Rdph. Gebser Biblioth. lat. veterum Poëtarum christ.* Jenae 1827. 8, T. I. (Sed praeter hunc Tomum primum nihil ulterius prodiit).

2. Catenae SS. Patrum.

§. **90.** Alia porro monumenta Patrum, quibus expositiones *plurium* Scriptorum in *eundem* S. Scripturae librum congestae sunt, *Catenae Patrum* appellantur, in quibus eminent: *Aloys. Lipomanni Catena in Genesin*, ex Auctoribus Eccl. plus minus sexaginta cum graecis tum latinis connexa, Paris. 1546. f.; Ejudem *Catena in Exo-*

dum, ibid. 1550. f.; et *in Psalmos decem priores* (ab *Andr. Lipomanno* edit.) Rom. 1585. f. — *Ant. Caraffae Catena graecorum Patrum in Pentateuchum et in Cantica V. et N. T.*, Patav. 1564. — *Jo. Rudolphi a Corduba Catena versionum, Glossematum SS. Patrum hebraeorum, graecorum, latinorum in IV Libros Regum*, Lugdun. 1652. f. — *Mich. Ghislerii Catena PP. in Jeremiam*, extat in Ejusdem Commentario, Lugdun. 1623. III. f. — *Eusebii, Polychronii, Pselli Expositiones in Canticum Canticc.* gr., quas evulgavit primum Joann. *Meursius*, Lugdun. Batav. 1617. 4. — *Franc. de Puteo Catena aurea super Psalmos* ex dictis SS. PP. graec., Paris. 1530. f. — *Theod. Peltani* latina interpretatio *Catenae graecc. PP. in Proverbia Salomonis*, ed. ab Andr. *Schotto*, Antverp. 1614. 8.; addita est *Gregorii Thaumat. Metaphrasis in Ecclesiasten.* — *Balth. Corderii Expositio Patrum graecorum in Psalmos*, Antwerp. 1643—46. III. f. opus maxime commendandum; Ejusdem *Catena sexaginta quinque graecorum PP. in Lucam*, Antverp. 1628. f.; et *Catena in Joannem ex antiquissimo graeco Cod. Mss.* nunc prim. edita, ibid. 1630. f. — *Oecumenii* Ep. Triccensis *Commentarius in Acta Apost.*, item *in Epistolas catholicas et Epp. S. Pauli*, cur. Frid. *Morelli*, Paris. 1631. II. f. — *Patricii Junii Catena graecorum Patrum in B. Job.* collectore *Niceta* Heracleae Metropolita, Lond. 1637. f. — *Petri Possini Catena graec. Patrum in Matthaeum*, Tolos. 1646. 47. II. f.; item *in Evang. secundum Marcum* ex Mss. Codd. ed. Rom. 1673. f. — *S. Thomae Aquinatis Catena aurea* (Glossa continua) *in IV Evangelia*, in Ejusd. Opp. ed. Bern. M. *de Rubeis* (vd. §. 78. fin.) T. XVI. — Huc pertinent etiam *Theophylacti* Bulgar. Archiepisc. *Commentaria in IV Evangelistas*, quae una c. ceteris Ejus commentariis *in Acta Apost.*, *Epistolas Pauli et Epp. canon.*, nec non *in Oseam, Habacucum, Jonam, Nahumum, Michaeam Prophetas*, continentur in Ejusd. Opp. omn. ed. cur. B. M. *de Rubeis* et Bonif. *Finetti*, Venet. 1754—1763. IV. f. — *Nice-*

phori Hieromonachi Catena in Octateuchum (s. octo priores libros V. T.) *et libros Regum*, ed. Lips. 1772. II. f. — Ceterum de Catenis Patrum fusius agunt *Thomas Ittig* De Bibliothecis et Catenis PP. etc. Lips. 1707. 8.; et *J. A. Noesselt* de Catenis PP. graecorum in N. T. Observatt. Halae, 1762. 4.

3. Chrestomathiae Patristicae.

§. 91. Opera, quibus exhibentur *loca* quasi classica seu *ceteris notabiliora* e Scriptis SS. PP. *selecta*, *Patristicae Chrestomathiae* dicuntur. Hujus generis sunt *Jo. Chr. Schindel Chrestom. patrist. graeca*, Vratislav. 1739—45. VI. 8. — *Jo. Laur. Isenbiehl Chrestom. patr. graeca*, Mogunt. 1774. 8. — *Gerh. Arn. Sybel* Patristische Chrestomathie von Eusebius, Sokrates und Sozomenus, Halle 1803. 8. — *Jo. Büttner, Chrestom. patr. latina* (Hieronymiana solum), Halae 1804. 8. — *Jo. Chr. W. Augusti Chrest. patrist.*, Lips. 1812. II. 8. — *Jo. Casp. Orelli Selecta PP. ecclesiast. capita* ad εἰσήγησιν sacram pertinentia, Turici 1820—24. IV. 8. et Ejusdem *Origenis loci selecti*, ibid. 1825. 8. — Auserlesene Werke aus den Schriften der heil. Väter, Ingolstadt 1822. 23. II. 8. — *G. Goehl*, *Opuscula PP. selecta;* Berolin. 1826. 27. II. 8. — *H. J. Royaard Chrestomath. patrist.* (P. I. tantum prodiit), Traject. ad Rhen. 1831. 8. — *Chrestomathiae instar* sed ejus quidem amplissimae haberi potest *Collectio selecta SS. Ecclesiae Patrum complectens exquisitissima opera*, cur. *A. B. Caillau* et *M. N. S. Guilon*, Paris 1829. sqq., Vol. usque nunc plus minus LXXX. 8.

Pars secunda.

De Auctoritate SS. Patrum.

§. 92. *Altera* pars disquisitionis nostrae et ea quidem *dogmatica* in eo versatur, ut de SS. Patrum *auc-*

toritate anquiramus, nimirum an et quanta *fide digni* sint, sive eos *testes Traditionis* sive *S. Scripturae interpretes* respicias. Etenim SS. Patres ceu *testes divinae Traditionis* de vera fide Ecclesiae testimonia dicunt. De qua *fide* ne decipiamur, eo potissimum cautum est, quod Dominus J. Chr. *Ecclesiam suam infallibilem* esse voluit. Patrum autem *testimonia* quod non in fraudem nos inducant, persuasum nobis esse potest, partim quum ipsi dogmata ab Ecclesia usque tradita *nosse poterant*, imo plurimi eorum ob dignitatem et statum hierarchicum, quo in Ecclesia pollebant, *ignorare ex officio non debebant;* partim quia probitate tam conspicui fuerunt, ut nonnisi *vera vellent dicere.* Rei enim cognitio et veracitas duae sunt, quae testibus auctoritatem pariunt virtutes. Iidem autem SS. Patres, si de exponendis sacris literis agatur, optimi sunt etiam *S. Scripturae interpretes.* Nonnulli enim, quum ipsorum *Apostolorum commercio* uterentur, eosque multoties, quae in sacris libris continentur, audirent explicare, facilius Apostolorum mentem attigerunt. A quibus reliqui deinde *continua successione* edocti velut discipuli a magistris *verum* sensum et doctrinam *apostolicam* rite et exacte receperunt, et recipere eo facilius potuerunt, quo magis pro sua quisque *sanctitate* aptus erat ad ea intelligenda, quae in sacris libris Spiritus Sancti illustratione conscripta sunt. Pendet igitur auctoritas eorum, si eos tamquam testes Traditionis spectes, inprimis a *scientia et veriloquio;* si sacrae Scripturae interpretes existimes, a *sanctiori vitae probitate majorique* aliquanto *gradu sacrae eruditionis,* utrinde vero ab *Ecclesiae approbatione.* Sola enim *Ecclesia* divinae veritatis *judex* est, eique soli competit *reprobare* et *approbare* eos, qui in Ecclesia magisterio fungi velint. Neque vero eorum, quos Ecclesia vel expresse vel tacito approbavit, omnes *eadem* auctoritate pollent. Ut enim alter alteri potest aut eruditione aut sanctitate aut utraque hac virtute *antecellere;* ita omnino multum discriminis intercedit, num quid tractent, quod fidei

morumque dogmata *non* attingat, an *proprie* de fide Ecclesiae testimonia dicant; atque rursus in expositione alicujus dogmatis vel Scripturae loci utrum *pauci* tantum, an *plures* vel etiam *omnes* in unum consentiant. Itaque dicendum nobis erit primum de *Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum auctoritate generatim*, quae nascitur potissimum *scientia* et *veriloquio*; deinde de *gradibus eorum auctoritatis*, quae tum *praestantia doctrinae et sanctioris vitae* tum maxime in *approbatione ecclesiastica* innititur.

Caput I.

De Patrum in literis Eruditione.

§. 93. SS. Patribus *in genere* quidem *magnae*, imo *multis* eorum vel *maximae* cum *profanae* tum *potissimum sacrae eruditionis* laudem tribuendam esse, nemo erit qui infitietur. Nihilominus superstitiosius quisquam faceret, si sibi persuaderet, ab iisdem de unaquaque re vel omnia fuisse dicta, quae dici potuissent; vel ita perspicue et accurate, ut verbis suis nihil addendum reliquerint; vel singulos ab omni errore prorsus immunes fuisse. Ad eorum igitur eruditionem recte dijudicandam necesse est, ut ad *tempora* et *loca* et *animi conditionem* adtendamus. Non enim in literis praesertim *humanis* talem, qualem recentioris aetatis eruditio prae se fert, sed eam nobis rationem formare debemus, quae *cujuslibet Scriptoris temporibus* convenit. Porro alia literarum *Graecis* et *Alexandrinis*, alia longe *Latinis* conditio fuit. Rursus Patres alii aliis ob excellentius *ingenium* ac majorem *artium disciplinam* jure praeferuntur.

A. Patrum eruditio in literis profanis seu humanioribus.

I. Grammatica et Stylistica.

§. 94. Fuerunt quidem plerique Patrum *patrio suo sermone* contenti, nec multum in addiscendis *peregrinis* linguis desudarunt. Nonnulli tamen praeter vernaculam etiam unam alteramve aliam callebant. Sic *Origenes*, *Eusebius*, *S. Ephraemus Syrus* non solum *patriae* sed et *hebraicae*, SS. *Victorinus Patavionensis*, *Hilarius Pictaviensis*, *Ambrosius*, *Rufinus*, *Fulgentius Ruspensis*, *Juvencus*, *Boethius*, *Cassiodorus*, *Isidorus Hispalensis*, et post *Bedam Venerabilem* et *Paulum Diaconum* non pauci praeter *latinam* linguam *graecae* quoque periti; *S. Hieronymus* autem divo *Prospero* teste *Ebraeo* simul et *Grajo*, *Latioque* venustus eloquio fuit; *Alcuinus* item *trilinguis*, et *S. Epiphanius* ab *Hieronymo* πενταγλωττός laudatus est. Nonnulli etiam singulares scripserunt *institutiones grammaticas*, *orthographicas*, *metricas*, velut *Fabius Marius Victorinus*, *Cassiodorus*, *Isidorus*, *Beda*, *Paulus Diac.*, alii.

§. 95. In eo vero, quo quisque utebatur, *patrio* sermone sive *graeco* sive *latino*, praestantissima opera exarata sunt. Et inter *Graecos* quidem orationis elegantia et suavitate prae ceteris laudandi sunt: *S. Justinus Martyr*, cujus *dictio pollens atque valida scientificum servat stylum* [1]); — *S. Theophilus Antiochenus*, cui *dictio comprimis perspicua* [2]), *stylus elegans*, *cogitationum gratus lepor ita*, *ut eas legendo dubitari nequeat*, *quin eloquentissimus fuerit* [3]); *Hermias*, cujus irrisio philosophorum gentilium *stylo vivido*, *praeciso*, *dictione valida*,

1) *Photii* Biblioth. Cod. CCXXXIV.

2) *Natal. Alexand.* Histor. eccl. (ed. Paris. 1741.) T. V. p. 47.

3) Lud. Ell. *Du Pini* Novelle Bibliothéque des Auteurs eccl. T. I. p. 101.

concinna, leporibus plena nitet [4]); — *Origenes*, qui usus est *dicendi genere suavi, nitido, polito et ad persuadendum efficaci* [5]) — *S. Athanasius, admirandam ubique in verbis concinnitatem observans, doctrinam purissimam aptissimis et accuratissimis verbis exprimens* [6]); — *S. Ephraem Syrus*, in quo *jure quis admiretur, quam alte penetret persuadendi vis, quantum ab sermonibus ejus fluat jucunditatis, quam affectuum copia referti sint* [7]); — *S. Basilius M., cujus ita fluit oratio, quasi ultro velut e fonte rivulus scaturiret* [8]); — *S. Georgius Nazianzenus*, usus *grandi, sublimi et ubique majestatis pleno sermone* [9]); — *S. Chrysostomus, qui stylo pollet perspicuo, puro, splendido ac fluente* [10]); alii multi.

§. **96.** Ad *latinam* autem linguam quod attinet, quamvis illius qnoque nitor atque elegantia jam coepisset evanescere, tamen non pauci fuerunt, qui cultissima etiam tunc temporis elocutione utebantur, ut *Minucius Felix, lactea sermonis ubertate Lactantio nihil cedens, mirabili ubique perspicuitate etiam in acute dictis* [1]), qui *adeo omnes tertii seculi Scriptores puritate ac venustate post se reliquit, ut ne verbulum quidem ei exciderit, quod Ciceronis aut Quinctiliani, Plinii et Aequalium auctoritate tueri nequeat* [2]); — *S. Cyprianus ingenio facili, copioso, suavi, et quae sermonis est maxima virtus, aperto* [3]), *instar fontis purissimi dulcis incedens et placidus* [4]); — *Arno-*

4) Ad. *Moehler*, Patrologie Bd. I. S. 306.

5) Remy *Ceillier* Histoire générale des Auteurs sacrés et eccl. T. II. p. 774.

6) *Du Pin*. l. l. T. II. p. 91.

7) *Photii* Biblioth. Cod. XLIX.

8) *Photii* Cod. CXII.

9) Jo. Alb. *Fabricii* Biblioth. graeca, T. I. p. 108.

10) *Sidonii Apollinaris* Epist. IV. 3.; + *Photii* Bibl. Cod. CLXXII.

1) Jo. *Gronovii* Observatt. in Scriptt. eccl. (Daventr. 1651. 12.) c. 7.

2) van *Hoven* Epist. ad Gerh. Meermann (Campis. 1766. 4.) §. 1. fin.

3) *Lactantii* Divin. Institt. V. 1., ad ed. le Brun. cur. Oberthür (Wirceburg. 1683—84. II. 8.) T. I. p. 301.

4) *S. Hieron.* Epist. ad Paullinam, LVIII. §. 10.

bius, cujus florentissima dictio ubique triumphat [5]); — *Lactantius, Cicero ille Christianus, inter omnes, qui de christiana veritate scripserunt, longe eminens et excellens nitore quodam ac copia, vir omnium christianorum procul dubio eloquentissimus* [6]); — *S. Hilarius Pictaviensis, vir magnus et temporibus suis disertissimus, qui tum ob insignem eruditionem tum ob eloquentiam admirabilem aevi sui lumen, ubicumque Romanum nomen est, praedicatur* [7]); — *S. Ambrosius, lactei sermonis enarrator, cum gravitate acutus, perviolenta persuasione dulcissimus, cujus dictioni inest modestia quaedam et pia jucunditas grataque civilitas* [8]); — *Rufinus, cujus ingenium in transferendo de Graeco in Latinum elegans, stylus fluens, jucundus* [9]); — *S. Hieronymus, theologorum princeps, quo latinus orbis nil habet doctius, in quo tanta varietas, tantum sententiarum pondus, tanta enthymematum volubilitas, ut cum ipso Tullio certare videatur* [10]); — *S. Paulinus Nolanus, cujus operibus si quasi extrema manus induceretur, nihil pulcherius, nihil doctius, nihil latinius suis haberemus voluminibus. . . Infinitam enim habet sermonis supellectilem, et facile loquitur et pure* [11]); — *S. Vincentius Lerinensis, usus nitido satis et aperto sermone* [12]); —

5) Praefat. in ed. Opp. Arnobii (*Lugd. Bat.* 1751. 4.) init.

6) *Picus de Mirandola* De stud. divin. atq. human. philos. c. 7. — Leon. *Aretin.* Epist. ad Constant. Sforzam.

7) *S. Hieronymi* Epist. ad Marcellam XXXIV. §. 3., in Ejusd. Opp. (ed. Vallarsi.) T. I. p. 154. — *Erasmi Roterod.* Epist. praefix. Edit. Opp. (Basil. 1523. f.)

8) *Cassiodor.* Institt. 20. in Ej. Opp. omn. ed. Garèt. T. II. p. 551. — *Erasmi* Roterod. Epp. libr. XXVIII., Ep. 3.

9) *Gennadius* de vir. illustr. c. 18., in S. Hieron. Opp. ed. Martian. T. V. col. 31. — *Funcc.* de veg. Lat. Ling. senect. (Marburg 1744. 4.) X. §. 77.

10) *Erasm.* Roterod. Epist. lib. V. Ep. 19.

11) *S. Hieron.* Epist. XIII., ex ed. Martianay. Epist. XLIX. ad Paulinum, in Opp. omn. T. IV. P. II., col. 567.

12) *Gennadius* De vir. illustr. c. 64., in Hieronymi Opp. ed. Martian. T. V. col. 40.

S. Leo M., cujus scriptura perpolita, periodi adeo bene distinctae sunt et mensuratae, ut non possis non mirari; praeterea ubique egregiis epithetis, adjectivis appositis, amoenis antithesibus ornatae [13]; — *Alcuinus, qui scripsit pure, vivide et cum judicio et pro conditione aevi satis nitide.* [14]; — *S. Petrus Damiani, usus stylo polito, elegante, figuris ac varietate jucundo* [15]; — *S. Bernardus, Scriptor supra captum seculi sui elegans* [16]; alii.

II. Poetica.

§. 97. Multi etiam *poëtica facultate clari* carmina varii, maxime sacri *argumenti* reliquerunt, *„quae legere jucundum atque fructuosum est. Nam multis in locis possunt cum quovis veterum certare, elegantia carminis dico; ipsis autem rebus tanto sunt superiores, quantum humanis divina praestant; res enim altissimas et humano generi salutares tractant"* [1]. *Duplex* autem genus christianae poëseos distinquendum est, alterum *epicum* i. e. *didactico- vel gnomologico-paraeneticum* et *panegyricum*, quod in expositione et metaphrasi *historiae sacrae* vel V. vel N. T., in piis *traditionibus*, in *vitis et actis Sanctorum*, inprimis *Martyrum* versatur; alterum vero genus *lyricum*, quo in *cantibus* et *hymnis ecclesiasticis* utebantur. Et inter *Graecos* laudem poëseos christianae consecuti sunt *Apollinaris Laedicenus*, qui *Psalmorum metaphrasin* heroico carmine scripsit [2]; — *S. Ephraem Syrus* [3]; — *S. Gregorius Nazianzenus* [4]; —

---

13) *Du Pin* l. l. T. III. P. II. p. 136.

14) *Ruttenstock* Histor. eccl. (Vienn. 1832—34. III. 8.) T. II. p. 238. not. 1.

15) *Du Pin* l. l. T. VIII. p. 98.

16) *Ruttenstock* l. l. T. III. p. 202.

1) Lud. *de Vives*, Epist. II. de ratione studii puerilis, in Opp. Ejus ed. Basil. 1555. f.) p. 7. 10.

2) ed. in Andr. *Galland*. Biblioth. PP. T. V. ad fin.

3) *Cantica selecta* ed. *Hahn* et *Sieffert*, Lips. 1825. 8.

4) *Carmina Cygnea*, ed. in Jac. *Tollii* Insignia itinerarii Italici,

Synesius [5]); — *Nonnus Aegyptius* [6]); — *S. Amphilochius* [7]); — *Gregorius Pisides* [8]); — alii.

§. 98. Inter *Latinos* autem, ut *Tertulliani* et *S. Cypriani Poëmata* [1]), quia probabilius perperam iisdem adcensentur, taceamus; monimenta haec praecipue notatu digna sunt: *Commodiani Institutiones adv. Gentium Deos* [2]); — *Lactantii Symposion* [3]); aliaque plura sed ea verosimilius supposititia, quae extant in Ejus Opp. (cur. J. B. *le Brun* et Nic. *Lengl. du Fresnoy*); — *Juvenci* ab S. Hieronymo, Gelasio, Alcuino, Petrarca summopere laudata *Historia Evangelica*, item *Liber in Genesin* [4]); — *C. Marii Victorini De Fratribus VII Macchabaeis*, et Ejusdem *Hymnus de Pascha Domini* [5]); — *S. Damasi* Papae, quem Hieronymus et Suidas magnis laudibus efferunt, *Carmina Sacra* [6]); — *S. Ambrosii* de cantu ecclesiastico optime meriti, ad quem velut ad magistrum respexit omnis sequentium poëtarum chorus, *Hymni XII* absque omni dubio genuini, qui ex intimo pii pectoris promanantes colore antiquo Romano nitent [7]); — *Prudentii Clementis*, quem cum Horatio Virgilioque com-

---

Traject. ad Rhen. 1696. 4. Alia Ejusd. Carmina extant in Ejus Opp. omn. (ed. *Morelli*) T. II.; alia in Lud. Ant. *Muratorii* Anecdott. e. Mss. Codd. nunc primum erut. Patav. 1709. 4.

5) *Hymni X.*, ed. in Ejusd. Opp. cur. Dionys. *Petavii* (Ed. II.) Par. 1640. f.

6) *Metaphrasis Evangelii S. Joannis*, ed. a Casp. *Ursino*, Hamburg. 1667. 8.

7) *Jambi ad Seleucum*, ed. a Nic. *Rittershusio*, Altorf. 1644. 8.

8) *Poëmata de Creatione mundi; de humanae vitae vanitate etc.* ed. gr. et lat. P. F. *Fogginus*, Rom. 1777. f.

1) Ge. *Fabricii* Poëtarum vett. eccl. Opera christiana. Basil. 1564. f.

2) ed. Leon. *Schurzfleisch*, Vitemberg. 1704. 4.

3) ed. Chr. A. *Heumann*, Hanov. 1722. 8.

4) ed. Faustin. *Arevalus*, Rom. 1792. 4. — Cf. A. Rud. *Gebser*, De Juvenci vita et scriptis (Jenae 1827. 8.) p. 14. sq.

5) ed. Andr. *Rivinus*, Goth. 1752. 8.

6) ed. Fr. *Ubaldinus*, Rom. 1638. 4.

7) ed. in Ejusd. Opp. omn. (ed. *Maurina*) T. II. p. 1215. sqq. cf.

parare Sidonius Apollinaris et Bentleyus non dubitarunt, *Carmina* permulta varii argumenti et metri [8]); — *S. Paulini Nolani* ab aequalibus et posteris (Ausonio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino) egregiis laudibus excepti, cui Christianorum literis poëticis clarorum neminem possis praeponere, *Poëmata* varia, praesertim *in laudem S. Felicis* [9]); — *Dracontii*, minus simplicitate quam gravitate conspicui, *Hexaëmeron* [10]); — Fl. *Merobaudis Carmina* [11]); — *Sedulii* magnis encomiis celebrati, quo inter christianos poëtas Virgilianam phrasin nemo magis comiter servavit, *Mirabilium divinorum libri IV (V)* [12]); — *Claud. Mar. Victoris Commentarii in Genesin* et Ejusdem *Epistola ad Salmonem Abbatem* [13]); — S. *Prosperi Aquitanici* carmen heroicum *De ingratis* (Pelagianis) et *Epigrammata sacra* [14]); — *S. Hilarii Arelatensis Metrum in Genesin* [15]); — *Paulini Petrocorii De vita Martini* (Turonensis) [16]); — *S. Sidonii Apollinaris Poëmata* [17]); — *Claudiani Mamerti* Carmen *Contra vanos Poëtas, Hymnus de Passione Domini*, al. [18]); — *S. Ennodii Poëmata* [19]); — *Helpidii De Christi beneficiis*, carmen

---

Rambach christliche Anthologie (Altona 1816—1822. IV. 8.) Thl. I. S. 59.; J. Chr. Fel. *Baehr* die christl. Dichter Roms (Karlsruhe 1836. 8.) §. 17. S. 37.

8) ed. Faustin. *Arevalus*, Rom. 1789. II. 4.

9) in Ejus Opp. ed. a Lud. Ant. *Muratorio*, Veron. 1736. III. f.

10) ed. F. *Arevalus*, Rom. 1791. 4.

11) ed. B. G. *Niebuhr*, Bonn. 1824. 8.

12) ed. J. Fr. *Gruner*, Lips. 1747. 8. Cf. *Funcc.* De veg. L. Lat. senect. (Marburg. 1744 4.) III. §§. 92. 93.

13) ed. in *Maittaire* Corp. Poëtar. latt. T. II. p. 1567. sqq.

14) ed. in Ejusd. Opp. ex rec. *le Brun* et *Mangeant*, Par. 1711. f.

15) in S. Hilarii *Pictaviensis*, (hujus enim esse olim perperam credebatur) Opp. ed. stud. *Maffei*, (Veron. 1730. II. 4.) p. 715. sqq.

16) ed. cur. Chr. *Daumii*, Lips. 1681. 8.

17) ed. Jac. *Sirmond*, Paris. 1652. 4.

18) ed. Andr. *Schottus*, Antverp. 1617. 8.

19) ed. A. *Schott*. Tornac. 1610. 8.

utique praeclarum, et eleganter scriptum[20]); — *S. Aviti* ferventis in dicendo, et culto et fluido poëmate disserentis Carmen epico-didacticum *De mundi principio*, et Ejusdem *De consolatoria laude castitatis ad Fuscinam sororem*[21]); — *S. Orientii*, cujus stylus pressus, nervosus, neque languidus neque barbarus, *Commonitorium* seu *Memoriale*, item *De nativitate Domini* carmen epicum, *De trinitate* item versu heroico, *Orationes XXIV* in Senariis Jambicis, alia[22]); — *Aratoris Historiae Apostolicae libri II*, qui magno cum applausu Romae praelecti fuisse dicuntur; et Ejusd. *Epistolae duae* metricae[23]); — *Venantii Fortunati* suavi et diserto sermone scripta *Carmina et Hymni*[24]); — *S. Gregorii M.* Papae, qui *Gregoriano Cantui* nomen dedit, et poëtica virtute aeque ac pietate animi conspicuus immortalem sibi locum fecit inter Lyricos christianos, *Cantus Sacri*[25]); — *S. Columbani Epistolae* poëticae *ad Hunaldum*, *ad Sethum*, *ad Fedolium*, alia[26]); — quibus adnumerare possis *Poëmata S. Isidori Hispalensis*, *Honórii I. Papae*, *Braulii Presbyteri* in Hispania, *Boni* sive *Doni* cujusdam[27]); — *Eugenii* Ep. Toletani, qui studiorum bonorum vim persequens cantus vitiatos melodiae cognitione correxit, *Libellus carminum* diversi metri[28]); — *Althelmi* Carmina *De laude*

---

20) ed. Andr. *Rivinus*, Lips. 1652. 8.

21) ed. Jac. *Sirmond*, Paris. 1643. 8.

22) ed. H. Leon. *Schurzfleisch*, Vitemberg. 1706. 4.

23) ed. Jo. *Arntzen*, Zutphan 1769. 8.

24) ed. Chr. *Brower*, Mogunt. 1616. 4.; — denuo ed. Mich. Ang. *Lucchi*, Rom. 1786. II. 4.

25) in Ge. *Fabricii* Poëtt. vett. eccl. Opp. (vd. §. 89.) p. 783. 789. 794. sqq. Cf. Mart. *Gerbert* De Cantu et Musica sacra (typ. San-Blasianis 1774. II. 4.) T. I. p. 247. sq.

26) ed. in H. *Canisii* Lectt. Antiqq. (vd. §. 80.) T. I. in Append. p. 3. sqq.

27) cf. *Leyser*. Historia Poëtt. medii aevi (Hal. Magdeb. 1721. 8.) p. 185—188.

28) ed. Jac. *Sirmond*, Paris. 1619. 8.

Virginum, *De octo vitiis* [29]); et varia *Aenigmata* [30]; — S. *Bedae Venerabilis Metrica* diversi generis, item *De arte metrica* tractatus prosaicus [31]) — *Pauli Diaconi Vitae SS. Benedicti, Mauri, Scholasticae;* item *Hymus Exultet*, alii [32]); — *Alcuini* Opuscula *poëtica* [33]); — *Flodoardi* Carmina historica *de vitis Sanctorum* [34]); — *Rosweydae* Sanctimonialis *Poëmata* [35]); — *S. Odilonis Hymni IV in S. Maiolum* [36]); — *S. Petri Damiani Hymni eccl.* [37]); — *S. Anselmi* Cantuariensis *Hymni* [38]); — *Petri Mauritii* Cluniacensis *Hymni et Rythmi* [39]);— *S. Bonaventurae Cantica ecclesiastica* [40]).

III. Rhetorica et dialectica.

§. **99.** Magis etiam in *arte oratoria* permulti Patrum Ecclesiae inclaruerunt adeo, ut nonnulli eorum honorifico *Ciceronis christiani, Chrysostòmi*, *Chrysologi*, *Auriflui*, *Melliflui* cognomina sortirentur; et immensus numerus est orationum, quae nostris temporibus conservatae sunt. In his *sermones* alii sunt quasi *panegyrici*, memoriae nempe virorum, qui de Ecclesia egregie meriti,

---

29) in L. *D'Achery* et Jo. *Mabillon.* Actt. SS. O. Bened. (vd. §. 109.) Secl. III. P. I.

30) ed. Mart. Ant. *Delrius*, Mogunt. 1601. 12.

31) in Ejusd. Opp. omn. (ed. *Colon.* 1688.) T. I. p. 25. 191. 401. 413. 434. T. III. p. 266.

32) ed. unac. Prosperi *Martinengi* Poëmm., Rom. 1590.

33) in Ejus Opp. omn. ed. cur. *Frobenii* (Forster ad S. Emmeran. Abb. Ratisbon. 1777. II. f.) T. II.

34) Nondum sunt typis evulgata exceptis nonnullis fragmm. *De vitis Rom. Pontificum*, quae extant in Ant. *Muratorii* Scriptt. rer. Ital. T. III. p. 2. sqq.

35) ed. Henr. Leon. *Schurzfleisch*, Vitemberg. 1705. 8.

36) ed. c. cett. Ejus Opp. in *Marrieri* et Andr. *Quercetani* Biblioth. Cluniac. (Paris. 1614. f.) p. 347. sqq.

37) in Ejus Opp. omn. ed. a Const. *Caëtano*, Venet. 1743. IV. f.

38) in Ejus Opp. ed. Gabr. *Gerberon*, Paris. 1675. f.

39) in *Biblioth. Cluniacensi* (vd. not. 36.) p. 585. sqq.

40) in Ejus Opp. omn. (ed. *Venet.* 1751. XIV. 4.) T. XIII. XIV.

praesertim Martyrii vel Sanctimoniae laude floruerunt, consecrati atque ita compositi, ut illorum virtutes laudibus evehantur, et ad imitandum ante oculos ponantur. Hujus generis sunt *S. Ephraemi Syri Necrosima* s. Sermones funebres LXXXV [1]; *S. Gregorii Nazianzeni Orationes in laudem Cypriani* Martyris, *Caesarii* fratris, *Basilii M.*, *Athanasii*, sororis suae *Gorgoniae* [2]); *S. Gregorii Nysseni* Or. in vitam *Macrinae* Basilii sororis, orationes funebres in *Basilium fratrem*, in *Meletium* episcopum Antiochenum, consolatoria in funere *Pulcheriae*, encomium *Ephraemi Syri*, de vita *Gregorii Thaumaturgi* [3]); *S. Ambrosii* funebres laudationes duae, altera in obitu *Valentiniani*, altera in obitu *Theodosii M.* Imperatoris [4]); *S. Chrysostomi* in laudem *Maximi*, in beatum *Philogonum*, homiliae VII *de laudibus S. Pauli*, aliae de aliis *Sanctis*, et circiter XX quas in diversos *Martyres* habuit, orationes [5]); ut de *SS. Asterii*, *Augustini*, *Maximi Taurinensis*, aliorum Patrum ejusmodi in *Sanctos* habitis sermonibus prorsus taceam. Aliae sunt orationes *proprie sacrae*, quae *Homiliae* solent appellari; in quo genere maximam sibi gloriam peperunt *Origenes*, *Ephraemus Syrus*, *Basilius M.*, *Gregorius* et *Nazianzenus* et *Nyssenus*, *Macarius major*, *Joannes Chrysostomus*, *Asterius*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Basilius Seleuciensis*; atque in Ecclesia latina *SS. Augustinus*, *Petrus Chrysologus*, *Leo M.*, *Maximus Taurinensis*, *Caesarius Arelatensis*, *Gregorius*

1) in Ejus Opp. omn. ed. a St. Evod. *Assemanno* (Rom. 1737—46. VI. fol.) Syro-lat. T. III. p. 225. sqq.

2) in Opp. ed. *Morelli* (Paris. 1690. II. f.) T. I. p. 274. 160. 316. 373. 176.

3) in Opp. ed. *Paris.* (1638. III. f.) T. II. p. 177.; III. pp. 479. 514. 534. cett.

4) in Opp. ed. *Maurin.* (Paris 1690. II. f.) T. II; ed. Mont. Alti. (Par. 1603. V. f.) T. V. col. 105. sqq.

5) in Opp. ed. *Montfaucon.* (Par. 1718. sqq. XIII. f.) T. II. p. 476. sqq.

M., *Bernardus Mellifluus*, alii; quorum orationes sacras, cum non solum argumenti, quod tractant, sed etiam ratione formae et dispositionis ab operibus profanorum Oratorum longe distent [6]), commodius *alibi* (§. 204. sq.) recensebimus. Juvat conferre, quae hac de re scripserunt Jo. *Weissenbach* [7]), H. G. *Tzchirner* [8]), A. B. *Caillau* [9]).

§. 100. Verum non solum in orationibus cum profanis tum maxime sacris se exercuerunt, sed etiam *institutiones oratorias* quasdam ediderunt, velut *S. Chrysostomus* in opere suo *De Sacerdotio* [1]); *S. Hieronymus* in *Epistola ad Nepotianum* [2]); *S. Augustinus* in libb. *De Doctrina christiana* [3]); *Fab. Mar. Victorinus* auctor libri c. t. *Expositio in Ciceronis libros de Inventione* [4]); *Sulpicius Victor*, qui scripsit *Institutiones oratorias* [5]); *Beda Venerabilis* in libro *De octo partibus Orationis* [6]). Huc praeter alios utique referri possunt *Boëthius*, *Cassiodorus*, *S. Isidorus Hispalensis*, quos de conservatis in Occidente optimis artibus fuisse plurimum meritos omnes norunt. Imo nonnulli vel in publicis, quas ipsi excitarunt, *scholis oratoriis* viva

---

6) Cf. Andr. Gfr. *Schmidt* Die Homilie in ihrem ganzen Umfange dargestellt, Halae 1827. 8.

7) De eloquentia Patrum in usum Eccles., Aug. Vind. 1775. IX. 8.

8) De claris vet. christ. Eccles. Oratoribus. IX Commentt. Lips. 1817. sqq. 4.

9) Introductio ad ss. Patrum lectionem. Paris 1825. 8.

1) *S. Chrysost.* De Sacerdotio libri VI., gr. et lat. ex rec. *Bengelii* ed. Stereotyp. Lips. 1825. 8.; recentissime ed. Ae. Ed. *Leo*, Lips. 1834. 8.; Versio german. ab Ign. *Ritter*, Berol. 1821. 8.

2) in Ejusd. Opp. omn. ed. *Vallars.* (Veron. 1734—42. et Venet. 1766. sqq. XI. 4.) T. I.; ed. Martianaei (Par. 1693—1706. V. f.) T. IV. P. II. col. 256. sqq.

3) *S. August.* De doctr. christ. libb. IV. unac. Enchirid. ad. Laurent. ex rec. *Maurin.* recogn. a C. H. *Bruder*, Lips. 1838. 16.

4) in Fr. *Pithoei* Rhett. antiqq. p. 79. cf. Guil. *Cave* De Scriptt. eccles. (Genev. 1693.) p. 128.

5) in *Pithoei* Rhett. antiqq. p. 461.

6) in Ejus Opp. (ed. *Colon.* 1612. et ibtd. 1688. VIII. f.) T. I. col. 14. sqq.

voce *Rhetoricam docuerunt.* Sic *S. Cyprianus*, antequam Christi baptismo lotus est, *Hieronymo* et *Lactantio* testibus [7]) artem isthanc *Carthagine* docuit; *Arnobius* in urbe *Sicca Venerea* [8]); *Lactantius Nicomediam* in Bithynia ad oratorias literas accitus, diuque in illa rhetorica professione versatus est [9]); *Fab. Marius Victorinus* in urbe *Roma* inclytus rhetor [10]); *Severus Sulpicius*, priusquam in vitam solitarium se recepit, eloquentia forensi inclaruerat [11]); *S. Augustinus Carthagine* primum, deinde *Mediolani* cum ingenti applausu juvenes in eadem disciplina instituit [12]).

§. **101.** Similiter *artem dialecticam*, quae ab oratoria vix potest sejungi, ss. Patres semper magni fecerunt. *Ipsimet* enim alius alium ob insignes ejusmodi virtutes summopere laudant. Sic *Origenes* ab *Hieronymo* [1]), *S. Basilius* a *Gregorio Nazianzeno* [2]) praedicatur; *S. Hieronymus* autem sibi ipse hanc artem tribuit [3]); *S. Gregorius M.* *splendor fuit philosophorum et*

---

7) *Lactantius* Divin. Institt. V. 1., ad ed. J. B. le Brun cur. Oberthür, T. I. p. 301.; *S. Hieronymus* de viris illustrr. c. 67., in Opp. omn. ed. Martian. T. IV. P. II. col. 119.

8) *S. Hieronym.* Chronic. ad a. 20 Const.; *Idem* de vir. illustr. c. 79., in Opp. omn. l. l. col. 121.

9) *Ipse* in Divv. Institt. V. 2., ed. Oberthür. T. I. p. 302.; S. Hieron. de vir. illustr. c. 80., in Opp. omn. l. l. col. 121. 122.

10) cf. Jo. Chr. Fel. *Baehr* Geschichte der römischen Literatur (II. Aufl. Karlsruhe 1832. 8.) §. 274. S. 575.

11) *S. Paulinus Nolan.* Epist. V. 1., XI. 5., XXIII. 8. al.; Chr. Fel. *Baehr* Die christliche Theologie od. Suppl. Bd. zur Geschichte der römisch. Litt. Abthl. II. (Carlsruh. 1837. 8.) §. 101. S. 219., et auctt. ibi laudd.

12) *Ipse* in Confess. IV. 4., V. 12. 13.

1) *S. Hieron.* de vir. ill. c. 54., in Ejusd. Opp. omn. ed. Martianay. T. IV. P. II. col. 115. 116.

2) *S. Greg. Naz.* Oratio XX funebr. in laudem Basilii, in Opp. ed. *Billii*, T. I. p. 333.

3) *S. Hieron.* Apolog. III. adv. Rufin. in Opp. ed. *Martianaei*, T. IV. P. II. col. 443.

rhetorum lumen[4]), *literis grammaticis, dialecticis ac rhetoricis ita institutus, ut nulli in urbe ipsa putaretur esse secundus*[5]). De *SS. Chrysostomo, Augustino, Anselmo, Thoma Aquinate* quid dicam? quid, quod dialecticam multoties commendant, esse eam *muri instar dogmatibus, quod ea non sinat facile diripi et quorumlibet incursioni patere;* esse *aptam vineae quasi sepem et vallum propulsantem dolosas insidias*[6])? Quid, quod nonnulli Patrum ipsi de arte ista *praecepta* dederint, ut *Clemens Alexandrinus* in *libro VIII Stromatum*[7]); *S. Cyrillus Alex.* in *Thesauro*[8]); *Boethius* in *Commentariis ad Praedicamenta Aristotelis*, in *Analyticorum priorum et posteriorum libris*, in *Topicorum libris octo*, et aliis hujus generis scriptis, praesertim quae logicam tractant, uti *de Divisione, de Definitione, de Differentia topicorum, de Syllogismo categorico et hypothetio*, aliis[9]); *S. Joannes Damascenus* in opere suo *de Dialectica* quod inscribitur *Fons scientiae*[10]). Maxime vero, quam bene versati sint in hac provincia Patres, ex eo liquet, quod ingeniosa saepe adversariorum argumenta *dialecticis artibus* solidissime confutaverint.

---

4) *Trithemius* in Catal. Scriptt. eccles. c. 215.

5) *S. Gregor. Tur.* Libri Historiarum Francc. X. 1., in Ej. Opp. ed. Ruinart. col. 480.

6) *Clemens Alex.* Strom. lib. I. c. 20., in Opp. ed. *Potter.* T. I. p. 377. — cf. *S. Basil. M.* Commentt. in Isaiam. c. 96., in Ej. Opp. ed. *Garnier.* T. I. p. 444. — *S. Augustini* Contra Academ. lib. III. c. 13., in Opp. omn. ed. *Blamp. et Constant.* T. I. col. 208.; *Ejusdem* De doctr. christ. lib. II. c. 31., ibid. T. III. P. I. col. 38. — *S. Chrysostomi* De Sacerdotio lib. IV. c. 5., in Opp. omn. ed. *Montfauc.* T. I. p. 410.

7) in Opp. Ejusd. ex ed. *Potteri* (T. II.) p. 913. sqq.

8) in Ej. Opp. (ed. *Paris.* 1604. II. f.) T. II., p. 144. sqq. Ita quoque Auctor, quisquis iste est, libri *De Principiis dialectices*, olim perperam *S. Augustino* adcensiti, in S. August. Opp. ed. Maurin. T. I. Append. col. 815. sqq.

9) Opp. ex rec. *Glareani*, Basil. 1570. f.

10) Opp. ed. Mich. *le Quien* T. I. p. 1—74.

IV. Philosophica.

§. 102. Quod est ad *philosophiam*, alii ss. Patrum (velut Justinus, Irenaeus, Eusebius) *Platonicam* praeprimis, eam scilicet, quam quisque *suo tempore* vigentem invenit, et quae varias jam per *Ammonium Saccam*, *Plotinum*, *Proclum* subierat vicissitudines; alii maxime recentiores (uti Boethius, Joannes Damascenus, Anselmus) *Aristotelicam* potissimum philosophiam sequuti sunt, cum nempe ex Platonica plures haereses et *Origenis* praesertim errores pullulasse crediderint, et subtilem Aristotelis dialecticam aptiorem existimaverint ad convincendos haereticos illa philosophia imbutos. Licet autem ss. Patrum *alii Platonem*, *alii Aristotelem potissimum* secuti sint, tamen *Eclectici* potius quam Sectarii dicendi sunt, prout certe *S. Justinus*[1]), *Clemens Alexandrinus*[2]), *S. Gregorius Thaumaturgus*[3]), *Lactantius*[4]), alii diserte profitentur. Et hujus *philosophiae studium* multoties *commendant Patres*, e. gr. *Justinus* in *Dialogo cum Tryphone*[5]), *Clemens Alex.* in lib. IV *Stromatum*[6]); *Minucius Felix* in *Octavio*[7]); *S. Basilius M.* in libro ad adolescentes, *quomodo possint ex gentilium libris fructum capere*[8]); *S. Augustinus* in libb. *de civitate Dei* II. 40, XI; et lib. III. *contra Academicos.*[9]).

1) Dialog. cum Tryph. in Opp. ed. *Marani*, p. 102. 106.

2) Strom. lib. I., Opp. ed. *Potteri*, p. 338.: „*Philosophiam non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuraeam et Aristotelicam, sed quaecunque ab his sectis recte dicta sunt, quae docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico Philosophiam.*"

3) Orat. panegyr. in Origenem, in Bibl. PP. max. Lugdun. T. III. p. 330.

4) Institt. divin. lib. VII., c. 7. ad ed. Nic. *le Brun*, cur. Oberthür. T. I. p. 466. sq.

5) in Ejusd. Opp. l. l.; p. 106. 107.

6) in Opp. ed. *Potter*. p. 592. 594.

7) Octav. c. 20. in Ed. *Gronov*. p. 183.

8) in Opp. (ed. *Paris*. 1721—30. III. f.) T. II. p. 173. sqq.

9) in Opp. ed. *Blampin. et Coustant*. T. I. VII.

§. 103. Ipsorum *nonnulli*, priusquam ad Christi fidem converterentur, vel *publice philosophiam professi*; *plures* etiam, postquam Christum jam induerant, in iisdem disciplinis *probe* sunt *a teneris instituti*. Sic *S. Justinus* Martyr a prima adolescentia literas toto animo et imprimis *philosophiam* adamasse fertur, *quae ei viam ad amplectendam religionem christianam praeparavit* [1]); *Tatianus*, quem postmodo in *Gnosticorum* haeresin incidisse dolemus, graecis artibus ac disciplinis satis excultus, sed maxime *philosophiam* professus est [2]); *Athenagoras*, *Platonicus Atheniensis*, ad puriora sacra conversus non *nomen* tantum sed et *habitum philosophi* servavit [3]); *S. Teophilus Antiochenus* item *in omni saecularis eruditionis genere versatissimus* [4]); *Hermias*, *gentilium philosophorum irrisor*; *S. Irenaeus* in evolvendis *omnium philosophorum* libris indefessus incubuit [5]); *S. Pantaenus*, *stoicae* sectae philosophus praecipue clarus [6]) *Clemens Alexandrinus*, *Pantaeni* alumnus, *in cujus scriptis nihil est*, *quod indoctum*, *nihil quod non e media philosophia est* [7]); *Origenes*, *Clementis* ejusdem discipulus, qui *librorum Platonis*, *Aristotelis*, *omnium philosophorum helluonem se praebuit*, *atque inter hos noctes solidas lubenter consumsit* [8]); *S. Gregorius Thaumaturgus*, *Origeni* praeceptori addictissimus [9]); *S. Dionysius Alexandrinus*, omnium ejusdem *Origenis* discipulorum sine controversia

1) *Ipse* in Dialog. c. Tryph. c. 2. et 3. ed. Maran. p. 106. sq.

2) *Ipse* in Orat. adv. Graec. c. 42. ibid. p. 293.

3) *Philipp. Sidettes* fragm. ed. cum H. Dodwell Dissert. in Irenaeum, Oxon. 1689. 8.

4) *Ipse* in fin. lib. I. ad Autolycum.

5) *Tertullian*, in Valentinianos. c. 5. ed. Giraldi. p. 252.; *S. Hieron*. Epist. LXXXIII. (al. 84.) ad Magnum. ed. Martianaei. T. IV. P. II. col. 656.

6) *S. Hieronym*. l. l.

7) *S. Hieron*. de viris illustr. c. 38.

8) *S. Hieron*. ibid. c. 54.; cf. *Euseb*. Hist. Eccl. VI. 16. 18. 21.

9) *Ipse* in Orat. in Origenem, in Bibl. PP. max. Lugdun. T. III. p. 328.

longe maximus [10]); *S, Basilius M.*, a *Libanio* celeberrimo tunc temporis rhetore in artibus liberalibus studiisque philosophicis institutus [11]); *S. Gregorius Nazianzenus*, ut omnibus notum est, unacum fratre *Basilio*, *S. Cyrillo Hierosolymitano*, *S. Chrysostomo*, *Alexandriae* atque *Athenis* principum philosophorum scholas frequentavit; *Synesius* ab ineunte aetate philosophiae operam dedit Alexandriae, magistra usus illa *Hypatia*, *Theonis praestantissimi mathematici filia* [12]); *S. Joannes Damascenus*, in disciplinis philosophicis aeque ac theologicis adprime versatus, primus fuit inter *Graecos*, qui *systema aliquod theologiae* condidit, eamque *dialectica methodo* exposuit [13]).

§. **104.** Nec ita pauciores in *latina Ecclesia* exstiterunt, qui, quantum in studiis philosophiae profecerint, egregia argumenta in scriptis suis reliquerunt. *Tertullianus*, quamquam is (suo quidem sensu non absone) *Philosophos haereticorum patriarchas* vocitavit [1]), tamen *omnem philosophiam et cunctas philosophorum aetates*, *auctores adsertoresque sectarum*, *omnesque eorum disciplinas mira mentis capacitate complexus* est [2]). In *Lactantii* libris, si legere volueris, *Dialogorum Ciceronis epitomen* reperies [3]). Sic et *Arnobius* in philosophia haud mediocriter versatus est [4]). *S. Hilarius Pictaviensis* literis paene omnibus probe imbutus, *vir magnus et tem-*

---

10) cf. Euseb. VII. 7.

11) *Ipse* in Ep. CCX., Opp. omn. ed. Paris. Maurin. T. III. p. 313. 314. *S. Gregor. Nazianz.* in laud. Basilii, Opp. omn. ed. Billii. T. I. p. 325. sq.

12) *Petavius* in Opp. Synesii, edit. Paris. 1633. f.

13) *Le Quien* Vita Jo. Damasc. in ed. Ejus Opp. T. I. p. 1—24.

1) Contra Hermogen. c. 8. in Ej. Opp. ed. Giraldi. p. 236.

2) *S. Vincentii Lirin.* Commonitor. c. 24., in Bibl. PP. max. Lugdun. T. VII. p. 257.

3) *S. Hieronym.* Epist. ad Magnum. LXXXIII., Opp. ed. Martianay. T. IV. P. II., col. 656. fin.

4) *Brucker* Hist. philos. (Lips. 1742. 4.) T. III. p. 468. sq.

poribus suis disertissimus fuit.[5]). *S. Hieronymus* Romae in oratoriis et philosophicis studiis ab *Aelio Donato* et *Mario Victorino* eruditus[6]). *S. Augustinus* lectione Ciceroniani libri, cui titulus *Hortensius*, mira aemulatione excitatus *Aristotelis aliorumque* deinceps *philosophorum*, denique quos (ut ipse ait) ceteris non immerito fama et gloria excelluisse vidit, *Platonicorum scripta* perscrutatus est.[7]) *Boëthius* graecis literis addiscendis, praesertim philosophiae, per annos decem et octo deditus, *Platonis*, *Aristotelis*, *Euclidis*, *Ptolemaei aliorum* opera latinitate donavit, commentariosque in antiquiores philosophos composuit[8]). *S. Anselmus* de *Metaphysica* et *naturali* quam dicimus *theologia* imprimis meritus[9]). *S. Thomas Aquinas*, de cujus doctrina et sanctitate eximia plana sunt *Clementis VIII* et *Pauli V* summorum Pontificum testimonia[10]).

§. 105. Et multa et sane non contemnenda, quae ss. *Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum studia philosophica* satis probant, *monumenta* nobis ad manus sunt. Huc quodam modo referri possunt scripta *Apologetica*, de quibus infra (§. 157.) planius disserendi locus est, imprimis *Tertulliani Apologeticus*[1]) et *libri II ad Nationes*[2]), qui libri cunctam seculi continent disciplinam[3]);

5) *S. Hieron.* in Epist. ad Marcellam XXXIV §. 3., in Opp. ed. *Vallarsi* T. I. p. 154.

6) *Ipse* in Apolog. adv. Rufin. in Ejusd. Opp. ed. *Vallars.* T. I. p. 472.; *Idem* in praefat. in Epist. ad. Galat.

7) *Ipse* in Confess. III. 4. §. 7.; VII. 9. 20.; *Idem* de civitate Dei, VIII. 6., X. 1.

8) *Gibbon* Gesch. der Verf. der röm. R. c. 39. (Bd. IX. S. 234. der Uebers.)

9) *Eadmeri* Vita S. Anselmi, in Actt. SS. April. T. II. p. 865. sq. cf. *Berger* Gesch. der Religionsphilos. Berlin 1800. 8.

10) Bern. *de Rubeis* Dissert. critica de S. Thom. Aquin. Venet. 1750. f.

1) ed. c. varr. lectt. Jos. Ign. *Ritter*, Eberfeld. 1827. 8.

2) ed. Jac. *Gothofred.* Genev. 1625. 4.

3) *S. Hieronym.* in Epist. ad Magn. LXX. c. 5., in Opp. Hieron. ed. *Vallarsi* T. I. p. 427.

Arnobii Libri VII adversus Gentes[4]); *Lactantii Divinarum institutionum ll. VII*, praesertim libri I—IV, ubi de falsa religione et origine erroris, de falsa et vera sapientia disputat[5]). *Proprio* autem *philosophici argumenti genere* notanda sunt *S. Gregorii Nysseni De anima et resurrectione dialogus* qui Macrinia inscribitur[6]); *S. Augustini* permulta scripta, quorum alia mere philosophica ac quasi *propaedeutica*, velut *Dialogus de Magistro*, *libri III contra Academicos*, *ad Romanianum*, *de vita beata liber unus* ad Manlium Theodorum, *de ordine libri II* ad Zenobium, *Soliloquia* libri II[7]); alia sunt *theologico-philosophica*, e. gr. *Responsiones ad Quaestiones octoginta tres*, *De diversis quaestionibus libri II*, *De octo Dulcitii Quaestionibus*[8]); alia denique *polemico-philosophica*, uti *De immortalitate animae*, *De animae quantitate*[9]), *De anima et ejus origine*[10]), *De origine animae* ad Hieronymum Epistola[11]), *De utilitate credendi*[12]). Sic *Claudiani Mamerti De statu animae libri tres*[13]); *Aeneae Gazaei* et *Zachariae Mitylenaei* libri *de immortalitate animae* et *mortalitate Universi*[14]); *Boethii De consolatione philosophiae libri quinque*[15]); *S. Isidori Hispalensis Synonymorum libri II*, quae et Soliloquia nonnunquam audiunt, et quibus ad consolatio-

---

4) ed. J. C. *Orellius*, Lips. 1816. II. 8.

5) in Ejusd. Opp. ad ed. J. B. *Le Brun* et Nic. *Lenglet. du Fresnoy.* cur. Fr. *Oberthür.* T. I. p. 537. sqq. Cf. H. J. *Spyker* De pretio Institt. divv. Lactantii statuendo, Lugd. Bat. 1816. 8.

6) in Opp. omn. edit. cur. Fr. *Morelli*, T. III. p. 181. sqq.

7) in Opp. ed. Maurin. *Blampini et Coustantii* (Paris. 1679.) sq. XI. fol.) T. I. col. 541. 249. 297. 315. 355. sq.

8) Opp. omn. edit. cit. T. VI. col. 1. 81. 121. sqq.

9) Ibid. T. I. col. 387. 401. sqq.

10) Ibid. T. X. col. 334.

11) Ibid. T. II. col. 583. sqq.

12) Ibid. T. VIII. col. 45. sqq.

13) ed. c. nott. *Barthii*, Cygn. 1655. 8.

14) ed. c. nott. Casp. *Barthii*, Lips. 1653. 4.

15) ed. *Helfrecht*, Cur. Reg. 1796. 8.

nem animi et ad spem percipiendae veniae intercedente rationis exhortatione disseritur [16]); *S. Anselmi Monologium* et *Proslogium*, in quo opere de existentia et attributis Dei argumentis metaphysicis subtiliter agit [17]); *S. Thomae Aquinatis Commentarii philosophici in libros Aristotelis* [18]).

V. Historica.

§. **106.** *Historiis* quoque *scribendis* permulti ss. Patres operam dederunt. Et *primum* quidem et *antiquissimum historiarum genus* jam ab incunabulis Ecclesiae exercitatum in consignandum *Martyrum actis* et *vitis Sanctorum* versabatur, in quo biographico genere historiarum *media aetas* imprimis fertilem se praebuit. Huc referendi sunt etiam breviculi *de factis scriptisque virorum illustrium ac Doctorum Ecclesiae* catalogi, *historiam* quasi *ecclesiastico-literariam* exhibentes, de quibus supra (§. 33.) notatu digniora paucis adduximus. Alterum autem genus *Annalium et Chronicorum* nomina prae se fert, quia scilicet res varias miscentes ad certum annum aut annorum numerum, quidquid ipsis ad aures venisset aut in oculos incidisset, memoratu dignum paucis ut plurimum verbis, raro cum aliqua causarum recensione compilarunt, ut *breviores historiarum* potius *indices* quam *plenas descriptiones* dixeris [1]). Neque miraberis, quod hoc genus scribendi, donec christianae religioni cum gentilium superstitione dimicatio erat, novam quandam faciem et characterem quasi *polemicum* sibi sumserit. Quum enim Ethnici Christianismum *novam* esse religionem arguerent, scriptores nostri res summas ex ipsis ethnicorum scriptorum libris compilantes ad *primordia mundi* usque redux-

16) in Opp. omn. ed. *Arevali* (Rom. 1796. VII. 4.) T. VI.

17) in Opp. ed. Gabr. *Gerberon*. (Paris. 1721. f.) P. I. p. 4. 29. sq.

18) in Opp. (ed. Rom. 1570. XVIII. f.) T. I—VII.

1) Chr. Fr. *Roesler* Chronica medii aevi etc. (Tubing. 1798.) T. I. p. 5. 6.

erunt, docentes *Christi* religionem *Mosaismo* superstructam atque ipsis *mythologicis ethnicorum fabulis multo antiquiorem* esse. Hanc sibi provinciam sumserunt *Justinus*, *Tatianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Athenagoras*, *Theophilus*, *alii SS. Patres et Scriptores primaevae Ecclesiae*. Quumque gentiles omnium *calamitatum publicarum causas* et atroces barbarorum incursiones a *Christianis* utpote deorum irrisoribus repetendas esse dictitarent, Patres nostri, quam sit erronea haec opinio, monstrare adnisi sunt, docentes talia et longe atrociora mala *jam antea non raro* accidisse, calamitates autem istas rectius *propter incredulitatem*, *superstitiones et persecutiones ethnicas* divinitus immissas esse credere oportere. Hanc rationem assecuti sunt *Paulus Orosius* in *Ormestis mundi*[2]) s. Historiarum libb. VII adversus Paganos; *Hieronymus* in *Chronographia*; *Augustinus* in libro *De civitate Dei*, alii Annalistae et Chronicorum scriptores prioris medii aevi. Hi *chronici libri* ita usque continuati sunt sequentibus seculis, ut alter alterum quasi exciperet. Historiae autem, quae *proprio* hoc ac *singulari nomine* dici meruerunt, ab *Eusebio* primum in *Oriente*, in *Occidente* vero *seculo demum sexto* coeptae sunt exarari. Sequebantur mox non solum *universales* sed etiam *particulares singularum nationum*, *gentium ordinumque historiae* cum *sacrae* tum etiam *profanae*, ita tamen ut in his quoque aliquanto prolixius de fatis religionis christianae ejusque incrementis et decrementis sermo redierit. Unde utriusque generis historias promiscue juxta ordinem *chronologicum* recenseri posse arbitrabamur.

1. Vitae Sanctorum.

a. Martyrum acta.

§. 107. Primam ss. Patres operam posuerunt *in rebus Martyrum enarrandis*, quorum acta jam a primordiis

2) = *Orosii* Moesta mundi; cf. *Witthof* Relatt. Duisburgg. (Duisb. 1762.) Nr. 47. 52.

Ecclesiae literis mandata et ad posteritatem propagata sunt, uti nunc extant *Martyrium S. Ignatii Antiocheni* a *Philone*, *Gajo* et *Agathopode* diaconis, qui s. Martyrem Romam ad supplicium deductum comitati sunt, exaratum; *Acta S. Symphorosae et filiorum MM.; S. Felicitatis ejusque filiorum; Epistola Ecclesiae Smyrnensis encyclica de martyrio S. Polycarpi; Epistola Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis de martyrio S. Pothini Episcopi et aliorum; Acta S. Justini Martyris*, de quorum genuinitate *Mazochius* praeclare disseruit [1]); *Acta S. Sperati reliquorumque Martyrum Scillitanicorum; S. Potamianae Virginis, SS. Perpetuae, Felicitatis et sociorum; Epistola S. Dionysii Alexandrini de martyrio SS. Metrae, Appolloniae, aliorum MM.; Passio SS. Martyrum Episcoporum Saturnini Tolosani et Alexandri Hierosolymitani; Acta S. Maximi, S. Luciani; Vita et passio S. Cypriani per Pontium diaconum* ejusque in omni certamine ac calamitate perpetuum comitem consignata; *Passio S. Mauritii ac Sociorum ejus Martyrum* auctore *Eucherio* S. Episcopo Lugdunensi; *Passio S. Theodori Ancyrani et septem Virgg. MM* [2]). Alii *carmina* conscripserunt, ac Martyrum memoriae consecrarunt, e. gr. ut de uno *Aurelio Prudentio* dicam, Hymnos de martyrio *SS. Laurentii, Eulaliae, Vincentii, Fructuosi, Eulogii, Hippolyti, Cypriani, Agnetis, aliorum;* qui in libro suo *De Coronis* (sc. Martyrum) continentur [3]). Ad eorundem Martyrum memoriam retinendam etiam *Orationes* permultae recitatae et in operibus SS. PP. ad nostra usque tempora servatae sunt. Sic in *S. Basilii* scriptis extant homiliae

---

1) Alex. Symm. *Mazochii* Commentar. in vetus marmoreum Neapolitanae Ecclesiae Calendarium (Neapol. 1763.) T. II. p. 443—476.

2) Haec aliaque multa extant in Theodorici *Ruinarti* Actt. primm. Martyrr. sincer., Amstelod. 1713. f. et ab ipso auctore emend. et auct. ed. Veron. 1731. fol., nov. ed. a Bern. *Galura*, Aug. Vind. 1802. III. 8.

3) In *Ejusd.* Opp. ed. Steph. *Chamillard.* Paris. 1687. 4.

4) in *Ej.* Opp. ed. Garnier. T. II. p. 33. 185. 141. 138.

in honorem *Julittae, Mamantis, Gordii, Barlaam, aliorum MM.* [4]); scripsit item *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. in laudem *S. Cypriani* [5]); *S. Gregorius Nyssenus* orationes duas de *SS. 40 Martyribus*, unam in *S. Theodorum* [6]); *Asterius* enarrationem martyrii *S. Euphemiae* Virginis [7]); *S. Chrysostomus* sermones de SS. *Meletio, Ignatio, Juventino, Maximo, Romano, Eustathio, Luciano, Juliano, Babyla, Phoca, Droside, Thecla* virgine *aliisque* SS. MM. [8]); *S. Maximus Taurinensis* in natalem SS. *Cypriani, Laurentii*, Martyrum Taurinornm *Octavii, Adventii, Solutonis* [9]); multi alii. Imo nonuulli *Martyrologia* quoque seu Collectiones Passionum ejusmodi instituerunt; qualem inter *Graecos* scripsit *Eusebius collectionem antiquorum Martyriorum*, ut ipse tradit [10]); at fere nihil illius superest. Exstat autem Ejusdem *liber de Martyribus Palaestinae* in persecutione nempe Diocletiana cruciatis [11]). Neque omittendus hoc loco *Simeon Metaphrastes*, qui, quae ad manus habebat *Martyrum Acta* aliorumque *Sanctorum vitas* ab antiquioribus descriptas, in unum collegit, suisque saepe additamentis sermone panegyrico interpolavit. Extant ea seorsim inserta in *Lipomanni, Surii, Bollandi* Vitt. et Actt. SS. (§. 109, ad fin.). — Ex *latinorum* vero Scriptorum ordine referendus est *S. Hieronymus*, cui a Cassiodoro, Beda, Walafrido, Notkero, aliis adscribitur *Vetustius occidentalis ecclesiae Martyrologium* [12]). Huc quodammodo pertinent ex antiquorum monumentis etiam *Lactantii De mortibus persecutorum* [13]), et *Victoris Vitensis Historia persecutio-*

5) in Opp. ed. Colon. 1690. T. I. p. 274—286.
6) in Opp. (ed. Paris 1638.) T. III. p. 499. 570.
7) in Opp. ed. Lugdun. 1672. homil. X.
8) in Opp. Montfaucon. T. II. p. 518. sqq.
9) in Opp. ed. Rom. 1784. f.
10) Hist. Eccl. IV. 15, V. proem. et c. 4. 21.
11) ed. unac. Ejusd. Hist. Eccl. Paris. 1544. f.
12) ed. Fr. Mar. *Florentini*, Luc. 1668. f.
13) ed. Paul. *Bauldri*, Ultraj. 1692. 8.

nis Vandalicae [14]). Sequebantur inde *Martyrologia S. Bedae Venerabilis* [15]), *S. Adonis Ep. Viennensis* [16]), *Usuardi Monachi O. S. B.* [17]), *Notkeri* [18]), *aliorum*. Antiquissimorum autem SS. Martyrum acta collatis Codd. Mss. optime evulgarunt *Ruinartus* Maurinus [19]), et Steph. Evod. *Assemannus* [20]).

b. Aliorum SS. vitae.

§. **108.** Neque solum in Martyrum actis sed et in aliorum *Sanctorum vitis rebusque* describendis studia collocabant Patres et Scriptores ecclesiastici. Sic *S. Athanasius* vitam scripsit *S. Antonii Abbatis* [1]); *S. Gregorius Nyssenus vitam Macrinae Virginis* sororis suae [2]); *Anonymus* quidam Syrus *S. Ephraemi vitae compendium* [3]); *Paulinus* clericus Mediolanensis hortante D. Augustino *vitam S. Ambrosii* [4]); *Palladius* Episcopus Asponensis dialogum cum *Theodoro* Diacono Ecclesiae Romanae *de vita et conversatione S. Joannis Chrysostomi* [5]); *Idem* Historiam evulgavit *Lausiacam* seu librum de Vitis SS. Patrum ad Lausum sacro cubiculo praefectum [6]); *S. Hieronymus vitas SS. Pauli eremitae, Hilarionis et*

---

14) ed. Theod. *Ruinart,* Venet. 1732. 4.

15) Certe S. *Bedae* adscribitur illud, quod prodiit Cantabrig. 1722. et c. auctario *Flori Diaconi* in Actt. ss. m. Mart. T. II.

16) ed. Dom. Georg *Rodigini,* Rom. 1745. II. f.

17) ed. Joann. *Molani,* Lovan. 1568; item in Actt. ss. m. Jun. T. V—VII. m. Jun.; nov. cur. D. (Jac. Bouillart), Par. 1718. 4.

18) in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. nov. *Basnag.* T. II. P. III.

19) vid. not. 2. p. 106.

20) Acta ss. Martyrum Orientalium et Occident. Rom. 1784. f.

1) in *Ejusd.* Opp. ed. *Montfaucon.* T. I. P. II.

2) in *Ejus* Opp. ed. Parisiana. T. II. p. 177. sq.

3) in Jos. Sim. *Assemanni* Biblioth. orient. Clementino-Vaticana, (Rom. 1719. f.) T. I. p. 25. sqq.

4) in *S. Ambrosii* Opp. ed. *Maurin.* T. I. col. 77. sq.

5) in *S. Chrysost.* Opp. ed. *Montfauc.* T. XIII. p. 1. sq.

6) ed. Jo. *Meursius,* Lugdun. Batav. 1616. 4.

Malchi [7]; *Sulpicius Severus vitam B. Martini* Episcopi Turonensis [8]; *Theodoretus* Cyri Episcopus Historiam asceticam, quae *Philotheus* inscribitur et *vitas nonnullorum Eremitarum* continet [9]; *S. Honoratus* Ep. Massiliensis vitam praeceptoris sui *S. Hilarii Arelatensis* [10]; *S. Possidius* Divi Augustini discipulus et amicus *vitam S. Augustini* unacum *ejus scriptorum indiculo* [11]; *Anonymus* quidam vitam magistri sui *S. Fulgentii Ruspensis* [12]; *Cyprianus* Episcopus Tolonensis *vitam S. Caesarii Arelatensis*, cum appendice *de miraculis, virtutibus et obitu S. Caesarii* ab ejusdem discipulis *Messiano* presbytero et *Stephano* diacono [13]; *Cyrillus* Presbyter Scythopolitanus *SS. Euthymii, Sabae et Theodosii* Abbatum Palaestinensium vitas [14]; *S. Gregorius Turonensis* vitas aliquot Patrum in libro septimo *Miraculorum* [15]; *Venantius Fortunatus vitas SS. Albini, Amantii, Hilarii, Marcelli, Mauritii, Germani, Medardi, Paterni, Remigii, Radegundis* [16]; *S. Gregorius M.* libros IV *de vitis et miraculis Patrum Italicorum* [17] et *vitam S. Benedicti* [18]; *Daniel* Rhaituensis Monachus *Vitam S. Joannis Climaci.* [19].

---

7) in *Ejus* Opp. ed. *Vallarsi*. T. II.; ed. Martianay. T. IV. P. II. col. 685. sq.

8) in Ej. Opp. ed. Hieron. *de Prato*. T. I.

9) in Opp. ed. *Schulz* et *Noesselt*. T. III.

10) in Vinc. *Barralis* Chronol. Sanctorum Lirinens. (Lugd. 1613. 4.) p. 103. sq.

11) ed. Jo. *Salinas*. Rom. 1731. 8., et in S. *August*. Opp. ed. *Blampin. et Coustant*. T. X. col. 257. sq.

12) in S. *Fulgent*. Opp. ed. *Mangeant*. Paris 1684. 4.

13) in Vinc. *Barralis* Chron. SS. Lirin.

14) in *Analectt. graec.* ed. Maurin. Paris. 1688. 4.

15) in Ej. Opp. ed. *Ruinart*. p. 1257.

16) in Ej. Opp. ed. M. A. *Lucchi*. (Rom. 1686. II. 4.) T. II.

17) ed. Paris. 1508. 4. et in Ejus Opp. omn. ed. *Maurin*. T. II. col. 149. sq.

18) in *Actt. SS. O. S. Benedicti*. T. I. p. 1.

19) ed. unac. S. Joannis *Climaci* Opp. a Matth. *Radero*, Par. 1633. f.

§. 109. Ex iis autem, qui *post seculum VI* in vitis Sanctorum enarrandis operam collocarunt, quum *ingens ejusmodi Scriptorum numerus* sit, *praestantissimos* duntaxat designare sufficiet. Extat *De vitis et miraculis Patrum Emeritensium* liber a *Paulo Emeritensi Diacono* [1]; scripsit *Beda Venerabilis* vitas SS. *Felicis*, *Cuthberti* episcopi Lindisfarnensis et *Vedasti* Atrebatensis, aliorum; sed quae sub ejus nomine circumferuntur Vitae SS. Abbatum *Columbani*, *Eustasii*, *Joannis Reomaensis* etc. probabilius a *Jona Abbate Luxoviensi*, qui c. a. 664 floruit, exaratae videntur, quemadmodum et *S. Patricii Hibernorum apostoli* vita et miracula rectius *Probo* et *S. Arnulphi* Metensis episcopi vita *Paulo Diacono* majori cum jure accensentur [2]. Extat vita SS. Episcoporum *Martini* Turonensis, *Willibrordi* Ultrajectini, et *Vedasti* Altrebatensis ab *Alcuino* [3]; vita *S. Joannis Damasceni* ab *Joanne monacho Hierosolymitano* [4]; vitae *SS. Isidori* Hispalensis et *Aemiliani* a *Braulione* Episcopo Caesaraugustano; vitae *S. Columbae* libri tres ab *Adamnano* abbate Hyensi; vitae *SS. Gregorii M.*, *Benedicti* et *Mauri* Abbatum, *Scholasticae* Sanctimonialis et *Arnulphi* Episcopi Metensis a *Paulo Warnefridi Diacono*; vita *S. Willehadi* a *S. Anschario* Episcopo Hamburgo-Bremensi; De vita, translatione et miraculis *S. Goaris* libri II a *Wandelberto* monacho Prumiensi; vitae *SS. Adelgundis* et *Rictrudis* ab *Hubaldo* monacho; vita *S. Lamberti* a *Gottschalco* diacono Leodiensi; de *Bedae Venerabilis* morbo et obitu a *Cuthberto* monacho ejusque discipulo, quo praesente mortuus est; vitae *SS. Corbiniani* et *Emmerammi* Episcoporum ab *Aribone* Ep. Frisingensi; vitae *SS. Galli* et *Othmari* Abbatum a *Walafrido Strabone* abb. Richaugiensi; vita *S. Bonifacii* Germa-

1) ed. Th. *Tamajo* de Vargas., Antwerp. 1638. 4.
2) Omnia haec extant in *Bedae* Opp. ed. *Colon.* T. IV. col. 153. sq.
3) in *Ejusd.* Opp. Frobenii *Forster* (Ratisbon. 1777.) II.
4) in Jo. Damasc. Opp. ed. *le Quien*. T. I. p. I—XXVIII.

niae Apostoli a *S. Willibaldo* Episcopo Eichstaedtensi; vita S. *Gregorii* Ep. Trajectini a *S. Ludgero* Ep. Monasteriensi; vita S. *Ludgeri* ab *Alfrido* ejus successore; vita S. *Sturmii* abbatis Fuldensis a *S. Aegile*; vita S. *Anscharii* a *S. Rimberto* ejus successore in episcopatu Bremensi [5]); vitae S. *Columbae* a *Cumiano* Abbate Hyensi et S. *Brigittae* ab *Ultano* Episc. Ardbrecensi; vitae S. *Patricii* a *Melano Probo* monacho O. S. B., S. *Chrodegangi* ab *Herardo* Archiepisc. Turonensi, S. *Remigii* ab *Hincmaro Rhemensi*; vita et passio S. *Lamberti* a *Stephano* Episc. Leodiensi; vita S. *Udalrici* Ep. Augustani ab *Gerardo* Canonico ejusdem ecclesiae; vitae SS. *Odilonis*, *Hilarii*, *Mauri*, *Romualdi*, *Lucillae*, *Florae* a *Petro Damiano* Eccl. Rom. Card. et Episc. Ostiensi; vitae SS. *Wilfridi*, *Anselmi*, *Lanfranci* ab *Eadmero* O. S. B. Priore Cantuariensi; vita S. *Thomae* Aquinatis a Guil. *de Thoco* Ord. Praedic. et Thomae discipulo [6]). Haec aliaque sexcenta medii aevi monumenta biographica exhibent *Aloys.* (et Hieron.) *Lipomanni Vitae Sanctorum* Rom. 1551—60, VIII. 4; *Laur. Surii Vitae Sanctorum*, Colon. 1581. VII. fol.; *Heriberti Rosweydi De vita et verbis Seniorum*, Antwerp. 1628. f.; *Joannis Mabillonii Acta et vitae Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, Paris. 1668. IX. f.; (Jo. *Bollandi* et Socc.) *Acta Sanctorum quotquot toto orbe coluntur*, Antwerp. 1643 et Venet. 1734 sqq., LI. fol. Huc item spectant vitae *Romanorum Pontificum*, quorum permulti in numerum Sanctorum ab Ecclesia recepti sunt. Eorum vitas recenset *Liber Pontificalis*, qui a diversis auctoribus adornatus, denique ab *Anastasio Bibliothecario Romano* ad Nicolaum I. perductus est [7]). Accedunt *Flodoardi liber de RR. Pontificibus*

5) in Jo. *Mabillonii* Actt. et Vitt. SS. Ord. S. Benedicti, Secul. I. sqq. usq. secul. IV. IV. P. II.

6) in *Bollandi* etc. Actt. SS. ad 1. 13. 20. Jan., 1. 7. Febr., 7. 17. 30. Mart., 21. 24. April., 20. Maji, 4. 9. 29. Jul., 3. 17. 22. Sept.

7) ed. F. *Bianchini*, Rom. 1718—1735. IV. fol.

et aliorum imprimis *Gniberti*, *Pauli Bernriedensis*, *Pandulphi Pisani*, *Bern. Guidonis* quasi continuationes [8]).

2. Chronographiae et Historiae sacrae.

a. Scriptores graeci.

§. **110.** Si *Historiarum Scriptores* respicias, inter *Graecos* quidem *Hegesippi Memorabilium libri V*, quibus sacram historiam a passione Domini ad suam usque aetatem contexuit [1]), primum commemorandi forent, nisi, exceptis quibusdam fragmentis ab *Eusebio* servatis [2]), opus hoc injuria temporis periisset. Idem accidit *Pentabiblio chronologico Julii Africani*, quod S. *Hieronymo* Chronicum canonem compilanti ad manus fuisse certum est; et *Philippi Sidetae Historiae eccl. libb. XXXVI*, e quibus unum duntaxt (Photius. Biblioth. Cod. XXXV) fragmentum ad nos usque pervenit. Itaque a quarto demum seculo recensendi sunt deinceps *Eusebius* Caesareae Palaestinensis episcopus, qui scripsit *Historiarum Ecclesiasticarum libb. X.* [3]), Vitam *Constantini* M. Imperatoris [4]), librum *de Martyribus Palaestinae* (§. 107.) et Historiam universalem vulgo *Chronicon* duabus partibus absolutum, quarum altera Chronographia, altera Chronicus canon inscripta, utraque vero in graeco originali deperdita [5]), sed ab *Hieronymo in latinam* (§. 111.) et ab Anonymo seculo quinto in *Armenicam* linguam [6]) translata est. Eusebium secuti sunt *Socrates* Scholasticus

---

8) in Ant. *Muratorii* Scriptt. rerum Itall. T. III. P. I. II.

1) S. *Hieronym.* de viris illustr. c. 22.

2) *Euseb.* Hist. eccl. II. 23., III. 19. 20. 32., IV. 8. 22.

3) ed. ab Henr. *Valesio,* Paris. 1659. f., nuperrime a Fr. Adph. *Heinichen,* Lips. 1827. III. 8.

4) ed. *Heinichen,* Lips. 1830. 8.

5) Hujus *Eusebiani operis compendium* seculo nono excerptum et usque ad ann. 854. productum ed. Ang. *Majus,* Mediolan. 1818. II. 4

6) Ex Armeniaco textu in latin. conversum c. annott. ed. Jo. B. *Aucher,* Venet. 1817. II. 4.

Constantinopolitanus, *Hermias Sozomenus*, *Theodoretus* et *Evagrius*, quorum *Historias ecclesiasticas* omnes edidit Henr. *Valesius* unacum fragmentis *Philostorgii* et *Theodori* Lectoris [7]). Huc spectat *Chronicon Paschale* (vulgo *Alexandrinum*), q. e. compilatio e variis Chronistis antiquioribus, cujus pars prior ad a. 354, posterior usque 630 descendit [8]). Accedunt Chronica *Scriptorum Byzantinorum Nicephori* usque ad annum 769, *Theophanis* usque 813, *Genesii* usque 886, *Georgii* Monachi ad a. 948, *Leonis-Grammatici* ad 949, *Simeonis Metaphrastae* ad 967, *Cedreni* usque 1057, *Zonarae* usque ad ann. 1118. Quorum opera in *Historia Byzantina* junctim edita sunt [9]).

b. Latini.

§. 111. Inter *occidentalium* Scriptorum Chronica praecipue memorandum est S. *Hieronymi Chronicon omnimodae historiae*, opus bipartitum, cujus sectio prior maxime ex *Eusebii* Chronographia in latinum translata, multis Scriptorum jam deperditorum *Alexandri*, *Berosi*, *Manethonis*, *Castoris* fragmentis aucta et ab ao. 325, ubi Eusebius desiit, usque ad annum 378 ab *ipso* Hieronymo absoluta; pars autem posterior, quae Chronicus canon inscribitur, e graeco *Eusebiano* opere supra laudato ab eodem in latinam translata, et cum *Sexti Julii Africani* Chronographia, adhibitis aliis insuper fontibus, augmentata est [1]). Accedunt *Rufini Historiae eccles. libri XI*, quorum novem priores latinam interpretationem *Eusebii* Historiarum continent, ita tamen ut multis mutatis alia

7) ed. Valesius, *Socr. Schol.* et *Herm. Sozom.* Hist. Eccl. Paris. 1668. fol.; *Theodoreti* et *Evagrii* Hist. eccl., item Excerpta ex Hist. *Philostorgii* et *Theodori*, ibid. 1673. f. — cf. F. A. *Holzhausen* Comment. de fontibus, quibus Socrates, Sozomenus ac Theodoretus in scrib. hist. sacra usi sunt, Goetting. 1825. 4.

8) ed. L. *Dindorf*. Bonn. 1832. 8.

9) ed. Venet. 1727. XXIV. et T. suppl. un. Rom. 1777. f.

1) in *Hieronym.* Opp. ed. *Vallarsi*, T. VIII.

addiderit, alia detraxerit; duo autem posteriores libri, quos a Concilio Nicaeno ad Theodosii M. obitum continuavit, ab *ipso* Rufino adornati sunt [2]). Hieronymianum opus tanquam continuatio excipit *S. Prosperi Aquitanici Chronicon*, quod extat in duabus et variis recensionibus, quarum altera Chronicon *Consulare* [3]), a mundo condito ad annum 455 p. Ch. continuatum; altera, incipiens ab ao. 379 ad annum 455 producta, *Imperiale* Chronicon [4]) inscripta est. Sequuntur *Sulpicii Severi Historiae sacrae libri II* a mundo condito ad usque annum 400 p. Chr. [5]); *Pauli Orosii Historiae adversus Paganos libri VII*, a diluvio mundi usque ad annum 416 [6]); *Cassiodori Historia tripartita* i. e. historiae e tribus graecis scriptoribus Socrate, Sozomeno et Theodoreto, ab *Epiphanio* in latinam versis, per Cassiodorum in *compendium* redactae libri XII; item *Ejusdem Chronicon* a primordiis mundi usque ad ann. 519, ex *Eusebio*, *Prospero*, *Hieronymo* magnam partem compilatum [7]); *Ithacii* (sive Idacii) Episc. Limicensis *Chronicón* ab ao. 379, ubi Hieronymus desiit, usque ad ann. 469 continuatum [8]); *Ejusdemque Fasti Consulares*, de quorum tamen genuinitate nonnulli dubitant [9]); *Jordanis* (Jornandis) Abbatis O. S. B. *De Getarum* (Gothorum) *origine et rebus gestis* seu Breviatio, ut ipse ait, e *Cassiodori* libris XII ejusdem argumenti deperditis compilata ita, ut multa etiam

2) ed. Thom. *Cacciarii*, Rom. 1741. II. 4.

3) ed. in *Labbei* Nov. Biblioth. Manuscrr. (Paris. 1677.) p. 16. sq.

4) ed. a Petr. *Pithoeo*, Paris 1588. Utrum vero haec ab eodem Prospero an alio quodam hujus nominis viro conscripta sit, multum ambigitur.

5) in Opp. *Ejusd.* ed. ab Hieron. *de Prato*. T. I.

6) ed. Sigeb. *Havercamp*, Lugd. Bat. 1738. 4.

7) in Opp. *Cassiod.* ed. Jo. *Garet*, T. I. p. 204—396.

8) in Andr. *Gallandii* Biblioth. PP. T. X. p. 323. sqq.

9) Cf. Ch. Fr. *Roesler* Chronica medii aevi (Tubing. 1798.) T. I. §. 3. p. 101.

e Graecis ac Latinis addiderit convenientia [10]). Ab eodem *Jordane* reliquus est liber *De regnorum ac temporum successione*, ao. verisimilius 551 conscriptus et unacum priori libello a *Muratorio* editus. Addenda sunt *Chronica Cuspiani* Ravennatis usque ad ann. 493 progrediens [11]); *Marcellini* Comitis ab ao. 379—566 continuatam [12]); *Victoris* Episcopi Tunnunensis (444—566) [13]); *Gildae* Abbatis cognomento Sapientis *Liber Querulus de excidio Britanniae* [14]); *Chronica Marii* Episcopi Aventicensis (455—584) [15]) et *Joannis* Abbatis Biclariensis (566—590) [16]); *S. Gregorii Ep. Turonensis Historiae eccl. Francorum* (usque ad a. 591 productae) libri X, qui proximo seculo a *Fredegario* Scholastico usque ad 641, atque inde, ut videtur, saepius varia manu ad annum 768 usque continuati sunt [17]); *S. Isidori* Ep. Hispalensis *Chronicon* a creatione mundi usque ad ann. 627, et *Ejusdem Historia de rebus Gothorum* et *Historia Vandalorum et Suevorum* [18]); *S. Bedae Venerabilis Chronicon s.* liber de sex hujus seculi aetatibus, usque ad ann. 627; *Ejusdem Historiae eccl. gentis Anglorum* usque ad 731 diductae libri V, queis in plerisque exemplaribus annexum est *Breviarium* historiae Anglorum, quod tamen pos-

10) in Ant. *Muratorii* Scriptt. rerr. Itall. (Mediol. 1723.) T. I.; it. in Cassiodori Opp. ed. Garet. T. I. p. 397—425. Cf. quae hac de re disseruit Seb. *Freudensprung* in commentatione De Jordane ejusque Libellorum natalibus. Monach. 1837. 4.

11) *Roncalli* Vetustt. Latt. Scriptt. Chronica ad Mss. Codd. emend. (Patav. 1787. 4.) P. II. p. 104. sqq.

12) in *Roncalli* Vett. Latt. Chron. P. II. p. 266. sqq.

13) in *Gallandii* Bibl. PP. T. XII. p. 223. sqq.

14) ed. C. *Klinkhamer*, Amstelod. 1829. 8.

15) ed. *Chifflet* in *Du Chesne* Hist. Franc. T. I. p. 210. sqq.

16) in *Roesleri* Chronn. med. aevi, T. I. p. 125. sqq.; et unac. Prosperi Aquit. et Victoris Tunun. Chronicc. in Canisii Lect. antiqq. ed. Basnage. T. I. p. 264—342.

17) in *Greg. Turon.* Opp. ed. Theod. *Ruinart*. Lut. Paris. 1699. fol. cf. C. G. *Kries* De Gregorii Turon. vita et scriptis, Vratisl. 1839. 8.

18) ed. a *Garcia de Loaisa*, Taurin. 1593. 4.

teriori manu, si non totum tamen ex parte, compilatum et ad annum usque 768 extensum est [19]); *Pauli Diaconi De gestis Longobardorum* (usque ad annum 773) libri VI [20]).

§. 112. Accedunt *Annales* variorum auctorum: *Laurissensis (Loiseliani)* ab ao. 741—829; *Einhardi* Abbatis Annales rerum gestarum *Pipini, Caroli et Ludovici* (741—829); *Ejusdem* Annales *Fuldenses* (714—838) c. accessionibus a *Rudolpho* Monacho Rabani Mauri discipulo, aliis, usque ad a. 901 [1]); *Ejusdem Vita Caroli M.* [2]), et *Thegani* chorepiscopi Trevirensis *De gestis Ludovici Pii* [3]); *Anonymi Presbyteri Salisburgensis De conversione Bajuariorum et Carentanorum* [4]); *Hincmari*, Archiepisc. Rhemnensis Annales *Bertiniani* (ab ao. 861—882) [5]); *Flodoardi* Abbatis *historia Ecclesiae Rhemensis* usque ad 948 ab ao. 877 concepta [6]); *Regionnis* Pruniensis Abbatis *Chronicon* ad annum 908, ab Anonymo autem usque ad 967 continuatum [7]); *Wittichindi* monachi Corbejensis *Annales* ad ann. 937 usque [8]); *Luitprandi* Episc. Cremonensis *Historia rerum suo tempore gestarum* (a. 886—946) [9]); *Ditmari* Ep. Martisburgen-

---

19) in *Bedae* Opp. (ed. Colon. 1688.) T. II. p. 103. sqq. et T. III. pr.; Chron. Anglosaxonicum separatim ed. *Ingram*, Londin. 1823. 4. — Cf. H. *Gehle* de Bedae Venerab. vita et Scriptt. Lugd. Bat. 1839. 8.

20) in *Muratorii* Scriptt. rerum Itall. T. I. p. 395. sqq.

1) in *Pertzii* Monumm. hist. german. (Hannov. 1826. sqq.) T. I.

2) ed. G. G. *Bredow*, Helmstad. 1806. 8. Additamenta in *Morelli* Biblioth. gr. et lat. (Bassan. 1802. 8.)

3) in Mart. *Bouquet* Rerr. Gallicc. et Francc. Scriptt. Opp. (Paris. 1738—1767. XI. fol.) T. V.

4) in *Oefele* Scriptt. rerum Boicarum. T. I. p. 280. sqq.

5) in *Pertzii* Monumentt. hist. Germ. T. I.

6) ed. Georg. *Colvernerius*, Duaci 1617.

7) in Jo. *Pistorii* Scriptt. rerum German. (ed. Burch. Gotth. *Struve*, Ratisbon. 1726.) T. I.

8) ed. *Meibom*. Francof. 1621. f.

9) in Lud. Ant. *Muratorii* Scriptt. rerum Italicc. T. II. P. I.

sis *Chronicon* de rebus gestis *Henrici I.*, *Ottonum*, *Henrici II.* (876—1028)[10]; *Glabri Radulphi historiae Francorum* (ab ao. 900—1044) libri V[11]; *Hermanni Contracti* Monachi Reichenaugensis *Chronicon* usque ad ann. 1054[12]; *Adami* Canonici Bremensis *Histor. eccl.* (768—1076) a Carolo M. usque ad Henricum IV.[13]) Monachorum O. S. B., *Lamberti Schaffnaburgensis Chronicon*, maxime e Beda aliisque excerptum et ad annum 1077 productum, postea ab alio monacho ad a. 1472 continuatum; *Mariani Scoti Chronicon* usque ad a. 1200 a *Dodechino* Abbate Trevirensi; *Sigeberti Gemblacensis Chron.* (381—1112) cum accessionibus usque ad ann. 1200 descendens[14]); *Cosmae Pragensis* ecclesiae Decani *Chronicon Bohemorum* (ab a. 894—1125)[15]); *Odorici Vitalis Historiae eccl. libri XII* usque ad an. 1142[16]); *Ottonis Frisingensis* Episcopi *Chronicon* ad annum usque 1152.[17]); *Ejusdem Historiarum de gestis Friderici I.* libri octo, quos *Radevicus* ad ann. 1160 usque produxit[18]); *Helmoldi* Bosoviensis presbyteri *Chronica Slavorum*[19]); *Conradi Ursbergensis* Abbatis O. Praemonstratensium *Chronicon Ursbergense*[20]); aliorum.

VI. Certerarum artium ac literarum studia.

§. 113. Adeo in *Arithmetica*, *Geometria*, *Physica*, *aliarum artium ac literarum studiis*

10) in *Leibnitzii* Scriptt. rerr. Brunsvicens. ed. *Wagner*, Norimberg. 1807. 4.

11) in *Bouquet* l. l. T. VI.

12) ed. Aem. *Ussermann*, typis San-Blasian. 1790—94. II. 4.

13) ed. J. J. *Maderus*, Helmstad. 1670. 4.

14) Omn. in *Pistorii* Scriptt. l. l. T. I.

14) in *Pelzel* et *Dobrowsky* Scriptt. rer. Bohemm. (Prag. 1784.) T. I.

16) in *Du Chesne* Scriptt. Normann. Paris. 1619. f.

17) in *Urstisii* Scriptt. rerum German. (Francof. 1670. f.) T. I.

18) in *Muratorii* Scriptt. Ital. T. VI.

19) ed. *Bangert*, Lubec. 1659. 4.

20) unac. *Reginonis* et *Lamberti* Chronic. ed. Argentor. 1609. f.

nonnulli pro illis, in quibus vivebant, temporibus cum laude versati sunt. Omissis enim illis, quae in epistola S. *Barnabae* (c. 10.) de natura quorumdam animalium, item in S. *Clementis Romani* Epistola I ad Corinthios (c. 20. c. 23 — 26) communiter observata sunt, quaeque *Clemens Alexandrinus*, *Ambrosius*, *Basilius*, *alii* in operibus suis exegeticis de Mundi creatione ceterisque datis occasionibus proferunt; eos tantum Scriptores ecclesiasticos commemorare licet, qui *singulare quidpiam* in istis literis profecerunt. Sic *Origenes* praeter Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Philosophiam etiam *Arithmeticam*, *Geometriam*, *Musicam* ita didicit, ut studiosos *secularium quoque* literarum sectatores haberet [1]). *Firmicus Maternus* communiori sententia habetur auctor operis inscripti *Matheseos* (imo rectius *Astronomiae*) libb. VIII [2]). *S. Epiphanius* librum composuit, cui titulus *Physiologus* seu de natura ferarum et volucrum. [3]). *Cosmas Aegyptius* monachus cognomine Indicopleustes a multis, quae instituerat, itineribus dictus exaravit *Topographiam christianam* s. Christianorum opinionem de mundo [4]). *Aurel. Cassidorus* praeter alia permulta, quae ad rhetoricam, historiam ecclesiasticam ac theologiam exegeticam et dogmaticam spectant, opusculum quoque valde celebratum edidit *De artibus et disciplinis liberalium literarum* [5]). *Boethius* jam toties laudatus scripsit *Arithmeticam* duobus libris maxime secundum Nicomachum Graecum, item *De musica* libb. V, et *De geometria* libb. II, quorum prior versionem libri Euclidis, posterior institutionem operis et commendationem continet [6]). *S. Isi-*

1) *S. Hieronym.* De vir. illustr. c. 54.

2) in Ejus Opp. ed. a Sim. *Bevilaqua*, Venet. 1497. f.

3) in Ejus Opp. ed. a Dionys. *Petavio* (Paris. 1622. II. f.) T. II.

4) in Bern. *Montfauconii* Coll. PP. graec. (Par. 1607. II. f.) T. II. p. 113—345.

5) in Ejus Opp. ed. ab Jo. *Garet* (Rothomag. 1679 et Venet. 1729. II. f.) T. II. p. 558—592.

6) Cf. Jo. Chr. Fel. *Baehr* Geschichte der römischen Literatur. (II. Ausg. Karlsruhe 1832. 8.) §. 326. S. 675.

dorus Hispalensis praeter *Originum* s. *Etymologiarum* libros XX, qui humaniores disciplinas prope omnes sapiunt, singulare quoddam *De natura rerum* opusculum exaravit [7]). Memorandi sunt praeterea libri *S. Bedae Venerabilis De tonitruis; De mundi constitutione; De natura rerum; De planetarum et signorum ratione; De aequinoctio verno, cett.* [8]); *S. Joannis Damasceni Canon paschalis; De chronologia Judaeorum, Aegyptiorum, Graecorum, Macedonum, Romanorum; Institutiones physicae* [9]). *Gerbertus*, assumto *Sylvestri II* nomine ad summum sedis Romanae pontificium evectus *cunctis artibus liberalibus* a puero nutritus [10]) adeoque excultus est, ut perfectissimam ejus in *mathematicis* peritiam, in instrumentis *physicalibus*, horologiis novis, aliis machinis excogitandis acerrimum ingenium, in perficiendis industriam superstitiosius admirarentur illius seculi homines [11]). *Hermannus Contractus* in coenobio Divitis Augiae O. S. B. monachus, Graecae, Latinae, Arabicae linguae, sacrae Scripturae, et secularium quoque artium mire peritus, Philosophus, Rhetor atque Poëta necnon *Mathematicus, Astronomus, Musicus*, vir eximia probitate aeque ac literarum fama celeberrimus fuit. Scripsisse eum *De anni computo; De motu Lunae; De astrolabio*, aliaque complura ex Alberico et chronico Mellicensi constat. [12])

§. 114. Quid plura? Satis enim superque demonstratum est, *SS. Patres et Scriptores ecclesiasticos in ge-*

7) in Ejus Opp. ed. a Faust. *Arevalo* (Rom. 1797—1803. VII. 4.) T. VII.

8) in Ejus Opp. (ed. *Colon.* 1688. VIII. f.) T. I. p. 324. 372. 388. T. II. 343. 387.

9) in Ejus Opp. ed. *le Quien* (Paris. 1711. II. fol.) T. I. p. 379. sq.

10) Cf. Conr. *Spoerl* Dissert. Altdorf. 1720. 4.

11) Indicem Operum Ejus philosoph. physic. mathemat. contexuit G. C. *Hamberger* Zuverlässige Nachrichten der vornehmsten Schriftsteller (Lemgo 1756—1764. IV. 8.) T. III. p. 810—812.

12) Extant ejus Opp. in *Petzii* Thesaur. Anecdott. (Graecii 1721. IV. f.) T. III. P. II. col. 94. sq.

nere non mediocriter versatos esse *in iis fere omnibus*, quae *liberales* et *humaniores* nuncupari solent, *artibus ac disciplinis*, si praesertim, quod cujuslibet aequi judicis est, ad *tempora* quibus vixerunt et scripserunt attendamus, atque ex illorum conditione eruditionem Patrum aestimemus. Ingenue quidem fatemur, reperiri posse et revera offendi multos in unius alteriusve scriptis *defectus* partim quoad *methodum* partim quoad *stylum*. „*Declamant interdum*, *alibi parum recte ratiocinantur*, *accurata critices scientia in nonnullis*, ne dicam in plerisque *frustra desideratur*, *apocryphis quandoque utuntur aliaque peccant*, quae in nostro lumine scientiarum et artium aut non feras aut saltem non laudes [1]). Sed ea de causa eosdem sugillare aut contemnere, impudentis animi ac prope inhumanum est. In his enim aliisque gravioribus mendis, *Chronologiae* inquam et *Geographiae*, quarum maxima est ad historiae sacrae intelligentiam utilitas imo necessitas, fac peccasse interdum Ecclesiae Patres, minime tamen loco movetur eorum *auctoritas*, quae aliis omnino innixa est fundamentis [2]). Verum etiam dum de *eruditione* SS. Patrum agitur, *ea* potissimum attenditur, quae ad *res sacras* earumque diversas disciplinas spectat, ad *theologiam* nimirum *exegeticam*, *dogmaticam*, *polemicam*, *symbolicam*, *moralem*, *pastoralem*, *catecheticam et homileticam* et *ad disciplinam ecclesiasticam*. Quid in his singulis praestiterint, nunc breviter dispicere animus est.

B. Patrum eruditio in literis sacris.

I. Eruditio eorum exegetica.

§. 115. In *theologia exegetica* sive ea doctrina, quae de *Scriptura sacra interpretanda* ejusque *vero sensu*

---

1) Cf. Lamindi Pritanii (Lud. *Ant. Muratorii*) De ingeniorum moderatione in religionis negotio (Paris. 1714. 8.) Lib. III. c. 16. p. 612.

2) *Bonaventurae Argonensis* De optima methodo legendorum Ecclesiae Patrum (Aug. Vind. et Wirceburg. 1756. 8.) p. 39.

in locis praesertim obscurioribus *investigando* agit, Doctores et Patres Ecclesiae ingenia sua varia ratione exercuerunt, variique generis monumenta reliquerunt, quae etiam apud *posteros* eo majori veneratione coluntur, quo minus dubium esse potest, *primitivam Ecclesiam ab Apostolis et viris apostolicis non solum Scripturae textum sed etiam* legitimam et quasi *nativam ejus interpretationem* accepisse. Hinc S. *Irenaeus* [1]) monet „*expositionem legitimam Scripturarum per traditionem Majorum accipiendam.*" „*Dignum* propterea *est*, ait S. *Fulgentius Ruspensis* [2]), *ut in singulis quibusque scientiis, in quibus nubilo cujusdam obscuritatis obtegimur, SS. Patrum definitionibus inhaereamus, quos praeveniens misericordia Dei gratis illuminavit.*" Quemadmodum igitur ipsi *Patres SS. Basilius et Gregorius Nazianzenus* teste *Rufino* [3]) sacrarum Scripturarum intelligentiam *non ex propriae mentis penu sed ex Veterum traditione* depromserunt; ita et nos, ut cum Aurelio *Cassiodoro* [4]) loquar „*ad divinam Scripturam ascendamus per expositiones probabiles Patrum velut per quandam scalam visionis Jacob, ut eorum sensibus provecti ad contemplationem Domini efficaciter pervenire mereamur.*" Scripta autem Patrum *exegetica* alia sunt quasi *propaedeutica*, nimirum quae introductionis loco ad Scripturam intelligendam haberi possunt, vel ad enodandas difficultates conducunt; alia *versiones* seu translationes ex hebraica in graecam, ex graeca in latinam linguam; alia proprie *commentaria* in libros singulos Scripturae sacrae tam Veteris quam Novi Testamenti.

1. Monumenta hujus generis patristica.

a. *Scripta propaedeutica et subsidiaria.*

§. **116.** Scripta sanctorum Patrum, quae tanquam

1) adv. Haeres. IV. 63.
2) Lib. de veritate Praedest. c. 14.
3) Hist. eccl. III. 5.
4) Lib. de Divv. Institt.

introductiones ad intelligentiam S. Scripturae haberi possunt, aut locis difficilioribus lucem afferunt, haec sunt praecipua: *Origenis Philocalia*, ubi nonnihil de austeritate, stylo et interpretatione S. Scripturae, cetera de obscuris in eadem occurrentibus locis disserit auctor [1]; — *Eusebii* liber *de locis ebraicis* s. Onomasticon urbium et locorum s. Scripturae [2]; — *S. Athanasii Epist. ad Marcellinum* de interpretatione Psalmorum [3]; — *S. Gregorii Nysseni Tractatus duo in Psalmorum inscriptiones* [4]; — *S. Hieronymi Prologus galeatus* s. Praefatio in IV libros Regum [5], *Epistola ad Pammachium* de optimo genere interpretandi, *Epist. ad Paulinum* de studio Scripturarum, *Epist. ad Marcellam* de nominibus Ephod et Theraphim, *aliae* Epistolae, quae *criticae* sive exegeticae sunt [6]; *De nominibus hebraicis* sc. Propriis in S. Scriptura obvenientibus, quae ordine alphabetico derivata interpretatus est; *De situ et nominibus locorum hebraicorum*, qui liber secundus est Eusebii ejusdem tituli in latinam translatus, nonnullis tamen additis, omissis, mutatis [7]. — *Tychonii Afri Septem regulae* sc. ad intelligendam S. Scripturam [8]; — *S. Augustini De doctrina christiana libri IV*, qui de interpretatione Scripturarum et vero sensu indagando instituunt [9]; item *Liber de octo Dulcitii Quaestionibus*, in quo ad quaestiones cum dogmaticas tum exegeticas respondetur [10]; — *S. Eucherii*

1) ed. gr. et lat. c. nott. Jo. *Tarini*, Paris. 1629. 4.

2) ed. gr. c. sua et S. Hieronymi versione Jac. *Bonfrerius* et Jo. *Clericus*, Amstelod. 1707. fol.

3) in Ej. Opp. (ed. *Montfaucon.*) T. I. P. II.

4) in Ejus Opp. (ed. Paris. 1638.) T. I. p. 257. sqq.

5) in Ejus Opp. ed. Maurin. T. I. col. 317. sq.

6) ibid. T. II. Epist. I—XVIII. col. 561. sqq., T. IV. Epist. I—IX. col. 145. sqq.

7) ibid. T. II. col. 1. 385. sqq.

8) in *Galland.* Biblioth. PP. T. VIII. p. 107. sqq.

9) ex rec. Maurin. ed. J. Chr. *Teeg*, Lips. 1769. 8.

10) ed. c. praefat. H. *Olshausen*, Regiomont. 1824. 8.

De formulis spiritualis intelligentiae liber, in quo Verano filio nonnulla verba et phrases biblicas sensu typico mysticoque exponit [11]; Ejusdem *Institutionum ad Salonium libris duo*, quorum alter de difficilioribus S. Scripturae quaestionibus agit, alter interpretationem nominum hebraicorum ibi occurrentium exhibet [12]; — *S. Isidori Pelusiotae Epistolarum libri tres de interpretatione S. Scripturae*, in quibus loca dubia et difficiliora (maxime Chrysostomum imitatus) explanavit [13]; — *Aurelii Cassiodori De institutione divinarum literarum liber unus*, quo veluti Isagogen ad theologiam exegeticam suppeditat, et veterum interpretum notitiam exhibet indicans, quo ordine libri divini in lectione assumendi sint, simulque doctores ostendens qui S. Scripturam explanaverint, qua porro cautela divina auctoritas legenda sit, et quae a Synodis recipiantur [14]; — *Adriani* cetera parum noti *Isagoge s. introductio in S. Scripturam* [15]; — *S. Isidori Hispalensis Prooemia in libros V. et N. T.*, quibus singuli, qui S. Canonem constituunt, libri recensentur; item *Allegoriae quaedam S. Scripturae s.* breviores expositiones variorum nominum et locorum tam V. quam N. T. [16]; — *Hugonis a S. Victore De Scripturis et Scriptoribus sacris praenotiones* [17]; — *Richardi a S. Victore Declaratio difficultatum S. Scripturae ad S. Bernardum* [18]; Ejusdem *De templo Salomonis ad literam*, *De concordia temporum in libris Regum*, *De visione Ezechie-*

---

11) in Biblioth. max. PP. *Lugdun.* T. VI., p. 822. sq.

12) ed. Rom. 1564. 4.

13) in Ejus Opp., c. nott. Rittershus. ed. Andr. *Schottus*, Paris. 1638. f.

14) in Ejus Opp. ed. *Garetii*, (Rotomag. 1679. II. f.) T. II. p. 537—558.

15) gr. c. schol. ed. Dav. *Hoeschel*, Aug. Vind. 1602. 4.

16) in Ejus Opp. ed. Faust. *Arevali* T. V.

17) in Ejus Opp. (ed. Rothomag. 1648. III. f.) T. I. init.

18) in Ejus Opp. (ed. Venet. 1592. II. f.) T. I.

lis, aliaque ad singulares in expositione ss. literarum difficultates enodandas composita opuscula [19]).

§. 117. Ad intelligentiam S. Scripturae haud parum conducunt *Loca parallela* et *Concordantiae s. Harmoniae*, quibus loca Scripturae sacrae, quae inter se pugnare videntur, conciliantur, et omnimodus divini Codicis consensus demonstratur. Primus Harmoniam Evangelicam scripsisse dicitur *Tatianus* cum inscriptione *Evangelium ex quatuor* [1]) sc. Evangeliis compositum. Quae collectio a *Victore* Episcopo Capuano († 560) in latinam versa, et cum commentariis *Zachariae* Episcopi Chrysopolitani († 1160) edita est [2]). Extat alia quoque antiqua *Harmonia Evangelica*, quae *Ammonio Alexandrino* tribuitur et ab Ottmaro *Luscinio* in latinam translata est [3]). Sed utraque pro communiori Criticorum judicio tanquam *suppositítia* rejicitur. Alia porro sed ea longe diversa recensio eidem *Ammonio* accensita s. t. *Quatuor Evangeliorum consonantia* in lucem prodiit [4]). Verum haec probabilius a *juniore* aliquo Scriptore seculo demum quinto exarata est. Meliori autem jure huc referuntur *Eusebii Caesareensis Canones* seu *Indices X Harmoniae Evangelicae* [5]); — *S. Augustini De consensu Evangelistarum libri IV*, luculentissimum sane harmoniae evangelicae monimentum [6]); — *S. Gregorii M. Concordia quorundam testimoniorum S. Scripturae* [7]) — *S. Joannis Damasceni Sacra Parallela*, qui liber in certos titulos distinctus dictis S. Scripturae et SS. Patrum constat [8]); Sed utrum genuinus sit, a nonnullis VV. DD. subdubita-

19) ibid. T. II.
1) *Euseb.* Hist. Eccl. IV. 29.
2) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. XIX. p. 732—957.
3) ed. Ottm. *Luscinius,* Aug. Vindel. 1523.
4) ed. Mich. *Memler,* Mogunt. 1524.
5) ed. gr. c. Nov. Testam. Jo. *Millius,* Lips. 1723. f.
6) in Ejus Opp. ed. *Maurin.* T. III. P. II. col. 1. sqq.
7) in Ejus Opp. ed. *Maurin.* T. III. P. II. col. 562. sqq.
8) in Ejus Opp. ed. M. *le Quien.* T. II. p. 279. sqq.

tur. — *Berthariì* Cassinensis Abbatis sub med. secul. IX *Αντικειμενων* i. e. *Contrapositorum libri III*, seu Quaestiones ex utroque Testamento super variis locis in speciem pugnantibus, earumque dilucidae solutiones; quod opus satis diu sed perperam S. *Juliano Toletano* attributum est [9]). — *Hugonis a S. Caro Concordantiae Bibliorum*, quibus omnia vocabula in S. Scripturis ex versione Vulgata occurrentia ordine alphab. digesta, et varii loci, ubi in Bibliis reperiantur, accurate notata sunt [10]).

b. S. Scripturae Versiones et Metaphrases.

§. 118. Secundum inter Scriptores exegeticos adsignamus locum iis, qui SS. Literarum *Metaphrases* conscripserunt, aut *Versiones* vel ipsi adornarunt, vel ab aliis compositas collegerunt. Optime in his posterioribus meritus est *Origenes*, qui diversorum auctorum interpretationes S. Scripturae conjunctim exhibuit, et per columnas disposuit ita, ut omnes uno quasi conspectu oculis se subjicerent, eoque facilius inter se comparari possent. Hujusmodi, quae composuit volumina, sunt *Tetrapla*, ita nempe disposita, ut prima columna versionem Aquilae, secunda Symmachi, tertia Septuaginta interpretum, et quarta Theodotionis exhiberet; Ejusdem *Hexapla*, in quibus prima columna lextum hebraicum hebraicis literis, secunda eundem textum hebraicum sed graecis literis descriptum, reliquae autem quatuor columnae versiones supra memoratas eodem ordine complectebantur; Ejusdem *Octapla*, quae additis ad Hexapla editionibus Hierichuntina et Nicopolitana enata sunt. Periit hoc opus triplex maximam partem, nec quidquam nobis nisi fragmenta supersunt, quae post Jo. *Drusium* (Lugd. Batav. linguarum orientalium Professorem) et *Flaminium Nobilium* (s. Petrum Morinum) vir eruditissimus Bernard. *de Montfaucon* evulgavit [1]).

9) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XII. p. 652—692.

10) ed. jussu *Sixti* V., Lugd. 1665. 4.; Vienn. 1825. f.

1) *Hexaplorum Origenis*, quae supersunt, ed. B. de *Montfaucon*, Paris. 1713. II. f.

Alb. Fabricius in Ej. Opp. edit. T. I. p. 266—273 et T. II. p. 22—45. collegit. — S. *Gregorii Thaumaturgi Paraphrasis in Ecclesiasten*, quae duodecim capitulis constat [7]); — *Eusebii Caesareensis Commentariorum in Canticum Canticorum fragmenta* [8]); Ejusdem *Commentt. in Psalmos* [9]), exceptis iis, qui in Psalmos XXXI posteriores commentati sunt et adhuc desiderantur; item *Comm. fragmm. in Isaiam*, quorum magna pars nobis servata est [10]). — *S. Athanasii Epistola ad Marcellinum in Psalmos* et Ejusd. *Expositiones* [11]), quae tamen non integrae ad nos pervenerunt, et a nonnullis tanquam suppositítiae rejiciuntur. Alia Ejusdem *Montfauconius* primum publici juris fecit, nempe *Argumentum in Psalmos*, et *Supplementa Commentarii in Psalmos* [12]). — *S. Basilii Homiliae novem in Hexaëmeron*, in quibus maxime textus literam explicat in grammaticum sensum descendens; item Homiliae *tredecim in Psalmos* [13]). De Homiliis aliis Ejusdem utpote magis oratoriis vd. infra. — *S. Gregorii Nysseni Explicatio in Hexaëmeron* [14]) quae dicitur apologetica, quoniam Moysis auctoritatem tuetur, atque ea defendit, quae nonnulli in Basilii fratris sui Hexaëmero reprehenderant; item *Explanatio Cantici Canticorum* [15]), *Tractatus duo de Psalmorum inscriptionibus* et *Commentarius in Psalmum sextum;* acced. Homiliae VII. quae continent expositionem in *Ecclesiasten Salomonis* [16]). — *Theo-*

---

7) gr. et lat. ed. Andr. *Schottus*, Antw. 1613. 8.

8) gr. ed. Jos. *Meursius*, Lugd. Batav. 1617. 4.

9) ed. in Bern. de *Montfaucon*. Collect. nov. PP. et Scriptorum graecc. Eusebii, Athanasii, Cosmae Aegypt. (Paris. 1706. II. f.) T. I. p. 1—732.

10) Ibid. T. II. p. 357—598.

11) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. I. P. II. p. 1009. sq.

12) in *Montfaucon*. Collect. nova PP. T. II. p. 69—102.

13) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier* et Prud. *Maran*. T. I. p. 1. sq.

14) in Ej. Opp. (ed. *Paris*. 1638. III. f.) T. I. p. 1—44.

15) ibid. T. I. p. 468—712.

16) ib. T. I. p. 257—373. 373—468.

dori Mopsvesteni Commentarii in Hexaëmeron, in Psalmos, in Cantica Canticorum, in XII Prophetas minores; eorum tamen nonnisi fragmenta supersunt [17]), sed in iis, quae extant hodie, magis alienus ab Allegoriis grammatico potissimum et historico sensui eruendo inservit [18]). — *S. Joannis Chrysostomi Homiliae* diversae in diversa S. Scripturae loca (vd. infra); Ejusdem *Expositio in Psalmos* (Ps. 3—12. 41. 43—49. 108—117. 121—150.); *Interpretationes in Isaiae VIII Capita* [19]); — *S. Cyrilli Alexandrini Glaphyra* i. e. Elegantia *Commentaria in Pentateuchum* [20]), imo vero in selecta quaedam Pentateuchi loca, ubi allegoricum inprimis sectatur sensum, et collatis diligenter utriusque Testamenti libris ostendit, in veteri figuram quasi atque umbram contineri illorum, quae in novo Foedere evenire debuerunt; porro *Commentarius in Isaiam libb. V*, in quibus autem sensui literali magis quam alibi insistit [21]). — *Theodoreti Quaestiones in Octateuchum* i. e. in priores octo V. T. libros, item in *Libb. Samuelis, Regum, Paralipomenon; Interpretatio in Psalmos et in Cantica Canticorum; Commentarii in Isaiam excerpta, Commentt. in Jeremiam, in Threnos, in Ezechielem, Danielem et XII minores Prophetas* [22]); — *Procopii Gazaei Scholia exegetica in Octateuchum* [23]), *Com-*

17) ed. in Fr. *Münteri* Fragmm. PP. graecorum, (Hafn. 1788. 8.) Fasc. I. Sed interpretationem *Prophetarum XII.* non multis abhinc annis e Vaticc. Codd. erutam publici juris fecit Angel. *Majus* in Nov. Collect. Scriptt. vett. T VI. p. 1—298.

18) Cf. F. L. *Siefferti* Theodorus Mopsvestenus Veteris Testamenti sobrie interpretandi vindex. Regiomont. 1827. 8.

19) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon.* T. V. p. 1—538. T. VI. p. 1—93.; De Ejusd. Expositione in *Danielem* (ibid. p. 200—258.) num genuina sit, plurimi VV. DD. haesitant.

20) in Ej. Opp. *Gentian. Hervet.* (Paris. 1604. II. f.) T. I. p. 1.

21) ib. T. I. p. 111.; in ed. Auberti T. II., ubi etiam *Comment. in XII Prophetas minores,* qui apud *Hervetum* desideratur.

22) in Ej. Opp. ed. *Schulze* et *Noesselt.* T. I. II.

23) ed. lat. tantum a Cunr. *Clausero* et Hartm. *Hamberger,* Tiguri 1555. f.

mentarii in libb. IV Regg. et *libb. II. Paralipomenon* [24]), nec non *Variorum in Isaiam Commentariorum epitome* [25]). — *S. Anastasii Sinaitae* Anagogicarum *explanationum in Hexaëmeron* Libri XI [26]). — *Euthymii Zigabeni* Monachi Constpltani *Commentarii in omnes Psalmos*, lat. tantum e versione Phil. Sauli Episcopi Brugnatensis [27]).

b) *Latini.*

§. 121. Ex parte Patrum *Latinorum* commendantur *S. Victorini Petavionensis* (ut plurimi ferunt) *De Fabrica Mundi* s. Commentariorum in Genesin fragmentum [1]); — *S. Hilarii Pictaviensis Tractatus super Psalmos septuaginta novem*, quos quidem nunc exemplaria exhibent [2]); accedunt *tres noviter reperti* [3]); in omnibus autem Hilarius Origenem imitatur, nonnulla de suo addens, et sensum literalem ubique etiam cum mystica interpretatione conjungens; — *S. Ambrosii In Hexaëmeron libri V* e novem sermonibus quos habuerat concinnati, in quibus interpretatione mystica insertisque moralibus permultis reflexionibus utitur. Eundem allegoricum modum servat in libellis, qui huc spectant, *De Paradiso, de Cain et Abel, de Noë et Arca,* cett. [4]), de quibus infra inter PP. *opp. homiletica.* Extat Ejusdem etiam *Commentarius in Canticum Canticorum*, ex Scriptis nempe

24) gr. et lat. ed. Jo. *Meursius,* Lugd. Batav. 1620. 4.

25) gr. et lat. ed. *Paris.* 1580. f.

26) lat. ex vers. *Gretseri* in Bibl. PP. max. *Lugd.* T. IX. p. 857—912.

27) ibid. T. XIX. p. 235—461.

1) ed. in Guil. *Cave* Scriptt. eccl. hist. lit. (Basil. 1741. II. f.) T. I. p. 148. sq.

2) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* (Petr. *Coustant.* Par. 1693. f.; auct. cur. Scip. *Maffei,* Veron. 1730. II. f.) T. I.; ed. Wirceb. cur. *Oberthür.* T. II. p. 187—619. et T. III. p. 1—311.

3) ed. in A. *Gallandii* Biblioth. PP. T. V. p. 85. sqq.

4) in Ej. Opp. ed. Cardin. Fel. de *Monte Alto.* T. I. col. 1. 107.

Ambrosii a *Guilielmo* Abbate postea Monacho Signiacensi collectus [5]); porro *Enarrationes in XII Psalmos* (Ps. 1. 35—40. 43. 45. 47. 48. 61.), ubi praeter sensum literalem expositionem etiam allegoricam et mysticam Graecorum more secutus est. Parem explanandi rationem prae se fert Ejusdem *Expositio in Psalmum CXVIII* e concionibus viginti duabus ad populum habitis concinnata [6]). — *Rufini De Benedictionibus XII Patriarcharum libri duo* [7]), rogante Paulino Nolano compositi, quibus explicantur vaticinia Jacob in libro Genes. c. XLIX ex sensu tam historico quam morali et mystico. — *S. Hieronymi Liber hebraicarum quaestionum in Genesin* [8]), quo versionem latinam cum textu hebraico ac versionibus graecis confert; *Commentarii in Ecclesiasten; Homiliae duae in Canticum Canticorum* ex Origene in lat. translatae c. brevi prooemio ad Damasum Papam [9]); *Commentarii in Isaiam libri XVIII; Homiliae novem in visiones Isaiae*, ex Graeco Origenis, de quarum tamen genuinitate nonnulli dubitant; *Commentarii in Jeremiam*, ad Eusebium Episcopum Cremonensem opus posthumum, continens triginta et duo priora capita Jeremiae; *Commentarii in Ezechielem* libri XIV; *in Danielem* cum Prologo, quo Danielis libri authentiam adversus Porphyrium tueri studet; *Homiliae* Origenis viginti octo *in Jeremiam et Ezechielem; Commentarii in XII minores Prophetas* multis excursibus cum dogmaticis tum polemicis nec paucis interdum moralibus reflexionibus exstructi [10]); plures denique *Epistolae*, *criticas* quas vocant, imprimis ad *Fabiolam*, *Rufinum*, *Damasum*, *Vita-*

---

5) ibid. T. II. col. 649.

6) ib. T. II. col. 873.

7) in Ej. Opp. ed. *Vallarsi*, T. I.

8) in Ej. Opp. ed. *Vallarsi*. T. III., ed. *Martianaei* T. II. col. 507. sqq.

9) ed. *Vallarsi* T. eod.; ed. *Martian.* T. II. col. 715. sq., col. 807. sqq.

10) ed. *Vallarsi*. T. IV. V. VI.; ed. *Mart.* T. III., col. 5. sqq.

lem, all.[11]) — *S. Augustini De Genesi ad literam*, liber imperfectus, quo primum duntaxat caput Geneseos explicare coeperat, et multis demum annis interpositis novos addidit *De Genesi ad literam libros duodecim*; item *Quaestionum in Heptateuchum libri VII*, ubi de variis rebus difficilioribus et dictis librorum Mosis, Josue ac Judicum disserit; *Locutionum libri VII*, quibus nonnullos singulares loquendi modos in libris hisce explicat; *Annotationum in Job liber unus*, quas rectius glossas dixeris quasi marginales ex aliis interpretibus collectas; sed librariorum inscitia et negligentia valde depravatum est istud opusculum[12]); porro *Enarrationes in Psalmos centum et quinquaginta*[13]) partim in calamum dictatae partim formam homiliarum praeseferentes, opus non tam exegeticum quam dogmatico-morale. Huc quodammodo etiam referri possunt multi Ejusdem *Sermones*[14]), scripsit enim eorum *centum octoginta tres in loca diversa tam V. quam N. Testamenti*. — *Hilarii Diaconi Romani Quaestiones in V. et N. T.*[15]), quae olim S. Augustino tribui solebant. — *Salonii Expositio mystica in Parabolas Salomonis et Ecclesiasten*[16]). — *M. Aurel. Cassiodori Expositio in Cantica Canticorum*[17]), quae tamen nec immerito a nonnullis circa genuinitatem in dubium vocatur; Ejusdem Expositio in Psalmos[18]) s. Commentt. Psalterii, ex Augustino fere desumta adhibitisque, ut videtur, Hi-

11) ed. *Vallarsi*. T. I.; ed. *Mart*. T. II. col. 561. sq., T. IV. col. 145. sqq.

12) in Ej. Opp. ed. *Maurin. (Blampin.* et *Coustant.)* T. III. P. I. col. 93. sq., col. 379. sq., col. 325. sqq., col. 625. sqq.

13) ibid. T. IV. col. 1. sqq.

14) ibid. T. V. col. 1. sqq.

15) in Opp. *S. Augustini*, ed. *Maurin*. T. III. in Append. col. 1025. sqq.

16) ed. in Bibl. PP. max. *Lugdun*. T. VIII. p. 401. sqq.

17) in Ej. Opp. ed. *Garet*. T. II. p. 505—535.

18) Ibid. T. II. p. 11—503.

larii, Ambrosii, aliorum ejusmodi commentariis. — *Justi Urgelensis* Episcopi mystica *Expositio in Cantica Canticorum* [19]). — *S. Gregorii M. Expositio in Jobum* s. Moralium libri [20]), quam triplicem instituit, historicam, allegoricam, moralem, ita nempe ut sensu historico tanquam fundamento uteretur, in quod sensus mysticos vel allegoricos extrueret, adjungens insuper data occasione exercitia moralia; Ejusd. *Homiliae in Ezechielem prophetam libri duo* [21]), sermones duos et viginti continentes, e quibus duodecim priores capita I—IV., reliqui vero visionem cap. XL. Ezechielis tractant; item *Expositio in septem Psalmos poenitentiales* [22]), nec non *Libri VI Variarum expositionum in lib. I Regum* [23]), qui et Samuelis dicitur; denique *Expositio super Cantica Canticorum* [24]).

§. 122. Ad haec accedunt *S. Paterii* Discipuli S. Gregorii M., *Libri II de expositione V. T.* [1]), e diversis libris exegeticis S. Gregorii Papae concinnatus et ad ordinem librorum S. Codicis digestus. — *S. Isidori Hispalensis* Mysticc. Expositiones Sacramentorum s. *Quaestiones in V. T.*, in Pentateuchum, libb. Josuae, Judicum, Ruth, Regum, Esdrae, Maccabaeorum, e Scriptis PP. maxime Origenis, Victorini, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Cassiani, Gregorii M. compilatae; item *Expositio in Canticum Canticorum Salomonis*, qua Christum et Ecclesiam praefiguratum proponit [2]). — *Aponii*, viri cetera obscuri sub finem seculi VII viventis, *Commentt. in Cantica Canticorum Libri VI.* Subjuncta sunt *Lucae* Abbatis S. Cornelii *Summariola in Aponii Commentt.* [3]) — *S.*

---

19) ed. in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. IX. p. 731. sqq.
20) in Ej. Opp. ed. *Maurin. (Sainte-Marthe).* T. I. col. 1. sqq.
21) Ibid. T. I. col. 1173. sqq.
22) Ibid. T. III. P. II. col. 466. sqq.
23) Ibid. col. 5. sqq.
24) Ibid. col. 379. sqq.
1) in Opp. *S. Greg. M.* ed. *Maurin.* T. IV. P. II., col. 6—440.
2) in Ej. Opp. ed. *Arevalli.* T. V.
3) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XIV. p. 99. 128.

Juliani Toletani Archiepiscopi, cui quidem vulgo adscribitur *Commentarius in Nahum Prophetam*, qui aliquot duntaxat primi capituli versus et eos nimis densa et mystica interpretatione immixtis moralibus quoque hic illic reflexionibus exponit [4]. — *S. Bedae Venerabilis Hexaëmeron* s. De sex dierum creatione liber ad Accam abbatem, compositus ex operibus ejusdem generis antiquiorum Patrum Basilii, Ambrosii, Augustini; Ejusd. *Expositio in Genesin*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, *Deuteronomium*, multis tum allegoricis interpretationibus tum reflexionibus moralibus repleta; *In Samuelem prophetam* s. potius in priorem ejus librum, allegorica expositio quatuor libris contenta; *In libros Regum Quaestionum liber unus*, quo ad triginta quaestiones a Nothelmo monacho propositas respondetur, e locis maxime PP. compilatus; *In Ezram et Nehemiam Prophetas* allegorica expositio, in qua potissimum S. Hieronymi Commentarios imitatus est; alia ejusdem fere generis in librum *Tobiae;* item *libri tres in Hiob* (sed hi rectius Philippo Presbytero ac S. Hieronymi Discipulo tribuendi videntur); accedunt *Parabolae Salomonis*, quas itidem allegorice interpretari placuit; *Libri septem in Cantica Canticorum*, maximam partem e libris vetustiorum Patrum excerpti et collecti; *De Tabernaculo et vasis ejus* et *De vestibus Sacerdotis libri tres* [5]. De aliis ejusmodi Expositionibus S. Bedae accensitis dubitatur, an sint genuinae; nempe *De sex dierum creatione; Quaestiones in Genesin*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, *Deuteronomium*, *in libb. Josuae*, *Judicum*, *Ruth*, *in IV libb. Regum*, maxime e diversis SS. Hieronymi, Augustini, Isidori Hispal. aliorumque locis compilatae; ejusdem incertae conditionis sunt *De Psalmorum libro Exegesis*, *Expositio vocum rariarum in Psalmis*, et *Sermo in Psalm. LIII.* 3; similiter *Liber variarum Quaestionum*, *Nominum hebraeorum interpretatio* meliori jure ad *Remigium* quendam O. S. B.

4) ib. T. XII. p. 630—647.
5) in Ej. Opp. (ed. Colon. 1688. VIII. f.) T. IV. 1—960.

Monachum Autissidorensem referuntur [6]). Contra verosimillime S. Bedae tribuenda est *Expositio in Genesis Capita duodecim priora* et *Commentarius in Canticum Habacuci*, quos libros H. Warthon primus in lucem edidit [7]). — *B. Alcuini* Abbatis *Opuscula exegetica* seu *Commentationes in s. Scripturam*, continentes Quaestiones in *Genesin* etc.; Expositionem *Psalmorum Poenitentialium*, *Psalmi* CXVIII et *Gradualium*; *in Cantic. Cantt.*; *Epistolam ad Daphnin* de sexaginta reginis etc.; Commentaria in *Ecclesiasten* [8]). — *Angelomi*, O. S. B. Lexoviensis Monachi, *Commentarius in Genesin*, quem jussu Leotrici Abbatis conscripsit. Ejusdem *Enarrationes s. Stromata in IV Libb. Regg.*, jussu Drogonis Abbatis et ita quidem (prout ipse dicit in praefatione) composita, ut lector non solum habeat fundamenta historiae sed etiam Allegoriarum et Moralium melos decerperc possit salubriter; item *Enarrationes in Cantica Canticc.* [9]). — *Walafridi Strabonis*, Augiae-Divitis Abbatis, sive (ut aliis videtur) *Walafridi Fuldensis Glossa ordinaria in S. Scripturam* [10]). — *Paschasii Radberti*, Corbejensis Abbatis, *Expositio in Psalmum XLIV*, insignis tractatus tres libros complectens, ad Sanctimoniales B. Mariae Suessionenses directus [11]); et Ejusdem *In Lamentt. Jeremiae Libri V* ad Odilmannum, quod postremum Radberti opus fuisse creditur [12]). — *Remigii*, Benedictini Monachi Autissidorensis, *Expositio in Prophetas minores*, quae videtur ad initium truncata; omisso enim Osea in reliquos tantum undecim com-

6) ibid. T. VIII., col. 52. sqq.

7) in *Martene* et *Durand* Vett. Scriptt. historic. dogmat. moral. amplissima Collect. T. V. p. 115. sq. et 295. sq.

8) in Ej. Opp. ed. *Frobenii*. Vol. II. T. I. p. 303—449.

9) in *Pezii* Thesaur. anecdott. nov. seu Vett. Monumentt. Collectio. T. I. P. I. col. 45—239., et in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XV. p. 307—442.

10) ed. stud. Theologg. Lovan., *Antwerp.* 1634. VI. f.

11) in Biblioth. PP. *Lugd.* T. XIV. p. 706—729.

12) ibid. T. XIV. p. 759—830.

mentatur; sed enarratio haec miram brevitatem unacum perspicuitate exhibet. Ejusdem videntur esse nonnullae exegeticae lucubrationes, quae S. *Bedae Venerabili* vulgo adcensitae sunt; atque in his potissimum *Enarrationum in Psalmos David liber unus* [13]). — *Radulphi Glabri*, Flaviacensis O. S. B. Monachi *Commentariorum in Leviticum Libb. XX*, qui sensum tam historicum quam spiritualem diserte et inprimis erudite exponunt [14]). — *S. Brunonis*, Herbipolensis Episcopi, *Expositio in totum Psalterium*, ubi sub compendiosa brevitate glossas cuilibet versiculo probatissimas apposuit, quas solerti judicio seduloque labore ex prolixis SS. Patrum commentariis undequaque collatis congessit, evulgatis ubique nominibus SS. Hieronymi, Augustini, Cassiodori, Gregorii, Bedae, e quibus annotationes singulas excerpsit. Ejusdem *Commentarius in diversa cantica sacra*, in Cant. Isaiae Prophetae c. XII, Ezechiae regis ap. Isai. c. XXXVIII, Annae in I. Regg. c. XI, Mosis in libro Exod. c. XV, et lib. Deuteronom. c. XXXII, Habacuc. c. III. etc. [15]). — *S. Brunonis Carthusiani Commentarius in Psalmos* [16]); — *S. Brunonis Signini* Episcopi *Commentaria in Pentateuchum, in Psalterium, super Cantica Canticorum, in librum Job* [17]); — *Honorii Augustodunensis* varia *Scripta exegetica in V. T.*, e. gr. in librum Salomonis Proverbiorum, in Ecclesiasten, et Expositio in Canticum Cantt. cett. [18]); — *Odonis* Astensis O. S. B. Monachi *Expositio in Psalmos* per contemplationem exarata, ad S. Brunonem Episc. Signinum [19]). — *Ruperti Tuitiensis Expositio in Cantica Canticorum libri VII*, Commentarius

13) ibid. T. XVI. p. 961—1300.
14) ibid. T. XVII. p. 47—246.
15) ibid. T. XVIII. p. 65—343.
16) in Ej. Opp. ed. Jod. B. *Ascenius*. Paris 1524. f.
17) in Ej. Opp. ed. *Bruno Bruni* (Rom. 1789—1791. II. f.) T. I.; et in Bibl. PP. *Lugdun*. T. XX. p. 1308—1678.
18) in Bibl. max. PP. *Lugduni*. ed. T. XX. p. 1140—1217.
19) in Bibl. PP. *Lugd*. T. XX. p. 1816—1871.

abbreviatus *in Job libri X*, item in *Ecclesiasten*, et in *XII Prophetas minores libb. XXX*[20]); — *Hugonis a S. Victore Annotationes elucidatoriae in Pentateuchum, in Libb. Judicum, Regum, in Psalmos aliquot, in Threnos, in Joëlem, in Abdiam*; accedunt *Allegoriarum in V. T. Annotationes*[21]). — *Petri Lombardi Glossa in Psalterium*, maximam partem ex antiquioribus Exegetis collecta[22]). — *Richardi de S. Victore Explanatio variorum locorum in Psalmos*, et Ejusd. *Expositio in Cant. Canticorum*[23]). — *S. Bernardi Sermones* octoginta sex *in Cant. Canticc.*[24]); praetereaque multa in reliquis ejus Operibus dispersa, quae ad theologiam exegeticam pertinent, et a Dav. *Lenfant* in unum corpus congesta sunt[25]). — *Innocenti III Commentaria in Septem Psalmos poenitentiales*[26]). — *Guilielmi Parisiensis Tractatus* varii *in Hexaëmeron, in Psalterium, in Proverbia Salomonis, in Ecclesiasten, in Cant. Canticc.*[27]). — *Hugonis a S. Caro Postillae* s. Commentaria brevia in universa SS. Biblia tomi octo[28]); — *Petri Tarentasiensis* (Innocentii V Papae) *Commentaria in Pentateuchum* et *in Psalmos*[29]). — *Alberti Magni Commentarius in Psalmos, in Threnos, Baruch, Daniel, et XII Prophetas minores*[30]), — *S. Thomae Aquin. Commentarii in Hiob, in Cant. Canticorum, in quinquaginta priores Psalmos, in*

---

20) in Ej. Opp. (*Paris.* 1638. II. f.) T. I.

21) in Ej. Opp. (ed. *Rotomag.* 1648. III. f.) T. I.

22) ed. Rich. *Cenomani.* Paris. 1541. f.

23) in Ej. Opp. (ed. *Venet.* 1592. II. 4.) T. II.

24) in Ej. Opp. ed. *Mabillon.* (Paris. 1719. II. Voll. f.) Vol. II. T. IV. col. 1273—1571.

25) *S. Bernardi* Biblia s. Expositio locorum s. Scripturae. Paris. 1635. 4.

26) in Ej. Opp. ed. *Colon.* 1575. f.

27) in Ej. Opp. (ed. *Paris.* 1674. II. f.) T. II.

28) ed. *Venet.* 1732. f. T. I. fol. 1. sqq. usq. ad T. V. ad. fin.

29) ed. *Tolos.* 1652. 4.

30) in Ej. Opp. ed. Petr. *Jammy.* (Lugdun. 1651. XXI. f.) T. VII. VIII.

Isaiam, *Jeremiam et Threnos* [31]). — *S. Bonaventurae Expositio in Hexaëmeron*, *in Ecclesiasten* et *Librum Sapientiae*, item *in Psalmos* et *Lamentationes Jeremiae* [32]).

bb. In S. Scripturam N. T.

α) *Graeci.*

§. 123. *Origenis Commentariorum in Matthaeum et Lucam Fragmenta* quae supersunt [1]), nec non *in Acta Apostolorum* et in nonnullas *Epistolas S. Pauli* [2a]), sc. ad Romanos, Galatas, Ephesios, Colossenes, Thessalonicenses, ad Titum, Philemonem et ad Hebraeos. — *Eusebii Caesareensis* Pars *Commentariorum in Lucam* [2b]). — *Theodori Mopsvesteni Fragmm. Commentt. in omnes* fere *N. T. libros* [3]). — *S. Athanasii Commentariorum Fragmm.* in *Evangelium Matthaei* et in Evang. *Lucae* [4]). — *S. Didymi* Alexandrini *Enarratio in Epistolas S. Joannis* et in *Epist. I Petri* [5]). — *S. Joannis Chrysostomi Homiliae* nonaginta *in Evang. Matthaei*, octoginta octo in *Lucam*, quinquaginta quinque in *Acta Apostolorum*, aliae permultae in *Epistolas Paulinas* (vd. infra de theolog. homilet.); imprimis autem *Commentarius in Epist. ad Galatas* [6]). — *S. Cyrilli Alexandr. Libri XII*

---

31) in Ej. Opp. ed. Bern. Mar. *de Rubeis.* (Rom. 1594. XVIII. f.) T. XIII.

32) in Ej. Opp. ed. *Jo. de Augustinis et Jo. Illuminat.* (Venet. 1751—53. XIV. 4.) T. XI. totus.

1) in Ej. Opp. ed. *De la Rue.* T. III. p. 446—890.

2a) Ibid. T. IV. P. I. — 2b) in Angel. *Maji* Vett. Scriptt. nov. Collect. e Vaticc. Codd. edita. T. I. P. I. p. 107—188.

3) ed. in Fr. *Münteri* Fragmm. PP. graecc. (Hafniae 1788. 8.) Fasc. I. — Cf. Ott. Fridol. *Tritzsche* De Theodori Mopsvesteni Commentariis in Psalmos et in libros N. T. Hal. 1836. 8.

4) in *Montfaucon.* Collectio Nov. PP. graecorum. T. II. p. 24. sq.

5) ed. lat. c. fragmm. graecis in Chr. J. *Lücke* Quaestion. et Vindic. Didymian. (Goetting. 1829. sq. 4.) Partic. II. III.

6) in Ejus Opp. ed. *Montfaucon.* T. X. p. 657—730.

Commentariorum in Joannem [7]), ubi sensui literali, quem potissimum sequitur, quaestiones etiam theologicas interdum admiscet. — *Theodoreti Commentarii in omnes XIV Epistolas S. Pauli* [8]), et in his quidem brevius quam D. Chrysostomus exponit, et obscure dicta paucis explanat. [9]). — *Aretae* Caesareae in Cappad. Episcopi *Compendiaria explanatio in Apocalypsin*, ex *S. Andreae* Archiep. Caesareens. *Commentariis* concinnata, quae latine exstat ex versione Maximi Florentini Monachi Casinensis [10]). — *S. Joannis Damasceni Excerpta compendiaria* ex interpretatione S. Jo. Chrysostomi *in Epistolas Paulinas* [11]). — *Oecumenii Commentarius in Acta Apostolorum, Epistolas catholicas* et reliquas *S. Pauli Epp.* [12]); Ejusdem *Synopsis expositionis in Apocalypsin* [13]). — *Theophylacti Commentt. in IV Evangelistas*, ex Chrysostomo aliisque antiquioribus Scriptoribus cum additamentis a se ipso in compendium redacta, et cum ceteris suis *Commentariis in Acta Apostolorum, Epistolas Pauli et canonicas* simul edita [14]). — *Euthymii Zigabeni Commentaria in IV Evangelia*, ex S. Chrysostomi aliorumque Patrum graecorum scriptis magnam partem collecta [15]).

b) *Latini.*

§. 124. Inter opera exegetica PP. latinorum me-

---

7) in Ej. Opp. ed. Gent. *Hervet.* (Paris. 1604. II. f.) T. I. p. 410; in ed. *Auberti.* T. III.

8) in Ej. Opp. ed. *Schulze.* T. III.

9) Cf. J. F. Chphil. *Richter* De Theodoreto Epistolarum Paulinarum Interprete. Lips. 1822. 8.

10) in Bibl. PP. max. *Lugd.* T. IX. p. 741—791.

11) in Ej. Opp. ed. *Le Quien.* T. II. p. 1—274.

12) gr. c. Hentenii vers. lat. ed. Frid. *Morell.* Paris. 1631. II. f.

13) gr. et lat. ed. in B. de *Montfaucon* Biblioth. Coislin. Paris. 1715. f.

14) Opp. omn. cur. Jo. Frid. Bern. Maria *de Rubeis* et Bonif. *Finetti.* Venet. 1754—1763. IV. f.

15) gr. et lat. ed. Chr. F. *Matthiae.* Lips. 1792. IV. 8.

morandi sunt potissimum *Tertulliani Lib. de Oratione*[1]), ubi Matth. VI. 9—14. orationem nempe Dominicam, quam ipse quasi breviarium totius Evangelii dicit, praeclarissime explicavit; — *S. Cypriani De oratione Dominica*[2]), quo libro (ait *Barthius* Adverss. LVIII. 5.) nobiliorem non habet tota latina christiana antiquitas; — *S. Victorini Petavionensis Commentarii in Apocalypsin Fragmenta*[3]), quae quidem, si non omnino spuria, tamen magnam partem interpolata sunt; — *S. Hilarii Pictaviensis Commentarius in Evangelium Matthaei*[4]), in quo opere eandem explicandi rationem secutus est, quam in expositione Psalmorum servavit; — *S. Ambrosii Commentariorum in Evang. sec. Lucam Libb. X*[5]), quibus literalem verborum sensum diligenter eruit, loca quaedam ceterorum Evangelistarum illustrat, et quae pugnare inter se videntur, conciliare nititur; — *S. Hieronymi Commentarii in Matthaeum libb. IV*, in quibus si incomtior est oratio, hoc festinationi tribuendum esse auctor monet; ceterum in historicam interpretationem nonnunquam spiritualis intelligentiae flores miscuit; item *Commentt. in Epistolas S. Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum et ad Philemonem*, in quibus expositionibus se Origene, Apollinare et Didymo maxime ducibus usum fuisse fatetur[6]). — *S. Augustini Expositionis De sermone Domini in monte* sec. Matth. V—VII. *Libb. duo;* Ejusdem *Quaestionum evangelicarum libri II*, in quibus nonaginta octo loca ex Evangg. Matthaei et Lucae breviter exponit; *Quaestionum XVII in Evang. sec. Mathaeum liber*

1) in Ej. Opp. ed. *Giraldi*. (Venet. 1744. f.) p. 120.

2) in Ej. Opp. cur. *Oberthür*. T. I. p. 366.

3) ed. in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. III. p. 414.

4) in Ej. Opp. ed. Maurin. recud. *Oberthür*. T. III. p. 315.

5) in Ej. Opp. ed. Cardin. Fel. de *Monte Alto*. (Paris. 1603. V. f.) T. III. col. 5.

6) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. I. col. 5. 221.; in Ed. *Vallarsi*. T. VII.

unus; Tractatus centum viginti quatuor *in Joannis Evangelium*, quos aliis non inepte dicere Homilias seu Sermones placet; *Tractatus* decem *in Epistolas Joannis*, ejusdem fere dispositionis, quam tractatus supra memorati servant; *Expositio quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos*, quae tamen inchoata tantum est, et singulares quasdam phrases explicat; *Expositio Epistolae ad Galatas*, et ea quidem fusior et continua [7]; denique *Sermones de Scripturis V. et N. T.* centum tres et octoginta in diversa ss. Librorum loca exponentes (cf. infra De, PP. Theologia *Homiletica*). — *Hilarii Diaconi Rom. Commentarius in Epistolas S. Pauli* [8], ob brevitatem verborum et sententiarum gravitatem conspicuus; Ejusdem *Quaestiones in N. T.* [9], quae S. Augustino olim tribuebantur. — *Commentarius in Epistolas Paulinas*, quem J. B. *Villapandus* (sed vereor ne perperam) *S. Remigio* tribuit [10] — *M. Aurel. Cassiodori Complexiones in Epistolas Apostolorum, in Acta et Apocalypsin*, a Scip. Maffeo e Mss. Veronensi primum erutae [11]. — *S. Primasii Commentaria in Epistolas S. Pauli*, ex Hieronymo, Ambrosio, Augustino et Pelagio potissimum compilata [12]; Ejusdem *Commentaria in Apocalypsin* [13]. — *S. Gregorii Magni Homiliae XL in Evangelia* [14], libri duo, qui magnam partem in scrutando sensu allegorico adjectis passim monitionibus versantur. Omnia autem, quae S. Gregorius Papa ad interpretationem S. Scripturae N. T. contulit, ex libris diversis, quos scripsit, in unum corpus congesta sunt [15].

7) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. III. P. II. col. 165.

8) Extat inter *S. Ambrosii*, cui aliqnamdiu tributus est, Opp. omn. ed. *Monte-Alti.* T. III. col. 237—656.

9) in *Augustini* Opp. ex ed. *Maurin.* T. III. Append. col. 1445. sq.

10) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. VIII. p. 883. sq.

11) ed. *Florent.* 1721. 8.

12) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. X. p. 142—287.

13) ibid. p. 287—339.

14) in Ej. Opp. ed. *Maur.* T. I. col. 1436—1663.

15) *Arnulphi Tornacensis* Gregoriana super N. T., ex Opp. B. Gregorii Papae excerpta, Paris. 1616. 4.

§. 125. Post Gregorium M. prodierunt *Paterii Liber de expositione N. T.* ex Opp. exegeticis S. Gregorii Papae concinnatus [1]). — *S. Bedae Venerab. Commentarii in Matth. Evangelium Libri VI; in Marcum Libb. IV; in Lucam Libb. VI; in Joannem; in Acta Apostolorum*, addita *Expositione de nominibus locorum*, qui in Apostolorum Actis leguntur; item *super Epistolas catholicas* (sc. Petri, Joannis, Jacobi et Judae) et *in Apocalypsin;* accedit *Liber retractationis in Actus Apostolorum*, qui additiones et emendationes ad supra dictam expositionem continet, ac veluti appendicem subjunctum habet libellum, qui inscribitur *In Acta Apostolorum Quaestiones quinque* [2]). Fusiores autem, quae nunc sequuntur in eodem T. VI. editionis Coloniensis, *Expositiones in Epistolas Paulinas*, maxime ex Augustino nec non Hilario, Ambrosio, Hieronymo aliisque compilatae rectius *Drepanio Floro Presbytero Lugdunensi (*† *c.* 860.*)* adscribuntur. — *Alcuini* Opuscula exegetica N. T. et quidem Interpretationes *nominum Hebraicorum* ex cap. I. Evang. *S. Matthaei;* Commentaria in *S. Joannis Evangelium;* Explanatio Epistolarum D. Pauli *ad Titum, ad Philemonem et ad Hebraeos* [3]). — *Ambrosii Autberti*, O. S. B. Abbatis, *Commentariorum Libri X in Apocalypsin*, quod opus propter facilitatem ipsum intelligendi Speculum Parvulorum vocat [4]). — *Claudii Taurinensis* Episcopi *Enarratio in D. Pauli Epistolam ad Galatas* [5]). — *Christiani Druthmari*, O. S. B. Monachi Cluniacensis cognomento Grammatici, *Expositio in S. Matthaeum Evangelistam* ad Monachos Stabulenses et Malmondarienses; Ejusdem *Epitome in Lucam et Joannem* [6]). — *B. Paschasii Radberti* O. S. B. Corbej. Abb. *Expositio in Evang. Matthaei Libb. XII*,

1) in Opp. *S. Gregor M.* edit. Maur. T. IV. P. II., col. 441—587.
2) in Ej. Opp. ed. *Colon.* T. V. et VI.
3) in Ej. Opp. ed. *Frobenii.* Vol. II. T. I. p. 449—700.
4) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XIII. p. 403—639.
5) ibid. T. XIV. p. 139.
6) ibid. T. XV. p. 87—181.

quorum quatuor priores Gutlando S. Richarii apud Centulam Monacho, reliquos ejusdem coenobii sodalibus nuncupavit [7]). — *Lanfranci Comment. in omnes Epp. Paulinas* [8]) — *S. Brunonis Carthus. Comment. in Epp. S. Pauli* [9]). — *S. Brunonis Signini Comment. in Apocalypsin* [10]) et *Homiliae in Evangelia* (cf. infra inter Opp. PP. homiletica §. 206.) — *Ruperti Tuitiensis Commentariorum in Evang. S. Joannis Libb. XIV*, et *in Apocalypsin Libb. XII* [11]). — *Alulfi* Monachi (c. a. 1110) *De Expositione N. T.*, ex Gregorii M. Operibus compilata [12]). — *Hugonis a Victore Annotationes elucidatoriae Allegoriarum in IV Evangg.*; item Ejusdem *Annotationes literales et Quaestiones in Epistolas S. Pauli* [13]). — *Petri Lombardi Collectanea in* omnes *Epp. S. Pauli*, maxime ex veterum interpretum Scriptis congesta [14]). — *Richardi de S. Victore Commentar. in Apocalypsin* [15]). — *Guilielmi Parisiensis Tractatus in Evangelium Matthaei* [16]). — *Hugonis a S. Caro Postillae* (§. 123.) s. Comm. in S. Scripturam *N. T.* [17]). — *Petri Tarentasiensis Comm. in Evang. Lucae* et *in Epp. B. Pauli* [18]). — *Alberti Magni Comm. in IV Evangg.* et in Joannis *Apocalypsin* [19]). — *S. Thomae Aquinatis Comm. in Evangg. Matthaei et Joannis*; quibus addita est *Catena aurea in IV Evangelia* (§. 90.), quae ex ss.

7) ibid. T. XIV. p. 365—706.

8) in Ej. Opp. ed. L. *D'Achery*. Paris. 1648. f. et Venet. 1745. f.

9) in Ej. Opp. ed. *Ascenius*. Paris. 1524. f.

10) in Ej. Opp. ed. Bruno *Bruni*. T. I. et Bibl. PP. *Lugdun.* T. XX. p. 1678—1718.

11) in Ej. Opp. Opp. ed. *Paris*. T. II.

12) in Opp. *S. Greg. M.* ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 593—964.

13) in Ej. Opp. ed. *Rothomag*. T. I.

14) in Ej. Opp. ed. *Paris*. 1547. f.

15) in Ej. Opp. ed. *Venet*. T. II.

16) in Ej. Opp. ed. *Paris*. T. II.

17) in Ej. Opp. ed. *Venet*. (1732. f.) T. VI. VII.

18) ed. *Tolos*. 1652. 4.

19) in Ej. Opp. ed. *Jammy*. T. IX. X. XI.

Patrum sententiis contexta est; Ejusdem *Expositio in omnes Epistt. S. Pauli*[20]). — *S. Bonaventurae Expositio in Cap. VI. Evang. Matthaei* et in totum *S. Lucae*, item *Postilla* super *Evang. Joannis* et *in Apocalypsin*[21]).

2. Patrum Interpretum aestimatio.

§. 126. Lectis hisce et collatis diligenter ss. Patrum libris exegeticis facile sibi quisque persuadebit, esse eorum in sacra exegesi *permagna merita*. Sunt autem, qui Patres in exponendis ss. Literis a recta via aberrasse dicant, eosque in hoc potissimum vituperent, quod in *mysticis* nimis et *allegoricis interpretationibus* versentur, sensum autem literalem sine justa causa negligant; quod *digressiones* non raro faciant, et omissa verborum expositione fusius quam par est dogmata explanent; quod denique *vocum significationes* non debita industria indagaverint. Haec ex parte quidem vera, sed ex justis causis in Patribus omnino excusanda sunt. Quod enim ad primum attinet, auctores nostri modo *literalem* sensum, modo *spiritualem* s. mysticum et eum quidem triplicem, quem vocant nimirum allegoricum, tropologicum et anagogicum secuti sunt. Sensum mysticum et in specie *allegoricum* et *anagogicum* praecipue indagarunt *Origenes* in Commentariis et Homiliis in Pentateuchum, in Cantica Canticorum, in Evangelium Joannis; *S. Cyrillus Alexandr.* in suis Glaphyris; — *S. Gregorius M.* in expositione in Canticum canticorum; *S. Isidorus* in suis Quaestionibus in V. et N. T.; ita et SS. *Hilarius Pictav.*, *Ambrosius* et *Augustinus*, ita *Theodoretus* et *S. Bernardus* passim in operibus suis. Sensum autem *tropologicum* s. *moralem* maxime prosecuti sunt *S. Chrysostomus* in Commentariis in Joannem, in Epistolas S. Pauli, praesertim in Homiliis et Sermonibus in Genesin;

20) in Ej. Opp. ed. *Rom.* T. XIV. XV. XVI.
21) in Ej. Opp. ed. *Venet.* T. XI.

SS. Gregorius Thaumaturgus et *Gregorius Nyssenus* in expositionibus suis in Ecclesiasten; *S. Hilarius Pict.* in tractatu super Evang. Matthaei; *S. Gregorius M.* in libro Moralium s. Hiob; *Theophylactus* in Commentariis in Epistolas Paulinas. Verum neque *omnes* Patres et Scriptores ecclesiastici mystico modo Scripturas exponebant; exempla praestant *S. Hieronymi* Commentarii in Genesin et in alios permultos libros, *Theodori Mopsvesteni* Commentariorum fragmenta quae supersunt, *Theodoreti* Comment. in Epistolas ad Romanos, ad Galatas, *Hilarii Diaconi* in Epp. S. Pauli, aliorumque opera non pauca; neque ii, qui illa mystica interpretatione usi sunt, *semper* et in *omnibus* libris hoc faciunt, quod probant *S. Basilii* Homiliae in Hexaëmeron, *S. Cyrilli* libri V in Isaiam; imo forte, qui et in quantum id agunt, non sunt propterea vituperio digni, sed in suo genere potius *laudandi*. Tantum enim abest, ut Allegoriarum usus in sacra interpretatione jam *per se* in vitium cadat, ut ipsius *Christi Domini* exemplo sexcenties probatus ne dicam quasi solenniter sancitus sit. Et sane *bonus est is usus ad populum, qui hujusmodi argumentis magnopere ad officia pietatis et mysteriorum reverentiam trahitur* 1); atque *recte* iisdem usi sunt Patres. Cum enim *ad populi aedificationem* verba facerent, cum vel *Ethnicos* adloquerentur, qui mysticis Poetarum fabulis adsueverant; vel *Hellenistas*, Platonicorum ideis imbutos; vel *Christianos* in fide parum adhuc exercitatos atque nutantes: ne vilesceret illorum oculis christiana religio, spirituali sensu Scripturam exponere *cogebantur*. Quippe *litera durior est per se atque spinosior, quam ut ejus ope in illorum animos se insinuarent, atque apud eos fidem nostram in existimationem adducerent* 2).

---

1) *Lamindi Pritanii*, seu qui sub hoc nomine latet, L. Ant. *Muratorii* De ingeniorum moderatione in religionis negotio (Paris. 1714. et Francof. 1716. 8.). Libb. III. c. 16. p. 612.

2) *Bonaventura Argonensis* De opt. meth. legg. PP. Eccl. p. 196. ed. Aug. Vindel.

§. 127. Peccassent utique Patres, si in *omnibus* libris mysticum *duntaxat* captassent sensum; si probationis causa etiam in stabiliendis contra adversarios *fidei dogmatibus* eundem usurpassent. Verum ne ii quidem Patres, qui máxime in hoc expositionis genere versati sunt, tantum sibi indulgebant, ut literalem sensum penitus negligerent. *S. Basilium*, *S. Hieronymum*, *Hilarium Diaconum*, *Theodoretum ubique* fere ad *grammaticum* sensum descendisse supra diximus. Sic etiam *S. Hilarius Pictaviensis* semper cum allegorica *literalem* interpretationem jungit. Idem facit *S. Ambrosius* circa *Psalmos*, *Rufinus* in libris *De benedictionibus XII Patriarcharum*, *S. Cyrillus* in commentariis in *Joannem*. Sic *S. Augustinus*, si *De Genesi ad literam* et *Locutionum lib. VII* spectes, ubique in verbis naturalem significationis vim attendit, imo expressis monitis debitam literali Scripturarum sensui reverentiam contra Origenistas tuetur. *S. Gregorius M.* adeo in libro *Job* literali sensu tanquam fundamento mystici et moralis utitur. Neve putes, sensum istum allegoricum ubivis *probationis causa* esse adhibitum; saepissime enim *elegantiae* tantum vel mere *amplificationis gratia* applicatur, maxime ubi litera per se sterilis est et infoecunda, et Scriptor non tam *interpretis* quam *oratoris* vice fungitur. Multi nimirum libri, qui exegeticorum operum inscriptiones in fronte gerunt, jam initio *ex homiliis* ad populum fidelem habitis enati et ab ipsis Patribus in unum quasi concinnati sunt. Quod certe *SS. Ambrosium*, *Basilium*, *Gregorium Nazianzenum*, *Joannem Chrysostomum*, *Gregorium Magnum* fecisse compertum est. At in operibus *polemicis*, ubi dogmata stabilire adversus haereticorum pravas interpretationes necessum fuit, maxima imo *unica* eis de *literali* sensu cura est ita, ut si qua etiam in hisce libris adhibita sit mystica expositio, ea solum pro *ornamento* non pro *argumento* adhiberi facile appareat.

§. 128. Displicent nasutulis quibusdam porro *digressiones*, quas non raro fecerint Patres, dum nempe

omisso loco, in quem interpretari debebant, occasionem arripiant, dogma quoddam religionis fusius explanandi vel adversariorum errores refellendi. Quid vero in hoc vitiosum sit adeo, ut ferri nequeat, equidem non video; modo ne a re *prorsus aliena* sit digressio, nec *justum modum* excedat. Et si forte interdum in digressionibus istis, ubi res ipsa urget, longiores fuerint nonnulli, quam in loco certo interpretando, cur non et huic lapsui sit veniae et excusationis locus, cum praesertim ab iis Patribus, qui in hoc peccarunt, si quidem peccaverint, per ipsos hujusmodi excursus multa sint perutiliter ac praeclare dicta? Sed magis etiam in hoc videntur Patres, interpretum munere fungentes, deliquisse, quod, qualem *significandi vim* voces habeant, non diligentius indagaverint. Neque aliter hoc fieri potuisse, quidam sibi persuasum habent. Patres enim, aiunt, si *Origenem* et *Hieronymum* excipias, hebraicae ignari, imo multi neque graecae linguae periti erant. At quaeso, *Patres graeci*, graecam linguam optime callentes, saltem *Novum Testamentum* intelligere sciteque interpretari potuerunt; quod autem ad *Vetus* testamentum attinet, *versio LXX*, ab ipsis Apostolis usurpata adeoque authentica, cuncta exhibuit, quae alicujus momenti sunt et ad imbuendos fideles necessaria. Verum de *latinis* quoque Patribus satis cautum est, ne quid per ipsorum inscitiam incommodi patiamur. Quum enim etiam illorum *non pauci* graecis literis eruditi essent (§. 94.); quum prioribus seculis arctissimum fuerit inter Ecclesiam graecam ac latinam *commercium*, ut Patres latini graecos facile possent consulere, quemadmodum *Augustinum Hieronymi* consiliis in difficilioribus quaestionibus usum fuisse constat; quum porro vetus *Itala* et postmodum *Hieronymiana* authentica Scripturae sacrae ex graeco (et hebraeo) in latinum versio extaret; denique quum *viva divini verbi praedicatio* in Ecclesia *una* toto in orbe disseminata, et secundum traditionem apostolicam per continuam Episcoporum successionem propagata, sub censura et magisterio *infallibilis Ecclesiae* intemerate custodiretur; liquido sane

10*

patet, quod ex defectu linguarum Patribus in iis, quae ad fidem moresque pertinent, intelligentia recta non sit neganda.

§. **129.** Id quidem non negamus, *facilius et compendiosius sensum literalem peti ex novis nostri aevi interpretibus, qui illum ex Patribus et aliunde collegerunt, quam ex ipsis Patribus, in quibus sensus ille late hic illic est dispersus* [1]; neque infitiandum, *recentiores* interpretes ob subsidia nunc temporis majora majoremque in *arte critica* peritiam prospero successu ad sacrae Scripturae literam incubuisse, novisque eam inventis illustrasse. Sed *Cui* debent eruditionem, quam efferunt tantopere Novatores? Nonne ss. Ecclesiae *Patribus*, quorum elucubrationes novis inventis locum dederunt, quibus tamen jure ac merito gloriari nemo potest, quin priscos illorum fontes agnoscat et veneretur? Revera si penitius expendantur, quae Grotius aliique recentiores scripserunt, compertum plane fiet, parum ab iis *novi* inventum, sed in meliori solum lumine collocata, quae *ex antiquis Catholicorum libris* hauserunt, *a priscis nempe illis Doctoribus, qui rerum quasi semina posteritati mandarunt, quorum fructus nonnulli hac tempestate intolerabili superbia ac parum omnino grato animo sibi arrogant* [2]. Nec igitur audiendi sunt, qui Patres fuisse homines sine literis et ingenio, humaniorum artium imperitos, praecipites, inconsideratos, ideoque parum aut nihil eosdem in exegeticis studiis profecisse garriant. Ostendimus enim jam supra, permultos Patres in *unoquoque fere* literarum genere non leviter tinctos, imo nonnullos summa cum laude versatos esse. Eruditio autem *profana*, licet interpretem s. Scripturae plurimum juvet, tamen ad intelligenda ea, quae ad substantiam fidei pertinent, non *necessario* requiritur. Imo qui nimis avide scientias humanas hodie sectantur, in ss. Literarum expositione *Adiaphora* potius, scilicet *Grammati-*

1) Jo. *Opstraet* De locis theologicis (Insul. Flandr. 1737. 8.) T. III. Diss. VI. p. 383.

2) *Bonav. Argorens.* l. l. p. 7.

cam, *Chronologiam*, *Geographiam*, quam doctrinam christianae religionis, ad quam tamen cuncta Spiritus sancti verba collineant, adeo adtendunt, ut nullum fere interveniat discrimen inter Scripturas *sacras* ab iis expositas et *profani* cujuspiam Scriptoris historiam. Bene hanc in rem Lud. Ant. *Muratorius* advertit animum dicens: „*Quaecunque a recentioribus tanto cum fastu et discutiuntur et illustrantur in Scripturis, ea propemodum omnia nihil aliud quam Parerga sunt*, h. e. ad Ecclesiae aedificationem minime necessaria, *nihilque magni momenti per illa adjungitur ad illustrationem doctrinae ac religionis christianae.* Utilia sunt, laudanda sunt, non nego, at nunquam ejus necessitatis, quam sibi nonnulli somniant [3]). Pariter injuste faciunt, qui scripta Patrum exegetica contemnenda putent, eoquod quorumdam *minus accuratae* aut nonnunquam etiam *erroneae* sint expositiones. Esto enim, ut quidam nostrum ait, occurrant quandoque in scriptis ss. Patrum interpretationes, quae limam Criticorum non ferant; quid errores isti probant aliud, quam quod ss. Patres *homines* fuerint, et naevi ab imbecillitate humanae naturae sejungi non possint? Dein errores hi plerumque *adiaphora* concernunt; et si errores indulgemus *recentioribus* ac *recentissimis Interpretibus*, cur non et condonemus *ss. Patribus*, ab ea, qua hodie gaudemus, luce literarum remotissimis [4]). -

II. Eruditio dogmatica.

§. 130. Progredimur nunc ad Patrum eruditionem *dogmaticam* eo consilio, ut ipsa fidei dogmata recensentes, quae ab illis tradita et explanata sunt deinceps ostendamus. In omnibus enim articulis christianae religionis confirmandis proferuntur ex Patrum monumentis aliqua perspicua dicta et testimonia, nec ullus potest in universa

---

3) *Muratori* De ingenior. moderat. Lib. III. c. 16. p. 612.

4) Steph. *Wiest* Institt. Patrolog. §. 236. p. 382.

theologia demonstrari locus, cujus non expressa reperiantur in erudita illa vetustate testimonia. Haec dogmata fidei docebant in *Homiliis*, *Sermonibus* et *Catechesibus*, in *Epistolis* et fusioribus *Tractatibus*, in s. *Scripturae Expositionibus*, in Scriptis *apologeticis* et *polemicis*, cum praesertim exorto novo errore necessum fuit fidem catholicam defendere. In his eorum documentis *variam* pro vario ingenio hominum, quos erudiebant, *disserendi rationem* secuti sunt. *Philosophos gentiles* argumentis ex medio philosophiae petitis impetebant; *Judaeos* vaticiniis et Scripturarum promissionibus expugnabant; *Christianos* praecipua religionis capita sensibus ad captum populi accommodatis edocebant; contra *Haereticos*, qui argutiis plerumque argumenta sua muniebant, artibus et ipsi dialecticis utebantur ad dolosas eorum insidias destruendas; *Rudibus* denique ac *Simplicibus* inprimis moralia praecepta proponebant, ut ante omnia illorum vitas moresque emendarent. Id quoque monendum, quod *Dionysius Petavius* observat [1]), Mysteria, quo erant sublimiora et a communi captu remotiora, eo magis occultabantur, et quodammodo in sinu fovebantur, *erat*que *cautior illorum et magis arcana traditio, nec ea scripto temere committebantur, aut, si id necesse foret, parce fiebat ac dissimulanter et obscure, ut nisi interpretatione Doctorum adjuti passim ista liquido capere non possent*. Hujusmodi erant mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae aliorumque Sacramentorum. Ea de re plura cupienti legere commendantur dissertationes DD. VV. Emman. *Schelstrate* [2]), M. *de Moissy* [3]), Herm. *Schelliner* [4]).

---

1) Dogmata theologica (Ed. II. Amstelodam 1700. VI. f.) T. II. c. 1. n. 5.

2) De disciplina arcani. Rom. 1685. 4.

3) Méthode dont les Pères se sont servis en traitant des Mystères Paris. 1683. 4.

4) De disciplina arcani, Tegernsee 1756. 4.

1. SS. PP. quae huc spectant Opp.

a. *Catholicae fidei Symbola.*

aa. *Symbola privata.*

§. 131. *Symbola* s. formulae, quibus plura atque ea quidem gravissima fidei dogmata connexa paucis recitantur, vel *privata* sunt vel *publica*. Et *privata* quidem Symbola in Patrum Scriptis varia reperiuntur, velut *S. Irenaei brevis fidei expositio*, quae legitur in Lib. I. c. 10. adversus Haereses [1]). *Tertullianus* triplicem fidei formulam habet [2]), unam eamque breviorem in *Lib. de Virginibus velandis*, c. 1; alteram longiorem in c. 13. *De praescriptione Haereticorum*; tertiam in *Lib. adversus Praxeam*, c. 2. Huc referri possunt *S. Cypriani* Quaestiones, quas Catechumenis sacro fonte abluendis propositas esse memorat in *Epistola* (LXXVI) *ad Maguum* [3]); item *S. Luciani* Antiocheni *Confessio fidei*, quae Sabellianis opposita est, et ab Athanasio, Socrate, Hilario memoratur [4]); *S. Gregorii Thaumaturgi*, quae omnium celebratissima est, *Expositio fidei* s. *Symbolum*, a Basilio, Gregorio Naz. et Nyss., Rufino, Germano Patriarcha Constantinopolitano laudata [5]), quae exhibet doctrinam de S. Trinitate; Ejusdem alia *Expositio accurata fidei*, quae nuper e Vaticano Codice in lucem protracta est [6]). Cum his non confundenda sunt alia eidem S. Patri perperam adcensita Symbola duo, alterum quod inscribitur *Confessio fidei ad Aelianum*; alterum cum titulo *Expositio fidei prolixior* [7]). Utraque vero jam a Leontio Byzantino tan-

---

1) in Ej. Opp. ed. *Massuet*. P. I. p. 48.

2) in Ej. Opp. ed. *Giraldi* (Venet. 1744. f.) p. 173. 206. 501.

3) in Ej. Opp. ad ed. *Maurin*. rec. *Oberthür*. T. I. p. 271—284.

4) in Chr. W. Fr. *Walchii* Biblioth. Symbolica (Lemgov. 1770. 8.) p. 29.

5) in *Mansi* Collect. Concil. T. I. col. 1029.

6) in Ang. *Maji* Scriptt. vett. nova Collectio e Vaticc. Codd. (Rom. 1825—1833. VIII. 8.) T. VII. p. 170—176.

7) in Bibl. PP. max. *Lugdun*. T. IX. p. 707.

quam *supposita* notantur, et posterioris quidem auctor *Apollinaris* haereticus habetur. Aliud Symbolum continet *S. Basilii De vera ac pia fide Sermo c.* 4, quae oratio cum quibusdam aliis partem operis constituit, quod sub nomine *Ascetici* plerumque memoratur [8]). Ad quod accedunt *S. Epiphanii duae Expositiones fidei*, altera brevior in baptismo Catechumenorum usitata, altera formula aliquanto longior; quae utraque in fine (*c.* 120. 121) operis, cui titulus *Ancoratus*, extat [9]); *Gennadii Libellus de ecclesiasticis dogmatibus*, seu ut ipse ait: *Epistola de fide mea*, ad S. Gelasium Papam scripta, quae fundamentales Ecclesiae doctrinae propositiones paucis recenset [10]), sed Semipelagianismum redolet; *S. Joannis Damasceni Libellus de recta sententia s. confessio fidei;* et Ejusdem alia expositio s. *Declaratio fidei*, ex Arab. in latin. translata [11]).

bb. Symbola publica.

§. 122. In publicis Symbolis alia *particularia*, alia *universalia* distinguuntur. *Particularium* autem antiquissima et celeberrima sunt *Symbolum Romanum*, quod ab Ambrosio aliisque Patribus commemoratur, et a *Rufino* in expositione, quam scripsit de Symbolo Apostolico [1]), recensetur; *Aquilejense*, quod item a *Rufino* l. l. relatum legimus; *Caesareense*, quod Eusebius, quum in Concilio Nicaeno se a suspicione pravae doctrinae liberare vellet, loco confessionis suae exhibuit, et a *Socrate Scholastico* memoriae nostrae servatum est [2]); *Hierosolymitanum*, a *S. Cyrillo Hierosol.* in Catechesi VI recensitum et explicatum [3]); *Alexandrinum*, quod legitur

8) in Ej. Opp. ed. *Garnier*. T. II. p. 227.
9) in Ej. Opp. ed. *Petavii*. T. I. p. 122. sq.
10) ed. G. *Elmenhorst*. Hamburg. 1614. 4.
11) in Ej. Opp. ed. *Le Quien*. T. I. p. 390—396. 663—671.
1) in Biblioth. PP. max. *Lugd*. T. VI., p. 1078.
2) Hist. eccl. I. c. 8.
3) in Ej. Opp. ed. *Touttée*. p. 72—79. 84.

apud *Socratem* [4]) et *Sozomenum* [5]); *Antiochenum*, in Concilio ibidem ao. 270 adversus Paulum Samosatenum habito exaratum, quod in Epistola Synodali ad Dionysium Papam (imo ad Felicem, ejus successorem) repositum, et in fragmentis ad nos translatum est ab *Eusebio* [6]).

§. 133. *Universalium* autem Symbolorum fidei antiquitate praestantissima sunt: *Apostolicum*, quod multi Patres et Scriptores ecclesiastici memorarunt, et in scriptis suis interpretati sunt. Hujusmodi expositiones sunt *Rufini Expos. in Symbolum apostolicum* [1]); *S. Amphilochii Expositio symboli apost.* s. potius nonnullorum ejus capitum brevis explanatio [2]); *S. Augustini Liber de fide et symbolo*, cujus expositionem in Synodo Hipponensi ao. 393 habito tradiderat; et Ejusdem *De symbolo ad Catechumenos* [3]); *S. Maximi Taurinensis Homilia de expositione Symboli* Apostolici [4]); *Venantii Fortunati* Expositiones breves Orationis Dominicae et *Symboli Apostolici* [5]); etc. Secundum inter universalia Symbola locum tenet *Nicaenum*, quod relatum legimus apud Eusebium, Athanasium, Hilarium, Basilium, Socratem, Theodoretum et alios, quos recenset Jos. *Bingham* [6]). Hujus symboli Expositiones, quae hodiedum extant, praecipuae sunt *S. Athanasii Epistola ad Jovianum* Imperatorem et altera *ad Epictetum* Episcopum Corinthium [7]); nec non lucem eidem afferunt *S. Epiphanii Haeres.*

---

4) Hist. eccl. I. 26.
5) Hist. eccl. II. 27.
6) Hist. eccl. VII. 30.
1) in *S. Cypriani* Opp. ed. *Oberthür*. T. II. Append. I. p. 301—348.
2) in Bibl. PP. max. *Lugdun*. T. VI. p. 1078.
3) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. VI. col. 151. 556.
4) in Bibl. PP. *Lugdun*. T. VI. p. 628.
5) ibid. T. X. p. 592.
6) Origg. et Antiqq. eccl., lat. redd. a *Grischov* (Halae 1724—1738. XI. 4.) T. IV. p. 104.
7) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg*. T. I. p. 398. 453.; in edit. *Montfauc*. T. I. P. II. p. 245. 581.

LXXVII [8]); *Theodoti Ancyrani Liber adversus Nestorium* seu Nestorii ex Scriptura et fide Concilii Nicaeni confutatio [9]), qui liber alias inscriptus est *Expositio Symboli sanctorum CCCXV Patrum Concilii Nicaeni;* item *Eugenii* Episcop. Carthag. *Professio fidei catholicorum Episcoporum*, Hunerico regi oblata, quae similiter Synodi Nicaenae formulam exponit [10]). Tertius inter Symbola oecumenica locus assignatur Symbolo *Nicaeno-Constantinopolitano* [11]), sic dicto quia Patres in Constantinopolitana Synodo congregati Nicaenum Symbolum confirmarunt et articulum inprimis de Incarnatione et de Spiritu Sancto magis illustrarunt; quartum denique est Symbolum *Athanasianum* quod vulgo dicitur, et a *Venantio Fortunato* (?) per *Expositionem fidei catholicae* (sc. Symboli Athanasii) illustratum est [12]).

b. Doctrinae christianae quasi Compendia.

§. 134. Sunt non solum medii aevi Patres nonnulli, qui *Compendia theologiae* seu dogmatum universae religionis christianae quasi Summas ordine quodam *systematico* scripserunt; sed et primorum seculorum Scriptores aliqui, quamvis non ejusmodi, quibus nunc utimur, opera theologiae systematica exaraverint, tamen non unum alterumve duntaxat dogma, sed plura deinceps in uno eodemque libro et artificiosiore quadam methodo exponunt. Minus quidem recte ii mihi videntur judicare, qui *S. Theophili* Antiocheni *Libros ad Autolycum*, *Clementis Alexan-*

---

8) in Ej. Opp. ed. Dion. *Petavii*. p. 997.

9) ed. Fr. *Combefisius*. Paris. 1675. 8.

10) in Bibl. PP. max. *Lugdun*. T. VII. p. 683.

11) in *Mansi* Coll. Concil. T. III. col. 566. Idem expos. et illustr. a Jo. Casp. *Suicero*, Traj. ad Rhen. 1718. 4.

12) in Lud. Ant. *Muratorii* Anecdott. latt. T. II. p. 212. Sed hanc *Expositionem fidei in Symbolum Athanasianum*, quam Muratorius *Fortunato* tribuit, alii non sine probabili ratione dicunt *antiquioris* esse auctoris, quem ipse Venantius in sua (supra memorata) *Expositione Symboli apostolici* ante oculos habuisse videatur.

drini Libros octo *Hypotyposeon* seu Institutionum, *Lactantii* Libros VII *Institutionum divinarum* (de quibus infra suo loco) ad hujusce-modi Scripta referunt. Longe vero majori jure Lud. Ellies *Du Pin* [1]) primum *Origenem* fuisse dicit, qui theologiae systema quoddam in *Libb. IV De Principiis* [2]) aggressus sit. Sed conatus hic novus felici caruit successu. Auctor enim hic genio suo nimium indulgens, dum doctrinam christianam philosophiae principiis accommodare studuit, pluribus sese irretivit erroribus. Extat illud opus hodie *latine* tantum ex versione *Rufini*, agitque primum de SS. Trinitate, tum de Creatione mundi et ejus gubernatione a Deo uno veteris et novi Testamenti, de incarnatione Jesu Christi et de Spiritu sancto, qui idem in Moyse et Prophetis quam in Apostolis locutus est; de animae resurrectione, poenis et praemiis aeternis; deinde de libero hominis arbitrio, de diabolo adversante, de mundo corruptioni obnoxio, de fine ultimo; postremo de S. Scriptura ejusque divinitate et legendi ratione. — Pertinent huc *S. Cyrilli Hierosolymitani Catecheses XVIII ad Competentes s. Catechumenos* [3]), quibus primum de peccato, tum de Baptismo disseritur, deinde de praecipua fidei capita atque omnes articuli Symboli Hierosolymitani exponuntur. — *S. Augustini Enchiridion ad Laurentium* s. *De Fide Spe et Caritate* [4]), quo libro brevior quaedam summa doctrinae christianae exhibetur. Huc quodammodo referri potest Ejusdem *Doctrina christiana* [5]). In utroque opere de rebus divinis subtiliter disputans et ex principiis conclusiones formans S. Pater systematicam docendi rationem sectatus est, et scholasticae docendi methodo quasi viam paravit. — *Gennadii* Mas-

1) Methodus studii theolog. recte instituendi (Aug. Vind. 1721. 8.) p. 17.

2) in Opp. Origenis ed. *De la Rue*. T. I. p. 47—194; et seorsim ed. a *Redepenning*. Lips. 1836. 8.

3) in Ej. Opp. ed. Aug. *Toutée*. p. 1—302.

4) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. VI. col. 195—248.

5) ibid. T. III. P. I. col. 1—92.

siliensis *De ecclesiasticis dogmatibus libellus* [6]), quo dogmata Ecclesiae adversus Haereticos stabilita recenset auctor, sed (nisi hoc interpolatoribus fortasse tribuas) non omnino immunis esse a Semipelagianis erroribus videtur. — *Junilii* Africani *De partibus divinae legis libri duo* [7]), quibus formulam quandam systematis dogmatici exposuit. — *S. Isidori* Hispalensis *Sententiarum* s. *De summo bono libri III*, qui usque ad aetatem Scholasticorum tanquam exemplum methodi Dogmaticae colebantur [8]), et primo de doctrina fidei, secundo ac tertio de praeceptis moralibus agunt, ita tamen ut et his permulta de gratia, praedestinatione, peccato originali, ex scriptis SS. Augustini, Gregorii M. aliorumque magnam partem immixta legantur. — Praecipue vero heic commemorandi sunt *S. Joannis Damasceni Libri IV de fide orthodoxa*, s. accurata et ordine systematico adornata doctrinae catholicae expositio centum capitibus comprehensa [9]), quod opus praestantissimum multi deinde imitati sunt. — *Petri Lombardi Sententiarum Libri IV*, quibus solida argumenta ex SS. PP. scriptis (praesertim Hilarii Pictav., Ambrosii, Augustini) ad communienda religionis dogmata concinnata sunt [10]). — *Alexandri Halensis Summa universae theologiae*, seu *Commentarius in IV libros Sententiarum* [11]) jussu Innocentii IV Papae conscriptus. — *Petri Tarentasiensis Compendium theologiae* [12]); et Ejusdem *Commentarius in IV libros Sententiarum* Petri Lombardi [13]). — *S. Bonaventurae Compendiosum principium in libros IV Sen-*

6) ibid. T. VIII. Append. col. 75—81.

7) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. X. p. 340—350.

8) in Ej. Opp. ed. *Arevalli.* T. V. — Hujus operis epitomen exhibent *Programm. De libris Sententiarum Isidori Hispal.*, Regiomont. 1826. sq. 4.

9) in Ej. Opp. ed. *le Quien.* T. I. p. 123—304.

10) ed. *Paris.* 1548. 8.

11) ed. *Colon.* 1622. f.

12) ed. *Paris.* 1552. 12.

13) ed. *Tolos.* 1652.

tentiarum; item *Commentaria* in eosdem [14]). — *S. Thomae Aquinatis Summa theologiae* cum Commentariis Cardinalis Cajetani [15]). — *Alberti M. Compendii theologicae veritatis libri VII*, nec non Ejusdem *Commentarii in libros IV Sententt.* et *in Summam Theologiae* [16]).

c. *Singula doctrinae christianae dogmata.*

aa. *De ss. Scripturis et Hagiographorum Inspiratione.*

§. **135.** *S. Clemens Rom.* in *Ep. I ad Corinth.* c. 45 sacrum Codicem *divina* praedicat *Eloquia*, *Spiritus sancti vera Oracula* [1]). — *S. Ignatius* Antioch. in *Ep. ad Philadelph.*, c. 5. 9. *utriusque Testamenti libros* tanquam in unum corpus Evangelii *summa cum veneratione suscipiendos* esse monet [2]). — *S. Justinus* Mart. in *Apolog. I.* c. 33. 35. omnem veram religionis cognitionem *a Deo*, aeterna veritate, *qui Prophetis se manifestavit*, venire demonstrat, et Scripturam V. T. *divini Verbi effata*, quod locutus est per os Sanctorum, dicit; et in *Dialogo cum Tryphone* c. 7. 9. 65 plura adducit credibilitatis motiva pro S. Scripturae *divinitate* [3]). — *S. Athenagoras* in *Legatione pro Christianis* c. 7. Prophetas appellat *Spiritus Sancti quasi instrumenta* (ὄργανα), cujus afflatu locuti sunt, ut tibia afflatu tibicinis [4]). — *S. Theophilus* Antioch. *Ad Autolyc.* Lib. III. c. 21. Prophetarum et Evangeliorum consensum ex eo affirmat, quod *omnes uno Dei Spiritu afflati locuti* sint [5]). — *S. Melito* Sard.

14) in Ej. Opp. ed. *Venet.* T. I.
15) in Ej. Opp. ed. *Rom.* T. X—XIII; et seorsim a Bern. Mar. *de Rubeis.* Venet. 1755. VII. 4.
16) in Ej. Opp. ed. Petr. *Jammy.* T. XIII—XX.

1) in Car. Jos. *Hefele* Opp. PP. apostolic. (Tubing. 1839. 8.) p. 58.
2) ibid. p. 103. 106.
3) in Ej. Opp. ed. *Maran.* p. 66. 67., p. 113. 114. 170.
4) ibid. p. 368.
5) ibid. p. 414.

primus Christianorum fuit, qui *Canonem V. T.* contexuit [6]), omnes libros recensens praeter librum *Esther*, qui tamen verosimilius in *Esdrae* libris una comprehensus fuit. — *S. Irenaeus* pariter *quatuor N. T. Evangelia* recenset [7a]), sed et *Apocalypsin* et *Actus Apostolorum* et eorum *Epistolas* paene omnes commemorat, exceptis nempe Epp. Jacobi, Judae, secunda Petri et tertia Joannis. Idem *Adv. Haeres.* Lib. II. c. 28. §. 2. Scripturas dicit *perfectas, utpote a Verbo Dei et Spiritu ejus dictatas*; et iterum Lib. III. c. 11. §. 1. 7. 8. Evangeliam esse *regulam veritatis* in Ecclesia constitutam, *columnam et firmamentum Ecclesiae et spiritum vitae*, cujus tanta auctoritas, ut et ipsi *Haeretici* testimonia inde pro suis erroribus desumant [7b]). — *Clemens Alexandr.* in *Stromatum Libris* pluribus in locis sacrorum librorum tam V. quam N. T. *authentiam* adversus haereticorum impetus defendit, imo et *deuterocanonicas* Scripturas allegat, diserte innuens canonem Scripturae nihil valere absque *auctoritate Ecclesiae* [8]). — Similiter *Origenes* de Scripturarum *authentia et auctoritate* praeclare dicit in opere suo praestantissimo *Adversus Celsum* (§. 157), argumenta credibilitatis multa adferens e ss. Vaticiniis, Miraculis, Doctrinae sanctitate et mira ejusdem propagatione. — *S. Hippolytus* in *Demonstrat. de Christo et Antichristo* c. 2. Hagiographos dicit *prophetico spiritu praeparatos tanquam organa*, eosque *Verbum in se gerentes, velut plectrum quo moverentur*, locutos esse magnalia Dei [9]). — *Cajus* Presb. Rom., qui verosimilius est auctor libri, qui inscribitur *Labyrinthus*

---

6) ap. *Euseb.* in Hist. eccl. Lib. IV. c. 26. §. 6. ed. *Zimmerm.* T. I. p. 284,

7) a) Adv. Haeres. Lib. III. c. 1. §. 1. Cf. *Euseb.* Hist. eccl. Lib. V. c. 8. §. 2. ed. cit. T. I. p. 330.

b) in Ej. Opp. ed. *Massuet* (Venet. 1734. f.) P. I. p. 156. 188.

8) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* Lib. Strom. V. p. 705., VI. p. 771., VII. p. 891., al.

9) in Ej. Opp. ed. *Fabricii.* T. I. p. 5.

parvus [10]), in hujus opusculi deperditi fragmento Unitarios perstringit, *quod divinas Scripturas Spiritu sancto inspiratas esse negaverint.* — *S. Cyprianus* in libro *De opere et eleemosynis* ad ss. Scripturarum fidem et divinae pollicitationis auctoritatem provocat, quoniam *Spiritus sanctus in illis loquitur* [11]). Idem *S. Paulum* Apostolum *Dominicae inspirationis gratia plenum* praedicat. — *Eusebius* novi Testamenti libros omnes enumerat et inter protocanonicos quidem, *qui communi omnium consensu recepti sunt*, sacra *quatuor Evangelia*, quae sequuntur *Actus Apostolorum*, deinde *Pauli Epistolas*, tunc *priorem* illam *Joannis* et *priorem* similiter *Petri*, nec non *Joannis Apocalypsin;* inter *deuterocanonicos* autem *Epistolas Jacobi*, *Judae*, *secundam Petri*, *alteram et tertiam Joannis* [12]). — *S. Basilius* in *Ep. II ad Gregor.* c. 3 Scripturam *divinitus inspiratam* testatur addens in *Homil. in Psalm. I.* c. 1. eandem ideo vere *a Spiritu sancto conscriptam* esse *ut sit curandarum animarum velut officina* [13]). — *S. Ambrosius De officiis Ministrorum* Lib. I. c. 32 Scripturam esse *divinam* inquit, et quasi *convivium sapientiae*, et *singulos libros* veluti *singula fercula;* et in Libello *De Spiritu sancto* omnes *Prophetas Spiritu sancto prophetasse* proponit, *legem quoque ipsam per Spiritum sanctum esse datam nobis atque conscriptam* [14]). — *S. Joannes Chrysost.* in *Homil. II. in Matth.* c. 6 Evangelium *Spiritus sancti cantum* dicit, quo assidue egemus; hoc est, ait, *alimentum animae*, *hoc ornamentum*, *hoc securitas;* et in *Homil. IX in Ep. ad Coloss.* c. 1. legere oportere Scripturas monet, legere non leviter, nec temere, sed magno cum studio. Neque alium, ait, exspectes doctorem, *habes Dei eloquia*, sacras nempe Scripturas [15]). —

10) in Galland. *Biblioth.* PP. T. II. p. 204.
11) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 433.
12) Hist. eccl. Lib. III. c. 25. §. 1., ed. cit. T. I. p. 183.
13) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier.* T. III. p. 72.; T. I. p. 90.
14) in Ej. Opp. ed. F. de *Monte-Alto.* T. IV. col. 26., T. V. col. 523.
15) in Ej. Opp. ed. *Montfauc.* T. VII. p. 30., T. XI. p. 390. sq.

S. Hieronymus in *Epist. ad Paulam* non satis potest laudare *S. Scripturae mysteria* et *divinum* sensum in verbis licet simplicibus admirari; idem in *Epist. ad Salvinam* monet, ut semper sit in manibus *divina lectio* [16]. — *S. Augustinus* in *Confess.* Lib. VI. c. 5 dicit, illos libros *unius veri et veracissimi Dei spiritu* esse humano generi ministratos [17]. Post tot igitur tamque diserta testimonia alias aliorum Patrum sententias adferre superfluum est.

bb. De divina et apostolica Traditione.

§. **136.** De *Traditionis* divinae existentia et necessitate agunt *S. Irenaeus advers. Haeres.* Lib. III. c. 3. §. 1., ubi docet, respiciendam esse *traditionem Apostolorum, continua Episcoporum in Ecclesia successione servatam;* et c. 4. §. 1. recurrendum inde esse dicit ad *traditionem antiquissimarum Ecclesiarum*, et ab eis desumendum, quod certum et re liquidum. Idem Lib. IV. c. 26. §. 2. 4. 5.: *A traditione*, ait, scilicet a solis Episcopis, qui successionem habent ab Apostolis, *legitima Scripturarum expositio et doctrinae veritas* petenda . . hi doctrinam custodiunt, et sermonem sanum sine offensa praestant, . . et *Scripturas sine periculo nobis exponunt* [1]. — *Clemens Alexandr.* in Libr. I *Stromatum* observat, *duplicem* esse spiritualem agriculturam, unam quidem quae fit *scriptis*, alteram vero quae *non* fit scriptis; atque inde lib. VIII. haereticos perstringit, qui ea, quae conveniunt sermonibus divinitus inspiratis, *tradita a beatis Apostolis et Magistris*, voluntarie eludunt per alias argumentationes, humanis doctrinis resistentes *divinae Traditioni* [2]. — *Tertullianus* in Libro *De Corona militis* c. 3. 4. multa pro-

---

16) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. Ep. 22. col. 57., Ep. 85. col. 668.

17) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. I. col. 122.

1) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 175. 178. 262. sq.

2) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* p. 319. 896.

fert disciplinae *exempla*, quarum si legem expostules, scripturarum nullam invenies. *Traditio tibi*, ait, *praetendetur auctrix*, *consuetudo confirmatrix*, *fides servatrix*. Idem in libro *De praescript. haeret.* c. 19—21. monet, *non esse ad Scripturam provocandum*. Ubi apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic futuram esse Scripturarum et expositionum et omnium traditionum veritatem, cett. [3]) — *Origenes* in *Homil. VIII. in Levit.* nr. 3. de *Parvulorum Baptismo*, qui expressis quidem verbis in ss. Bibliis nusquam legitur, secundum *Ecclesiae observantiam* etiam Parvulis baptismum dari observat [4]), et in *Commentt. in Ep. ad Rom.* c. 6: *Hanc*, ait, *traditionem ab Apostolis Ecclesia accepit*. — *S. Athanasius* in Libro *De incarnatione Verbi* adversus Paul. Samosat. c. 1. eum, qui Traditioni inhaeret, dicit *extra periculum versari* (scil. in haeresin non labi); idem in *Epist. ad Adelph.* c. 8. nostram fidem *rectam* esse praedicat, utpote *doctrina apostolica et traditione Patrum confirmatam*; et in *Vita S. Antonii Abb.* c. 89. sanctum illum Patrem moribundum inducit commonentem filios suos Monachos, ut *custodiant piam fidem* in Christo *et Patrum religiosam traditionem* [5]). — *S. Hilarius Pict.* in *Lib. II ad Constantium Aug.* c. 9. neminem haereticorum esse dicit, qui se non secundum *Scripturas* praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur . . *Omnes scripturas sine Scripturae sensu loquuntur*, *et fidem sine fide praetendunt* [6]) — *S. Basilius* in Lib. I *adv. Eunomium* c. 4. piam *Patrum traditionem* regulam appellat, et amussim et tutam judicandi rationem; similiter in *Homil. XXIV contra Sabell.* c. 4. 6. id audiendum esse monet, *quod consonum Scripturis nec contrarium est Patribus* . . At, ne separes a Patre et Filio Spiritum sanc-

3) in Ej. Opp. ed. *Giraldi*. (Venet. 1744. f.) p. 102. 208. sq.
4) in Ej. Opp. ed. *De la Rue*. T. II. p. 230.
5) in Ej. Opp. (ed. *Heidelb.* 1600. f.) T. I. p. 333. 461.; T. II. col. 482.
6) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. II. p. 11.

tum, absterreat te *traditio*. Sic docuit Dominus, praedicaverunt Apostoli, *Patres conservaverunt* et confirmavere Martyres. Idem in Libro *De Spiritu sancto* c. 9. tradit proprias et distinctas de S. Spiritu notiones tum Scripturae sacrae congruentes tum eas, quas Patrum *traditione non scripta* accepit; c. 10. ibid. Haereticos perstringit, quod probationes ex Scripturis clamore exigant, *Patrum* vero *testimonia, quae scripta non sunt*, tanquam *nullius momenti* rejiciant; nec minus disertis verbis c. 27. *duplicem* esse fontem dicit dogmatum et institutionum, quae in Ecclesia servantur; alia quidem habemus ex doctrina, quae *literis* consignata est, alia vero ex Apostolorum *traditione; quae utraque eandem vim ad pietatem habet* [7]. — *S. Gregorius Nazianz.* in *Tractatu De fide* (Orat. XLIX.) *Traditioni inhaerendum esse* monet, licet aliquid in s. Scriptura non occurrat [8]. — *S. Gregorius Nyssenus Contra Eunom.* Lib. III.: Ad demonstrationem, ait, eorum, quae ab Ecclesia creduntur, *sufficit habere* a Patribus venientem ad nos *Traditionem*, velut haereditatem quandam per successionem ex Apostolis ad Sanctos sequentes transmissam [9]. — *S. Epiphanius Advers. Haeres.* LV. c. 3: *Divina*, inquit, *veritas ex omni parte munita est et constituta;* termini praescripti nobis sunt, . . et Apostolorum *traditiones*, et ss. *literae* et coelestis doctrinae propagata *successio;* et Haeres. LXI. c. 6: *Traditione quoque nobis opus est, neque enim ex Scripturis peti possunt omnia;* similiter LXXV. c. 8, al. [10]) — *S. Chrysostomus* in *Homil. IV in Ep. II ad Thessal. II,* 15: Multa, ait, ab Apostolis *non per epistolam*, sed etiam *sine scriptis* tradita, atque *ea quoque fide digna sunt* [11]. — *S. Hiero-*

---

7) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier*. T. I. p. 213. sq., T. II. p. 193. sq., T. III. p. 19. 21. 54.

8) in Ej. Opp. ed. *Billii*. (Colon. 1690. II. f.) T. I. p. 730.

9) in Ej. Opp. (ed. *Paris*. 1638. III. f.) T. II. p. 554.

10) in Ej. Opp. ed. *Petavii*. T. I. p. 470. 511. 912.

11) in Ej. Opp. ed. *Montfauc*. T. XI. 532.

nymus adv. Helvidium pariter ad *Traditionem* provocat, ad *Ignatium*, *Polycarpum*, *Justinum*, *Irenaeum* multosque alios apostolicos et eloquentes viros, qui *adversus Ebionem*, *Theodotum Byzantinum*, *Valentinum* haereticos plena sapientiae volumina scripserunt; Idem in *Dialog. adv. Luciferian.* c. 4. multas adfert *disciplinas*, quae, quamvis per *solam traditionem* in Ecclesia observentur, tamen *totius orbis consensum* instar *praecepti* obtinuerunt, et *scriptae legis* auctoritatem sibi usurpaverunt[12]). — *S. Augustinus De Baptismo contra Donatistas* Lib. II. c. 7. multa *esse sola* traditione apostolica et *sine scripto* ab Ecclesia recepta dicit. Sic consuetudinem Ecclesiae *de non iterando baptismo* haereticorum ex *apostolica traditione* venire asserit. Idem in Lib. IV. c. 24 statuit, quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis demum institutum sed semper retentum est, id *non nisi apostolica auctoritate traditum rectissime credi*[13]). Et in Lib. III *de Doctrina christ.* c. 2 monet, ut in ambiguitate Scripturae quilibet consulat *regulam fidei, quam Ecclesiae auctoritate* (per traditionem) *percepit*[14]). — *S. Vincentius Lerin.* in *Commonitorio* c. 2. 3: *S. Scripturam*, inquit, *non uno eodemque sensu universi solent recipere, sed ejus eloquia aliter alius atque alius interpretatur. Idcirco multum necesse est, ut Propheticae et Apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur;..* ut id teneamus, *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est,.. ut ab iisdem sensibus nullatenus recedamus, quos Sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est;* Et c. 41. diserte monet, *primum inhaerendum esse universalis Concilii decretis, deinde vero recurrendum ad sanctorum Patrum sententias,* eorum duntaxat, *qui suis quique temporibus et locis in unitate communionis ac fidei permanentes magistri probabiles exstiterint.* Et quidquid

12) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 141. 294.
13) in Ej Opp. ed. *Maurin.* T. IX. col. 102. 140. 407.
14) ibid. T. III. P. I. col. 45.

uno sensu atque consensu tenuisse inveniantur, id Ecclesiae *Verum* et *Catholicum absque ullo scrupulo judicandum*... et iterum c. 42. ex *Secundo Commonitorio*, quod intercidit, exemplum profert *Concilii Ephesini*, ubi, cum de faciendis fidei regulis disceptaretur, *hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut SS. Patrum sententiae in medium proferrentur*, ut scilicet rite ac solenniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, et profanae novitatis blasphemia condemnaretur [15]). Sic igitur tota antiquitas uno quasi ore Traditionis necessitatem propugnat, nec opus est descendere ad alia recentiorum Patrum testimonia.

cc. De Ecclesiae unitate et divina Hierarchia.

§. 137. *S. Clemens Rom.* in *Epist. I ad Corinth.* c. 40. 42. 44. *divinitus institutam* esse Hierarchiam aperte probat [1]). — *S. Ignatius* in *Epp. ad Magn.* c. 3. 7. 13, ad *Trallan.* c. 3. 7, ad *Philad.* c. 3. 7. 8, ad *Smyrn.* c. 8. 9, ad *Polycarp.* c. 6. veram Ecclesiam esse *unam* duntaxat et *catholicam* et *incorruptibilem; divinam* Hierarchiam constare *Episcopis, Presbyteris et Diaconis;* Episcopos autem Presbyteris, Presbyteros Diaconis *superiores* esse [2a]). Idem in *Epist. ad Rom.* in *Salutatione* haud obscure indicat, omnium Ecclesiarum *centrum unitatis* esse Ecclesiam Romanam, cum eam vocitet *ecclesiam quae Romae praesidet, praesidium tenens confoederationis christianae* [2b]). — Anonymus ille *auctor epistolae ad Diognetum* c. 11 praeclare disserit de *Christi infallibili ac sempiterna in Ecclesia assistentia* [3]). — *S. Justinus* in *Dial. c. Tryph.* c. 63. communionem omnium in Christo fidelium esse quasi *filiam* praedicat, et velut *unam animam, unam Syna-*

15) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. VII. p. 250. 256. 262.
1) in Opp. ss. PP. Apostol. ed. *Hefele.* p. 55. 56. 58.
2) a) ibid. p. 87. sq., 93. 103. sq., 110. 115.
b) ibid. p. 97.
3) ibid. 134. sq.

gogam, *unam Ecclesiam* in ejus nomine fundatam [4]). — *S. Theophilus Antioch.* in *Lib. II. ad Autolyc.* c. 14. in Ecclesia positam et conservatam esse dicit omnem salutem, quia *in ipsa solum veritas* [5]). — *S. Irenaeus adv. Haeres.* Lib. III. c. 3. §. 2 insigne de *Primatu* testimonium adfert monens, ut ad ecclesiam Romanam *propter potiorem principalitatem* conveniant omnes, qui sunt *undique* fideles. Et ib. c. 4. §. 1.: Cum summa, inquit, diligentia *diligere* oportet ea, quae sunt Ecclesiae, et *apprehendere veritatis traditionem*; atque iterum c. 24. §. 1. Ecclesiae catholicae *una* est sibique *semper* et *ubique constans* fides et doctrina. Inprimis praeclara verba sunt Ejusdem in Lib. IV. c. 26. §. 2. 4. 5, et c. 33. §. 8: Qui in Ecclesia sunt, et cum Episcopatus successione *charisma veritatis certum* secundum placitum Patris acceperunt, *Episcopis* obaudire oportet; hi enim custodiunt *doctrinam Apostolorum*, et cum Presbyterii ordine sermonem sanum et conversationem sine offensa praestant; ab his *veritas et germana Scripturarum expositio* quaerenda [6]). — *Clemens Alex.* in *Paedagog.* Lib. I. c. 6. Electorum congregationem appellat Ecclesiam, *unam et solam*, *et Matrem et Virginem*; integra est et inviolata ut *virgo*, amans autem ut *mater* nutriens filios. Hanc *propriam sponsam habuit Dominus Ecclesiam; hanc ipse Dominus carnali dolore peperit, hanc ipse fasciis alligavit Dominus pretioso sanguine suo. O sanctum partum! o sanctas fascias! Verbum* (Christus) *est omnia infanti, et Pater et Mater et Paedagogus est Altor.* Idem in *Strom.* Lib. VII. c. 17. *unam* esse dicit veram Ecclesiam, eam quae est *vere antiqua.* Nam cum *unus* sit Deus et *unus* Dominus, *propterea id etiam*, quod est summe venerabile (ut quod sit imitatio Principii) *unum est.* Et essentia ergo et opinione et principio et excellentia *solam* esse dicimus, *antiquam*,

---

4) in Ej. Opp. ed. Prud. *Marani.* p. 168.
5) ibid. p. 384.
6) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 175. 178. 222. 262. sq. 272.

et catholicam Ecclesiam in unitate unius fidei [7]. — *Tertullianus* similiter in Lib. *De Praescript. Haeret.* c. 20. 21 ab Ecclesiis apostolicis *tradukem fidei et semina doctrinae* ceteras exinde Ecclesias mutuatas esse scribit. Tot ac tantae, ait, ecclesiae *una* sunt, illa ab Apostolis prima, ex qua deinde omnes, dum una omnes probant unitatem. Est enim illis *communicatio pacis, appellatio fraternitatis, ejusdem Sacramenti una traditio.* Omnis doctrina, cum his Ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspirans, veritati deputanda est, sine dubio tenens, quod *Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo* accepit [8]. — *S. Cyprianus* praestantissimum, quod huc spectat, opusculum contexuit *De unitate Ecclesiae* [9], ubi inter alia de *Primatu* egregie disserit, quem item in Epistolis permultis strenue tuetur dicens, *unum esse Deum, unum Christum, unam Ecclesiam, unam Cathedram super Petrum fundatam* (Ep. XL), et hanc Petri cathedram, Romanam ecclesiam esse *principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est* (Ep. LV) etc. Idem S. Martyr jam *sex clericatus ordines* distinguit, nempe praeter Episcopos in Epist. XXVIII *Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Acoluthas;* in Ep. XXXIII *Lectores;* in Ep. LXXVI *Exorcistas* [10]. — *Pacianus Barcinonensis* duos scripsit, quae huc spectant, Epistolas sive Opuscula, unum *De catholico nomine* i. e. de notione et essentia verae Ecclesiae catholicae; alterum *De Semproniani literis*, i. e. responsiones ad Sempronianum hominem Novatianum, cujus objectiones in hac causa refutat [11]. — *S. Athanasius* in Ep. *De decretis Nicaenis*, et *De Synodis Ariminiensi et Seleuciensi* [12] satis aperte Ecclesiam obortis de rebus fidei

---

7) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* p. 123. 533. 888. 899.
8) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* p. 208. 209.
9) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 346—366.
10) ibid. T. I. p. 68. 69. 82. 282.
11) in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. VII. p. 257. sq.
12) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg.* T. I. p. 400—428. p. 670—717.

controversiis judicem esse ostendit. — *S. Cyrillus Hierosol.* in *Cateches. XVIII ad Illumin.* §§. 21—28 ex Symbolo fidei *Articulum de Ecclesia* explanans dicit, *Catholicam* vocari Ecclesiam, quia est per totum orbem diffusa, quia universe et absque defectu docet, quaeque in hominum notitiam venire debent, dogmata; quia omne hominum genus recto cultui subjicit, quia denique omne genus peccatorum curat atque sanat, et omnia omnino possidet virtutis genera. *Hanc*, ait *unam sanctam catholicam, in qua renatus es, Ecclesiam tene. Catholica Ecclesia — hoc proprium est et verum nomen hujus sanctae matris nostrae, Sponsae Domini nostri J. Ch.* [13]). — *S. Ambrosius* in Lib. *De Benedictt. Patriarch.* c. 5: *Sacrosancta,* inquit, *Ecclesia radicata atque fundata in fide, spectans Haereticorum procellas et naufragia Judaeorum, habitans circa fluctus fluctibus non commovetur, tanquam portus salutaris, quae expansis brachiis in gremium tranquillitatis suae vocat periclitantes, locum fidae stationis ostendens.* Idem in *Enarr. in Psalm.* XL. c. 30. de Primatu disserens: *Ubi,* ait, *Petrus, ibi Ecclesia;* ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. *Beatus Petrus, cui non inferorum porta praevaluit, non caeli porta se clausit; sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit coelestia. In terris itaque positus coelum aperuit, inferos clausit.* Et in *Epist. IV* (ad Valentin. August.): *Romana,* inquit, *ecclesia totius orbis est caput,* unde in omnes venerandae communionis jura dimanant [14]). — *S. Epiphanius* in *Ancorat.* c. 9: *In ipso* (Petro), ait, qui claves coelorum accepit, qui in terra solvit et ligat in coelo, penitus *fundata fides* est; in hoc enim omnes vel subtilissimas quaestiones fidei definita reperies [15]). — *S. Hieronymus* in fine *Dialogi c. Luciferian.*: Brevem, ait, et

---

13) in Ej. Opp. ed. *Toutée.* p. 296.

14) in Ej. Opp. ed. *Monte-Alto.* Vol. I. col. 408. 762., Vol. II. col. 183.

15) in Ej. Opp. ed. *Petavii.* T. II. p. 14.

apertam tibi animi sententiam proferam, *in ista ecclesia esse permanendum, quae ab Apostolis fundata usque ad hanc diem durat.* Si ubi audieris, eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos; scito, *non Ecclesiam Christi* sed *Antichristi esse synagogam.* Ex hoc enim ipso, quod *postea* instituti sunt, eos se esse indicant, quos *futuros* Apostolus praenuntiavit [16]). Et de Primatu Romano in *Epistola ad Damasum Papam:* Ideo, inquit, mihi *cathedram Petri et fidem* apostolico ore laudatam censui consulendam. Ibi cespite terra foecundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert. *Ego, nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini Tuae,* i. e. *cathedrae Petri communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio* [17]). — *S. Augustinus* peculiarem emisit librum *De unitate Ecclesiae* contra Petilianum et Donatistas [18]). Idem *Contra epistolam Manich.* quam vocant Fundamentum: Multa sunt, ait, quae in Ejus (catholicae Ecclesiae) gremio me justissime teneant. Tenet *consensio* populorum atque gentium; tenet *auctoritas*, miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum *successio sacerdotum;* tenet postremo ipsum *Catholicae nomen,* quod non sine causa inter tam multas haereses ista Ecclesia sola obtinuit [19]). — *S. Joannes Cassianus* in Lib. III *De incarnatione* c. 12 ad *B. Petri cathedram* succurrendum esse monet, et interrogandum summum illum et inter discipulos discipulum et inter magistros magistrum, *qui, Romanae Ecclesiae gu-*

---

16) in Ej. Opp. ed. *Maur.* (Martianay et Pouget) T. IV. P. II. col. 306.

17) ibid. (Epist. XIV.) col. 19.

18) in Ej. Opp. ed. *Maur.* (Blampin et Coustant) T. IX.

19) ibid. T. VIII. col. 153.

bernacula tenens, sicut fidei habuit, ita et sacerdotii principatum[20]). — *S. Vincentius Lerin.* in *Commonit.* c. 32: Ecclesia Christi, inquit, *sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos*, quae nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, hoc unum studet, *ut si qua illa sunt antiquitus informata et inchoata, accuset et poliat; si qua jam expressa et enucleata, consolidet, firmet, si qua jam confirmata et definita, custodiat.* Et Conciliorum decretis dicit nihil omnino *innovari*, non *nova* sed *nove* et diligentius et instantius et solicitius excoli. Idem propterea alibi hortatur, ut in Ecclesia universitatis pariter et antiquitatis consensionem spectemus, *ne aut ab unitatis integritate in partem schismatis abrumpamur, aut a vetustatis religione in haeresium novitates praecipitemur*[21]). — *S. Petrus Chrysologus* in *Epist. adv. Eutych.* ad beatum Petrum provocat, qui quaerentibus praestet *veritatem.* Nos, inquit, pro studio pacis et fidei *extra consensum Romani Episcopi causas fidei audire non possumus*[22]). — *S. Prosper Aquit.* in carmine *De Ingratis* v. 50—53 cecinit:

Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris
Facta *Caput mundo*, quidquid non possidet *armis*,
Religione tenet[23]).

dd. De ss. Trinitate generatim ac in specie De Spiritu S. Deo.

a) Patres graeci.

§. **138.** *S. Hermas* in *Pastor.* Lib. III. Simil. V. c. 2. 5. sub similitudine quadam *S. Trinitatis mysterium* exponit[1]). — *S. Ignatius* in *Epp. ad Ephes.* c. 9. 19.

---

20) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. VII. p. 78.
21) ibid. T. VII. p. 259. 262.
22) ib. T. VII. p. 979.
23) ibid. T. VIII. p. 106.
1) in *Hefele* Opp. PP. apostol. p. 188. 191.

et ad *Magnes.* c. 8. 13. item satis aperte dicit *de Deo uno et trino* [2]). — *S. Justinus* in *Apolog.* I. c. 13. 61. a Christianis *Patrem et Filium, qui ab eo venit nosque ista docuit, et pro salute nostra crucifixus est, et Spiritum propheticum coli atque adorari* profitetur [3]) — *Tatianus* in *Orat. adv. Graecos* c. 4. 5: *Deus,* ait, *in principio erat, Verbum autem, non in vacuum progressum, primogenitum esse, natum per communicationem, non per abscissionem;* idque per similitudinem declarat, quemadmodum nempe ex una face multi ignes accenduntur, nec tamen primae facis ob plures accensas faces lux minuitur; aut sicut ego loquor et vos auditis, nec propter sermonis transmissionem ego, qui alloquor, sermone vacuus fio. *Spiritum sanctum* autem esse *Ministrum Dei passi, Sapientiam, Deum perfectum* dicit [4]). — *S. Athenagoras* in *Legat. pro Christian.* c. 10. apertissimam et plane catholicam de ss. Trinitate declarationem professus est, *Deum Patrum et Filium Deum et Spiritum sanctum* asserens, et eorum *in unione potentiam et in ordine distinctionem* demonstrans [5]). — *S. Theophilus,* primus *Triadis* nomine usus, Triadem vocat *Deum et Verbum ejus et Sapientiam ejus* i. e. Spiritum sanctum [6]), in Lib. II. c. 15. *ad Autolyc.* — *S. Irenaeus Adv. Haeres.* Lib. I. c. 10. §. 1: *Ecclesia,* inquit, *ab Apostolis et eorum discipulis accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem.. et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute, et in Spiritum sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei.* Et lib. IV. c. 20. §§. 1. 3: *Patri universorum semper adest Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur etc.* [7]). —

2) ibid. p. 81. 84. 89. 90.
3) in Ej. Opp. ed. *Maur.* (Marani) p. 51. 82.
4) ibid. p. 260. sq. 269. sq.
5) ibid. p. 304. sq.
6) ibid. p. 385.
7) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 48. 253.

Clemens Alex. in *Paedagog.* Lib. I. c. 6 similiter *unum* praedicat esse *Patrem universorum, unum etiam universorum Verbum, et Spiritum sanctum unum, ipsum esse ubique.* Uberius idem de hoc mysterio disputat in multis *Stromatum* locis, cujus scilicet operis finis praecipuus est, iis, qui jam rudimenta doctrinae christianae edocti sunt, accuratiorem ejus subministrari cognitionem. Praesertim huc spectat *Strom.* Lib. V. c. 14. Nec non in alio Libro c. t. *Quis dives salvetur*, c. 3 id sacrosanctum dogma adtingit dicens, esse in nobis *thesaurum, Dei Patris virtute, Deique Filii sanguine et Spiritus sancti rore communitum* [8]). — *Origenes* in Lib. VIII *contra Celsum* c. 12 *Patrem Veritatis et Filium Veritatem duo* quidem dicit esse *secundum personas sed unum secundum identitatem naturae et voluntatis*, ita ut qui viderit Filium Dei, Splendorem majestatis Dei, in ipso tanquam in imagine Dei etiam Patrem aspiciat... Et in Homil. XI in *Numer.* §. 8 de Spiritu Sancto: *Sanctus est,* ait, *ut non sit sanctificatus; non enim ei aliunde accessit sanctificatio, quae ante non fuerat, sed semper est sanctus.. Nam sola Trinitatis substantia est, quae non extrinsecus accepta sanctificatione sed sui natura sit sancta. Omnis vero creatura vel dignatione Spiritus Sancti vel meritorum ratione sanctificata sancta vocatur..* Idem in Homil. XII in *Num.* §. 1 SS. Trinitatem mystice componit cum *pluribus puteis uno fonte promanantibus. Tres sunt Personae, Pater innatus; Filius unigenitus, hic alius enim a Patre est; et Spiritus sanctus, alius enim et ipse a Patre et Filio. Sed ut putei unum fontem habent, ita una est substantia et natura Trinitatis...* Et in *Commentar. in Epist. ad Hebr.* cum Luce aeterna et Splendore lucis Patrem atque Filium comparans: *Pater,* inquit, *nunquam fuit, quando Filius non fuit Filius i. e. splendor lucis. Erat autem Filius non, sicut de aeterna Luce* (Patre) *diximus, innatus, ne duo lucis principia videamur inducere, sed sicut ingenitae lucis splendor, ipsam illam lucem tanquam initium habens*

8) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* p. 123. 710. 954.

ac fontem, natus quidem ex ipsa, sed non erat, quando non erat [9]. — *S. Hippolytus* in Tract. *contra haeres. Noëti* c. 7. advertit, ipsum Christum dixisse: *Ego et Pater unum sumus;* non dixit: *unum sum;* quia *duas personas demonstravit, unam autem potentiam sive virtutem..* Et c. 8: *Necesse est,* ait, *confiteri Patrem, Deum omnipotentem; et Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subjecit praeter se; et Spiritum Sanctum..* Et rursus c. 14: *Oeconomia consensionum dirigitur ad unum Deum; unus enim est Deus; qui mandat, Pater; qui obedit, Filius; qui docet scientiam, Spiritus Sanctus; Pater, qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus sanctus in omnibus. Aliter Deum unum intelligere non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui sancto credamus* [10]. — *S. Dionysius Alex.* in *Apolog.* sua ad S. Dionysium Papam, ut legimus apud *Athanasium De Sententiis Dionys.* c. 15. sqq., item inseparabilem praedicat essentiam Dei, distinguens tamen quoad numerum Personas. *Quemadmodum in homine νους est altus, Verbum aliud, ambo vero unum in eodem homine; νοῦς in corde habitat agitatque, verbum in lingua et ore; ille verbum gignit et in verbo apparet; verbum autem ostendit τὸν νοῦν; νοῦς igitur immanens verbum et verbum procedens νοῦς: Sic Deus Pater Filium misit Verbum, quod effatum est Patrem. Neque Spiritus sanctus potest a Patre et Filio divelli.* Qui voculam Pater dicit, jam item Filium cogitat; et in Spiritu sancto simul et is, a quo est (Pater), et is, per quem est (Filius), comprehenditur. Sic igitur *indissociabilem unitatem in trinitate et trinitatem imminutam in unitate* complectimur [11]. — *S. Gregorius Thaumat.* in sua *Exposit. fidei* Trinitatem dicit *perfectam, quae gloria et aeternitate et regno et imperio non dividitur, nec abalienatur. Nec igitur creatum aliquid aut servum in*

9) in Ej. Opp. ed. *De la Rue.* T. I. p. 750., T. II. p. 310. sq.
10) in Ej. Opp. ed. *Fabricii.* T. II. p. 11. 12. 15.
11) in *Galland.* Biblioth. PP. T. III. p. 495. sq.

Trinitate, nec superinductitium aliquid et adventitium quasi prius non existens. Non ergo defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus; sed immutabilis et invariabilis eadem semper manet Trinitas [12]). — *S. Athanasius* ut nemo alius distincte loquitur de sácrosancto hoc mysterio. Notum est ejus *Symbolum*, ubi dicit: *Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria et coaeterna majestas. Pater a nullo est creatus, nec factus, nec genitus; Filius a solo Patre est, non factus, non creatus sed genitus; Spiritus sanctus a Patre et Filio, nec factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres Personae coaeternae sibi sunt et coaequales* [13a]). Praeter haec et alia multa, quae idem S. Ecclesiae Doctor de Trinitate in *Epp. ad Adelphinum* fratrem, ad *Maximum philosophum* etc. disseruit, praesertim huc spectant opuscula singularia, et *Duae* quidem *Epistolae ad Serapionem* Episc. Thmuensem *De Spiritu sancto*; *Dialogi duo De Spiritu sancto* adv. Macedon.; et *De Trinitate et Spiritu sancto Dialogi quinque* [13b]). — *S. Basilius* de Patris et Filii aequalitate, item de Spiritu sancto, quod non sit creatura, aliosque *adversus Eunomium* scripsit libellos, quos ad polemica Opp. referimus (§. 167.). Ejusdem alius *Liber de Spiritu Sancto*, quamquam et is proxime adv. Aëtianos compositus, tamen suo jure huc spectat, praecique 10. et 11. cap. [14]) — *S. Gregorius Naz.* peculiarem scripsit *Orationem de Spiritu Sancto*, quae est Orat. XXXVII s. quinta et postrema de theologia; aliam, quae est XLV,

---

12) in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 1029.

13) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg*. a) T. II. p. 38.; b) ib. p. 20—30. 138—219. 223—241.

14) in Ej. Opp. ed. *Maur*. (Jul. Garnieri) T. III. p. 20. sq.

ad Evagrium Monachum de Divinitate; et rursus aliam *De fide,* q. e. Orat. XLIX latine tantum ex versione Rufini servata, ubi inter alia dicit: *Haec est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiae profitemur. Non enim nos secundum corporum conditionem divisionem in Deo facimus sed secundum divinae naturae potentiam, quae in materia non est; et nominum personas vere constare credimus, et unitatem divinitatis esse testamur. Nec extensionem quandam Patris ex Patre (ut quidam putaverunt) Filium Dei dicimus, nec verbum sine re velut sonum vocis accipimus; sed tria nomina et tres personas unius esse essentiae, unius majestatis atque potentiae credimus* [15]). — *S. Cyrillus Hierosol.* in *Catech.* VI. de *Deo uno* loquitur, in *Catech.* VII. VIII. IX. de *Patre* docet, *quod sit Filii sui Jesu Christi parens proprie et vere, aeterna et nulli defectui obnoxia generatione . . Deus omnipotens, rerum omnium conditor atque effector* [16a]). In *Cat.* X et aliis proxime sequentibus quinque De *Jesu Christo Filio Dei unigenito* [b]); in Cat. XVI et XVII de *Spiritu sancto* exponit, et quidem in Catech. XVI c. 4: *Neque separamus S. Trinitatem, ait, neque confundimus, sed cum pietate novimus . . . Spiritum sanctum, qui locutus est in Prophetis, qui gloriae consors est cum illo qui crucifixus est . . .* et c. 23. 24: *Is omnium est a Patre datus Praefectus et Magister et Sanctificator Paracletus, qui a Filio accipiens, sicut a Patre Filius, ambobus ut operatione et donis ita et potestate conjunctus est . . .* Et in Catech. XVII. c. 5: *Is unus est,* inquit, *unus et idem semperque Patri et Filio praesens Spiritus, hypostasi praeditus, loquens ipse et operans et dispensans et sanctificans* etc. [c]) . . Est haec in his duabus posterioribus orationibus contenta disputatio de Spi-

---

15) in Ej. Opp. ed. *Billii* (Colon. 1690.) T. I. p. 598—613. 717—721. 727—736.

16) in Ej. Opp. ed. *Maur.* (Touttée), a) p. 86. sq.; b) p. 138; c) p. 244. 256. 266.

ritu sancto perfecta prorsus et absoluta, ut nihil fere sibi ad integritatem doctrinae, sive ad commendationem effectuum Spiritus sancti, sive ad diversorum ejus mysteriorum explanationem desiderari posse videatur. — *S. Gregorius Nyss.* singulas non hic illic tantum sententias in scriptis suis de Trinitate profert, sed etiam totas, quae idem mysterium pertractant, orationes exaravit. Praeter enim polemica hujus argumenti *opera adversus Judaeos, Arianos, Apollinaristas* scripsit idem etiam *De S. Trinitate* et *Quod Spiritus Sanctus sit Deus;* porro *Quod non oporteat tres dici deos;* rursus *De differentia essentiae et hypostaseos;* denique *De fide ad Simplicium,* quae Epistola (malim librum nuncupare) alias inscribitur *De Patre Filio et Spiritu sancto Deo* [17]). — *S. Cyrillus Alex.* opus insigne edidit, quod inscribitur *Thesaurus* s. *De sancta et consubstantiali Trinitate* Dialogi VII ad Nemesinum. His subjungitur veluti Compendium Dialogi VII Liber c. t. *De Spiritu sancto* [18]). In hoc opere praestantissimo conditae sunt propositiones XXXV de Filii et Spiritus sancti divinitate adversus Arii et Eunomii errores, unde illud inter opera polemica recensendum est (§. 167. — *S. Joannes Damascenus* emisit opusculum *De ss. Trinitate* per quaestiones et responsiones dispositum [19]). Legitur ibidem etiam (p. 475.) *S. Gregorii Thaumaturgi* fidei confessio.

bb. Latini.

§. 139. *Tertullianus* e Latinis Scriptoribus primus fuit, qui de hoc sanctissimo mysterio fusius disseruit, dicens inter alia in Libro *adv. Praxeam* c. 2: *Unicum Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam oeconomiam dicimus, ut unici Dei sit et Filius, Sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt . . .*

---

17) in Ej. Opp. ed. *Paris.* (sumpt. Morelli) T. III. p. 1—43.
18) in Ej. Opp. ed. *Herveti.* T. II. p. 144. sqq.; ed. Auberti. T. IV.
19) in Ej. Opp. ed. Mich. *le Quien.* T. I. p. 474—478.

Unus Deus, idem Pater, Filius et Spiritus sanctus, Tres sunt, tres autem non statu sed gradu, nec substantia sed forma, nec potestate sed specie, unius autem substantiae et unius status et unius potestatis, quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formae et species, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti deputantur . . Et bid. c. 4.: *Filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris* . . *Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium* . . Et c. 8. varias ad explicandam suam ea de re sententiam adducens similitudines: *Protulit*, ait, *Deus Sermonem* (Verbum) *sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium* .. *Nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo. Sic profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem ejus, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex res duae sunt, sed conjunctae; et fons et fluvius duae species sunt, sed indivisae; et sol et radius duae formae sunt, sed cohaerentes. Omne, quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est, de quo prodiit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt; et tertius, ubi tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex ex radio* [1]). — *S. Cyprianus* in Libro *de Vanitate Idolorum* praeclare disserit *de Deo uno*, mundi Rectore, qui quaecunque sunt, *omnia verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu enim clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec aestimari, sensu major est* .. *Unus est et ubique totus diffusus etc.* Nec minus diserte loquitur in *Epist.* LXXIII *ad Jubajanum* pluribus locis [2]). — *Novatianus* Romanus presbyter, priusquam ipse funesti Schismatis auctor factus est, Regulam fidei s. *De Trinitate librum* composuit, in quo catholicam hujus dogmatis fidem

1) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* (Venet.) p. 501. 502. 504.

2) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 409. 502. 504.

exponit, atque ex ss. Scripturis defendit [3]). — *S. Dionysius Romanus* in fragm. *Epist. canon. adv. Sabellianos* c. 1. dicit, necesse esse, *divinum Verbum Deo universorum esse unitum, et Spiritum Sanctum in Deo manere et inhabitare, ideoque divinam Trinitatem in unum, quasi in quendam verticem h. e. in Deum universorum omnipotentem reduci atque colligi*.. Et in c. 2: *Filium* autem, inquit, *genitum* esse, *non conditum aut factum, divina eloquia testantur.. Nam si factus est Filius, erat tempus, quando non erat; atqui fuit semper in Patre. Et si factus est Filius, cum Christus Verbum, Sapientia et Virtus sit, fuit tempus quando haec non erant; ideoque fuit tempus, quo sine his erat Deus, quod est absurdum. etc.* [4]). — *Lactantius* in *Divin. Institt.* Lib IV. c. 29. expedit quaestionem, quomodo, cum Deum nos *unum* colere dicamus, *duos* tamen esse asseveremus Deum Patrem et Deum Filium. *Unus*, ait, *utrique Spritus, una mens est, una substantia* [5]). — *S. Hilarius Pictav.* multa e egregia disserit in *Libb. XII de Trinitate*, quos, quoniam contra Arianos potissimum consignati sunt, infra inter scripta PP. polemica recensebimns (§. 168). Huc ejusdem pertinet *Lib. de Synodis*, quo fidem suam et Ecclesiae orientalis catholicam adversus Haereticos exponit (§. eod.). — *S. Ambrosius* item plura scripsit de ss. Trinitate, et *Libros V* quidem *De fide*, in quo opere rogitante Gratiano imperatore maxime de Christi divinitate disputat; nec non *Libros III De Spiritu sancto*, in quibus ad preces ejusdem Gratiani de Spiritus sancti divinitate et eadem cum Patre Filioque consubstantialitate verba facit [6]). Utrique operi pari jure etiam inter scripta PP. *polemica* scil. adversus Arianos et Macedonianos (§. 168.) locus assignandus erit. — Eodem fere tempore prodiit *S. Martini*

3) ibid. T. II. p. 455—532.
4) in *Coustant*. Epist. RR. Pontiff. ed. *Schoenemann*. p. 194. sq.
5) in Ej. Opp. ad edit. le Brun. rec. *Oberthür*. T. I. p. 289. sq.
6) in Ej. Opp. ed. a *Monte Alto*. T. IV. col. 113. 209.

Turonensis brevis *Expositio fidei de S. Trinitate* [7]); qui libellus a nonnullis quidem in suspicionem fraudis vocatus, recentissime vero a Gallandio tanquam genuinus agnitus et vindicatus est. — *S. Hieronymus* hic commemorandus ob *Lib. Didymi De Spiritu sancto*, rogante Damaso Papa ex opere S. Didymi nunc deperdito, translatum, quo errores aliquot Didymi temporibus de hoc dogmate oborti refutantur [8]). — *S. Augustinus* praestantissimos elucubravit *De S. Trinitate libros XV*, ad refutandam potissimum Arianam haeresin. Idem ejusdem argumenti permulta habet in *Libro De vera Religione*, ad cujus finem c. 55. nr. 113 docet oportere nos.. *ipsum donum Veritatis* (Spiritum sanctum) *cum Patre et Filio aeque incommutabile colere et tenere, unius substantiae Trinitatem, unum Deum, a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus... Deum, qui dixit Fiat; et Verbum, per quod factum est omne, quod substantialiter et naturaliter factum est; et Donum benignitatis ejus, quo placuit et conciliatum est auctori suo, ut non interiret, quidquid ab eo per Verbum factum est* etc. [9]). — *S. Vincentius Lerinensis* in *Commonitorio* c. 18: Ecclesia, inquit, catholica et de Deo et de Salvatore nostro recta sentiens, nec in Trinitatis mysterio nec in Christi incarnatione blasphemat. Nam et *unam divinitatem in Trinitatis plenitudine et Trinitatis aequalitatem in una atque eadem majestate veneratur; et unum Christum Jesum, non duos, eundemque Deum pariter ac Hominem profitetur; unam quidem in eo personam, sed duas credit esse substantias; duas substantias, quia mutabile non est Verbum Dei, ut ipsum verteretur in carnem; unam autem personam, ne duos profitendo Filios Quaternitatem videatur colere, non Trinitatem* [10]). — His

7) in *Galland.* Biblioth. vett. PP. T. VII. p. 599.

8) in Ej. Opp. ed. *Maur.* (Martianaei) T. IV. P. I. Append. col. 494. sq.

9) in Ej. Opp. ed. *Maur.* (Blampini et Constant.) T. I. col. 788. sq.

10) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. VII. p. 254.

adnumerari veniunt *Cerealis De fide ss. Trinitatis* opusculum adversus Arianos scriptum (§. 168.); *Incerti* Scriptoris *De Trinitate* seu *De unita trinitate Deitatis* Libri duodecim [11]). Chiffletus hujus opusculi *Vigilium Tapsensem* auctorem putat; Fabricius vero libros octo priores *Idacio* tribuit, tres proxime sequentes ab aliis et iis quidem incertis auctoribus consignatos esse, ultimum denique librum a *S. Athanasio* exaratum et ab aliquo latine versum arbitratur. — Item *De Spiritu sancto* Libri duo [12]), quos S. Gregorius M. *Paschasio* Diacono Romano († c. 512), Gennadius vero *Fausto Regiensi* († 485) tribuit. Cetera opus isthoc stylum polemicum, utpote contra Macedonianos directum, servat (§. 168.). — *S. Fulgentius Ruspensis* scripsit *Tractatum de S. Trinitate* ad Felicem Notarium, cui ostendit, quomodo orthodoxam hujus mysterii fidem adversus haereticos possit defendere; item *Quaestiones de processione Spiritus sancti*, cujus tamen elucubrationis nunc duo tantum fragmenta supersunt [13]). Alia ejusdem S. Patris vide inter opera *polemica* adv. Arianos (§. 168.). — Praeterea non indigni sunt, qui notentur *Alcuini* Abbatis *De fide S. Trinitatis* libri III ad Carolum M.; *De Trinitate ad Fredegisum*, Quaestiones (et Responsiones) XXVIII; Libellus *De processione Spiritus Sancti* (a Patre Filioque) ad Carolum [14]); *Theodulphi* Aurelianensis Episcopi *De Spiritu sancto* liber [15]); et *S. Anselmi* Cantuar. *Liber de fide Trinitatis* maxime polemicus adversus blasphemias Roscelini [16]); ut aliorum Scriptorum *Ruperti Tuitiensis*, *Richardi de S. Victore*, *Guilielmi Parisiensis*, aliosque recentiores, qui hujus tituli extant, libros taceam.

11) unac. Opp. Victoris Vitensis ed. Petr. Fr. *Chifflet.* Divion. 1664. 4.

12) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. VIII. p. 806.

13) in Ej. Opp. ed. *Venet.* 1696. 4.

14) in Ej. Opp. ed. *Frobenius.* T. I. P. III. p. 701—757.

15) ed. in *Sirmondi* Opp. (Venet. 1728. f.) T. II.

16) in Ej. Opp. ed. *Gerberon.* p. 41. sq.

ee. De Christi divinitate et mysterio incarnationis.

a. Auctores graeci.

§. 140. *S. Barnabas* in *Epist.* cath. c. 5. 6. 7. 12. Christum esse *Dei filium, verum Deum, Patri coaeternum* praedicat, qui in carne apparuit *Redemtor hominum et Salvator* a peccatis [1]). — *S. Hermas* in Lib. III *Pastoris*, Simil. IX. c. 2. 12. 14. per similitudinem *de duabus in Christo naturis*, divina nempe et humana disserit [2]). — *S. Clemens Rom.* in *Epist. I ad Corinth.* c. 2. 16. Christum esse *Deum* dicit, et *Sceptrum majestatis Dei* [3]). — *S. Ignatius* item quod Christus sit *verus Deus, coaeternus Patri, homo factus*, passus, mortuus, a mortuis resuscitatus, humani generis *Redemtor*, omnium *una salus*, et *unus apud Patrem mediator etc.* in Epist. *ad Ephes.* c. 7. 18. 20, ad *Magnes* c. 6. 8, ad *Trall.* c. 9, ad *Philad.* c. 9, ad *Smyrn.* c. 1. 2. 3, ad *Polyc.* c. 3 egregie testatur [4]). — Auctor *Epistolae ad Diognetum*, olim perperam Justino Martyri tributae, c. 7. 8. 9. 11 luculentissimum pro *divinitate Filii Dei* et ejusdem *cum Patre consubstantialitate* testimonium perhibuit [5]). — *S. Polycarpus* in *Epist. ad Philipp.* c. 7. 12 de Christo, quod sit vere *Homo-Deus, sedens ad dextram Patris, venturus judex*, diserte profitetur [6]). — *S. Justinus* in *Apolog. I.* c. 63. Jesum Christum proprie *Filium Deo genitum* praedicat, qui nimirum *Verbum ejus* est *et Primogenitus et Virtus*, *atque de consilio ejus Homo factus .... ac prius quidem Mosi et ceteris Prophetis in specie ignis et imagine incorporea apparuit, nunc autem ex Virgine homo factus secundum Patris voluntatem pro eorum salute, qui credunt in illum*.. Pergit deinde in *Apolog. II.* c. 6:

1) in *Hefele* PP. apost. Opp. p. 6. sq.
2) ibid. p. 211. sq.
3) ib. p. 30. sq.
4) ib. p. 80. sq.
5) ib. 130. sq.
6) ib. p. 118. sq.

Verbum hoc, quod antequam mundus crearetur, unacum Patre aderat, et per quod initio Pater omnia condidit atque creavit; hoc, inquit, *Verbum Christus vocatur...* Et rursus in *Dialogo c. Tryph.* c. 128: Filium *genitum* esse ait, *non per rescissionem, ita ut generatione ejus dispertita sit Patris essentia, sed ut totam penitus et omnino eandem ac Pater naturam participet*[7]). — **Tatianus** in *Orat. adv. Graecos* c. 5 et passim alibi non minus praeclare *de Christi Dei cum Patre consubstantialitate et de ejusdem vera incarnatione et passione* disseruit[8]). — *S.* **Athenagoras** in *Legat. pro Christ.* c. 4. 10. Filium Dei *eandem cum Patre naturam, essentiam potentiamque* habere docet. Ipsum enim esse *Verbum Patris in idea et operatione; ab eo et per eum omnia facta, cum Pater et Filius unum sint.. primum* ipsum esse *Patris progeniem, non quod factus sit (ab aeterno enim Deus habebat in se ipso Verbum, utpote ab aeterno rationalis), sed quod prodierit, ut omnium materialium rerum idea et actus foret*[9]). — *S.* **Theophilus** in Lib. II *ad Autolyc.* c. 10 de Christi divinitate exponens: *Deus,* ait, *suum ipsius Verbum in propriis visceribus insitum habuit, genuitque illud cum Sapientia* (Spiritu sancto) *eructans ante universa. Hoc Verbo usus est administro operum suorum, et per illud omnia condidit. Vocatur Principium, quod principatum habeat et dominatum eorum omnium, quae per ipsum creata sunt. Antequam quidquam fieret, eo utebatur Pater consiliario, quippe cum ejus mens et prudentia sit. Cum autem voluit Deus ea facere, quae statuerat, hoc Verbum genuit,.. non tamen, ut Verbo vacuus fieret, sed ut Verbum gigneret, et cum suo Verbo semper versaretur*[10]).. — *S.* **Irenaeus** *adv. Haeres.* praesertim lib. III. c. 16. 19 luculentissime docet, *unum esse Jesum Chri-*

7) in Ej. Opp. ed. *Marani.* p. 83. et 84. 96. 233. et 234.
8) ibid. p. 261. sq.
9) ib. p. 300. 304. sq.
10) ib. p. 378. sq.

stum, Verbum Dei, Deum super omnia . . . qui in principio existens apud Deum . . . et semper aderat generi humano, quique in novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre unitus suo plasmati passibilis homo factus fuerit . . . Verum igitur Deum Christum, Filium Dei vivi, eundem esse et Filium hominis . . . quoniam ex Maria, quae et ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem [11]) . . . Sed longum nimis foret adducere vel ea tantum, quae sunt hujus sancti Patris praestantissima, effata, quibus per plura capita dogma illud explanat. — *Clemens Alexandrinus* Servatorem Christum *aeternum, in principio* scilicet *et prius existentem, Patri ὁμοούσιον seu in ipsa Patris essentia subsistentem*, denique *Deum, et hujus et aeternae vitae largitorem* agnoscit. *Apparuit*, inquit in *Cohortatione ad Gentes* c. 1. 10. 11., *apparuit, qui solus uterque et Deus et Homo est, qui olim erat Servator, qui ens est in ente; Verbum, quod apud Deum erat, et a quo facta sunt omnia, praeceptoris habitu apparuit . . . Crede, homo, Homini ac Deo, qui passus est et adoratur; credite homines Servo, qui mortuus est; credite ei, qui omnium hominum unicus Deus . . . Divinus est Logos, qui revera Deus manifestissimus, qui et universorum Domino exaequatus. — Verbum perfectum ex perfecto Patre natum . . . Quis igitur Christus? Percipe paucis! Logos veritatis, qui regenerat hominem et attolit ad veritatem; centrum salutis, qui propulsat exilium, depellit mortem, in homine templum aedificat, ut Dei thronum in ipso erigat* . . . Idem in *Paedagog.* c. 8: *Ambo*, ait, (Pater et Filius) *unum sunt, nempe Deus* . . . Et in libro VII *Stromat.* c. 2: *Filii autem natura perfectissima et sanctissima et soli omnipotenti propinquissima est; haec maxima excellentia, quae omnia ordinat ex voluntate Patris et optime gubernat universum, indefessa et inexhausta potestate cuncta operans, eoquod operatur arcanas Dei et abditas cogitationes respiciens; nunquam enim ex intuitu Pa-*

11) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 48. 206. 212. 218. 292. sq.

tris recidit Filius Dei, utqui non dividitur, non dissecatur, non transit a loco in locum, est autem semper ubique et continetur nusquam, totus mens, totus lumen paternum, totus oculus, omnia cernens, omnia audiens, sciens omnia, potestate scrutans potestates, cui subjecta est omnis militia Angelorum, cujus item sunt omnes homines, quia sanctam suscepit oeconomiam i. e. adsumta humanitate hominum procuravit salutem[12]) . . . — *Origenes* quam praeclare *de Christi divinitate* senserit, supra satis jam attigimus (§. 138.). Quod autem ad *mysterium incarnationis* attinet, in *una* Servatoris *persona duas* distinguit *naturas*, divinam atque humanam; et *divinitatem per incarnationem minime mutationem accepisse, et humanam naturam eidem totam,* animam nempe et corpus, *inesse*. *Jesus Christus*, ait in libro III *contra Celsum* c. 41., *Christus, qui ab initio Deus Deique Filius esse creditur, Verbum ipsum, Sapientia ipsa, ipsa Veritas est; mortale autem ejus corpus et humana, quae in ipso est, anima ad maximam dignitatem evecta est, non societate tantum cum illo, sed etiam in unum concursu et permixtione ambo in partem vocata sunt divinitatis, et in divinitatem conversa sunt . . . ita ut anima Jesu* (humana) *et Logos primogenitus omnis creaturae jam duo non sunt . . .* Pergit deinde Libro IV c. 15. 18.: *Is pro suo amore in homines semet ipsum humiliavit, nihil tamen suae felicitatis amittens, neque mutans naturam . . .* Quod quo modo fieri posset, amplius explicat, et aperte *hypostaticam utriusque naturae in Christo in unionem sed eam absque confusione persistentem* docet[13]). — *S. Hippolytus* in *Demonstrat. de Christo et Antichristo*[14]), ubi de Christi incarnatione et de adventu Antichristi seculique consummatione agit; nec non in fragm. I. *Libri contra Beronem et Heliconem*[15]) nunc maxime deperditi de

12) in Ej. Opp. ed. *Potter*. p. 7. 84. 86. 90. 135. 831.
13) in Ej. Opp. ed. *De la Rue*. T. I. p. 474. 511.
14) in Ej. Opp. ed. *Fabricii*. T. I. p. 4—38.
15) ibid. T. I, p. 226.

Christo Deo diserte loquitur. Idem egregie disputans in *Lib. contra Noëtum* c. 15: *Unus*, inquit, *Filius Dei perfectus manifestatus est . . . Divina enim et humana natura unitae, quia caro per se subsistere non potuit, unam tantum hypostasin faciunt, quia caro in Verbo subsistebat, ita ut Logos divinus humanam naturam, quae per se non personalis est, in unitatem personae receperit . . .* Et ibid. c. 17: *Divinum Verbum de coelo in Virginem sanctam* dicit *descendisse, ut ex ea incarnatus sumta anima humana rationis participe omnia fieret, quaecunque homo est, excepto peccato . . . Sicut ergo praedicatum est, sic praesens se ipsum manifestum fecit, ex Virgine et Spiritu sancto novus homo factus, habens coeleste, quod paternum erat, tanquam Verbum; terrenum vero, tanquam ex vetere Adam per Virginem incarnatus . . . Non per fictionem aut mutationem sed vere factus est homo* [16]) . . . — *S. Gregorius Thaumat.* in *Symb. fidei: Unum* esse Dominum, *unum ab uno Deum de Deo* confitetur; *unum*, inquit, *Verbum creans; Potestas, quae omnia efficit; Sapientia, quae cuncta continet; verus Filius a Patre vero, Invisibilis ab Invisibili, Aeternus ab Aeterno* etc. [17]) — *S. Methodius* in *Conviv. decem Virgg.* Orat. III nr. 4—8. de Incarnatione disserens: *Sic*, ait, *praeordinatum est, ut primogenitus et unigenitus Dei cum homine primo creato unitus Homo-Deus fiat*, *ideoque Christus sit homo repletus pura et perfecta Deitate, et Deus hominis forma indutus. Aliter enim peccatum et damnatio auferri non potuit, nisi quod idem ille homo, cui dictum est* „Terra tu es, et in terram reverteris" *denuo formatus sententiam damnationis sua causa in omnes translatam sustulerit, ut quemadmodum in priori Adamo omnes mortui simus, ita et in Christo, qui in Adamum se recepit, omnes revivificemur.* In incarnatione igitur et morte J. Chr. conditionem videt restaurationis generis humani, quae hodie fit in Ecclesia. *Adamus olim*

---

16) ibid. T. II. p. 16. 18.
17) in *Mansi* Coll. Conc. T. I. col. 1029.

in somno, quem Deus ipsi immisit, carne sua et osse exutus est, et inde mulierem sociamque recepit; Christus, alter Adam, ipse in cruce se anima exuit, et ex substantia ejus (i. e. Paracleto, qui ex eo procedit) nascitur in Ecclesia, quae inde recte dicatur esse caro de carne sua et os de ossibus suis [18]) . . . — *Theophilus Alex.* in Epp. s. *Libb. III Paschalibus*, quos *S. Hieronymus* in latinam translatos servavit, multum de Christi divinitate disputat, inprimis sub initium libri II, ubi dicit: *Neque divinitatem ejus, quae nullis locorum spatiis circumscribitur, assumtio servilis formae potuit obscurare, nec angustia humani corporis ineffabilem majestatis terminare virtutem ejus, quem operum magnitudo Filium Dei comprobat . . . Perfectus Deus propria voluntate, quidquid humanae fuit et naturae et conditionis assumens, infans nascitur; Emmanuel adoratur; Magi de Oriente veniunt, et Deum Dei Filium genu posito confitentur; qui et pendens in cruce solis obscurat radios, novo inauditoque miraculo divinitatis suae exprimens magnitudinem. Et indivisus et inseparabilis est, nec in duos Salvatores (secundum quorundam errores) sejunctus, nec animam dividebat et carnem, quando unum se Christum Dei Filium esse testabatur; non alter et alter, sed unus atque idem utrinque subsistens, Deus et Homo* [19]) . . . — *S. Athanasius* de Christi divinitate et humanitate prae aliis diserte loquitur in singulari quodam libro, quem inscripsit *De incarnatione Verbi Dei ejusque corporali ad nos adventu* [20]). Magnificentissima tota haec commentatio est. Accedunt porro alia ejusdem generis opuscula, adversus *Paulum Samosatenum*, contra *Arianos* etc., de quibus infra suo loco in Scriptis polemicis dicendum. — *S. Cyrillus Hierosol.* in *Catech.* X—XVI totum sermonem fecit de Christo *Deo atque Homine*, et imprimis in Cat. XI. §. 13. sq. de *Filio Dei unigenito* testatur, *in cu-*

18) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. III. p. 682.
19) in *S. Hieronymi* Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 706.
20) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg.* T. I. p. 37—82.

jus nativitate nec Pater diminutus vel mutatus, nec Filius imperfectus et cum Patre confusus, licet ab aeterno nascatur, existimari debeat. Filium probat *Deum verum* esse, *ita in Patre manentem et unum cum ipso divinitate, regno, voluntate, opificiis existentem, ut tamen neque cum Patre confusus, neque ab eo separatus sit* [21]). Nec minus fuse ac dilucide in *Cat. XII* de mysterio incarnationis disserit. — *S. Basilius* in Homil. XXIV *contra Sabellianos Arianos et Anomoeos* c. 3. 4. dicit: *Unus Deus et Pater, unus Deus et Filius, non dii duo; cum Filius identitatem habeat cum Patre . . . Unam in utroque essentiam confiteare. Sed cum essentiam unam dico, cave intelligas duo ex uno divisa, sed ex principio Patris Filium subsistentem, non Patrem et Filium ex una superiore essentia emergentes. At essentiae identitas est, quia ex Patre Filius non praecepto factus, sed ex natura genitus; non dissectus a Patre, sed eo manente perfecto perfectus illucescens* etc. [22]) — *S. Cyrillus Alex.* multa passim et praeclara, quae huc spectant, habet; praesertim is in Lib. II. *Commentar. in Evang. Joann.* c. 49. diserte monet: *Quum Dei Verbum de coelo descendisse dicit Evangelista, Filium hominis descendisse ait, in duas post incarnationem dividi personas recusans nec alicui permittens, ut templum, quod a Virgine sumtum fuit, alium Filium et alium Dei Verbum praedicet, quamvis, quae utrique naturaliter insunt, decentem distinctionem suscipiant. Ut enim ex Deo Verbum est, sic homo ex muliere. Unus igitur ex utrisque Christus filiatione indivisibilis et majestate divina . . .* Et rursus Lib. XI. c. 16. 17: *Unus*, ait, *et solus verus Deus est, Pater et qui in ipso et ex ipso secundum naturam est, distincte simul et conjuncte conjunctione naturali; et distincte quidem, quia in propria hypostasi esse intelligitur, Filius enim est, non Pater; conjuncte vero, quia simul est Pater et Filius . . . Non solum Deum sese verum esse, sed etiam Hominem ve-*

21) in Ej. Opp. ed. *Touttée.* p. 155. sq.
22) in Ej. Opp. ed. J. *Garnier.* T. II. p. 191. sq.

rum propter nos factum, ut sanguine suo genus humanum redimeret, Christus docet [23]. Extant autem Ejusdem alii peculiares, qui de hoc mysterio tractant, libri; nempe *De incarnatione Tractatus* brevior; *Scholia de Incarnatione Unigeniti; Dialogus de eo, quod Unus sit Christus;* quos ille libros omnes adversus Nestorii et Eutychetis potissimum errores emisit (§. 174); item *Liber de recta in Dominum Jesum Christum fide* ad Theodosium juniorem. Atque cuncta haec opuscula in Ejus Opp. praestantissima editione *Auberti* T. IV. et V. continentur. — *Anastasius Patriarcha Antioch.* scripsit Homiliam *De incarnatione Christi*, item *De Christi passione et impassibilitate* [24]; — *Theodorus Rhaituensis* Praeparationem elucubravit et Exercitationem *De divina incarnatione* [25]; — *Theodorus Abucara* Lib. *De unione et incarnatione* [26]. — Accedunt ad haec monumenta hujus doctrinae multa alia aliorum Scriptorum volumina, quorum catalogum texere post tanta tantorum virorum specimina recensita superfluum esse videtur. Aliis porro ejusdem argumenti, si qua forte hic desideres, velut *Theodoreti Eranistae* etc., inter opera polemica locum assignare satius visum est.

b. Latini.

§. **141.** *Tertullianus* in Regula fidei, quam saepius proponit, e. gr. *Advers. Praxeam* c. 2. (cf. *De velandis virgg.* c. 1.; et *De praescript. Haerett.* c. 13. 14.) *Deum* profitetur *omnipotentem, mundi conditorem, et Filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in coelis, sedentem nunc ad dextram Patris, venturum judicare vivos et mortuos per carnis resurrectionem, qui exinde miserat secundum promissionem a Patre Spiri-*

23) in Ej. Opp. ed. *Herveti.* T. I. p. 449. 664. 665.
24) in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage.* T. I. p. 450. sq.
25) gr. et lat. c. nott. ed. J. B. *Carpzov.* Helmstadii 1779. II. 4.
26) in *Canisii* Lectt. antiqq. T. II.

tum sanctum etc.[1]) — *S. Cyprianus* in Opusc. *De Idolorum vanitate: Christus*, inquit, *Dei Filius, qui per Prophetas omnes retro illuminator et doctor humani generis praedicabatur, hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus et gloria; hic in Virginem illabitur, carnem spiritus sanctus induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum hominem induit. Crucifixus pro nobis spiritum sponte dimisit, et die tertio rursus a mortuis sponte surrexit*[2]) ... — *Novatianus* in eo, quem adhuc in communione Ecclesiae scripserat, libro *De Trinitate* c. 9—28. Christi divinitatem et humanam naturam, atque illam imprimis dilucide ex s. Scriptura cum V. tum N. T. defendit[3]). — *Lactantius* in Lib. IV *Divv. Instt.* c. 6—28, uberius de Christo exponens doctrinam adstruit *de Christi persona, nomine et duplici nativitate*, una in spiritu ex ore Dei, altera vero in carne ex Virgine; item *de duabus in Christo naturis*, divina et humana; *de ejus miraculis, de passione.* Deinde c. 29. docet *Deo Patri et Filio Deo unam utrique mentem, unum spiritum, unam esse substantiam*, ut fontis et rivi, ut solis et radii, ut manus et corporis etc.[4]). — *S. Hilarius Pict.* in *Lib. de Synodis* et *Lib. II ad Constantium* c. 11., ubi Christus appellatur *is, qui est ante tempora et fuit in principio apud Deum, Deus Verbum, Unigenitus, Imago Dei invisibilis, Deus verus, Deus magnus*[5]) ... — *Isaac* ex Judaeo Christianus, sub finem IV vel ad initium V Seculi Scriptor, opusculum reliquit c. t. *Liber fidei de S. Trinitate et Christi incarnatione*[6]). — *S. Ambrosius* in *Libris V de fide* supra (§. 139.) memoratis totum secundum et tertium de Christi divinitate contexuit. Extat autem ejusdem et peculiare opus

1) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* (Venet.) p. 501.
2) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 410. sq.
3) ibid. T. II. p. 472. sq.
4) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 231. sq.
5) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. II. p. 12.
6) in *Galland.* Biblioth. vett. PP. T. VII.

cum inscriptione *De incarnationis Dominicae sacramento tractatus*, ex homilia elaboratus, quo contra Arianos et Apollinaristas duas in Christo esse naturas demonstrat [7]. — *S. Augustinus* duos, qui proxime huc spectant, libellos composuit, nempe Tractatum *De incarnatione adv. Judaeos*, quibus e vaticaniis V. T. Christi Dei adventum probat (vd. Opp. polemica §. 160.); et *Epist. ad Volusianum*, in qua Volusiano ad diversas, quas movebat, quaestiones ad Incarnationem pertinentes respondet [8]. — *S. Joannes Cassianus*, quos scripsit *Libros VII De incarnatione Christi*, eos imprimis adversus errores Nestorii direxit (§. 175). — *S. Vincentius Lerin.* quam praeclare de Christi Jesu divina natura et humana sentiat, habes expositum c. 19—23. *Commonitorii* [9], ubi post exactam fidei catholicae professionem Photini, Apollinaris et Nestorii haereses damnat. — Accedunt *Bachiarii* Monachi *Libri duo De deitate et incarnatione Verbi* ad Januarium, antea S. Augustino attributi [10]; — *Leporii Libellus emendationis*, confessionem fidei catholicae continens de mysterio incarnationis Christi, et *Capreoli Epistolae de una Christi Dei et Hominis persona*; sed satius his locus inter opera polemica adv. Nestorianorum haeresin adsignandus videbatur (§. 175.). — *S. Leo M.* praeter opuscula ejusdem argumenti erroribus Eutychetis opposita (§. eod.) multa habet et egregia dicta in Sermonibus, quibus passim sacra mysteria exponit. Sic praeclare advertit in *Serm. I. de Nativit. Domini*: *Nisi Christus esset verus Deus, non afferret remedium; si non esset homo, non afferret exemplum* [11]. — *S. Fulgentius Ruspensis* plura scripsit de Christi divinitate adversus Arianos (§. 168.); huc autem speciatim pertinet Ejusdem *Liber de*

7) in Ej. Opp. ed. a *Monte Alto*. T. IV. col. 285. sq.
8) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. II., Epist. CXXXVII., col. 401. sq.
9) in Bibl. PP. max. *Lugdun*. T. VII. p. 254. sq.
10) in Ej. Opp. ed. Fr. *Florius*. Rom. 1748. 4.
11) in Ej. Opp. (ed. *Paris*. 1614. f.) col. 86.

incarnatione Christi ad Scarilam [12]), ad cujus quaestiones hac super re uberius respondet; item *De incarnatione et gratia Domini nostri ad Petrum Diaconum et alios liber unus* [13]), qui perperam aliquamdiu S. Augustino adscriptus fuit. — Nec omittenda sunt e recentiorum Scriptorum opusculis *S. Anselmi Cantuar. Cur Deus Homo?* Libri II, quorum prior argumenta Gentilium contra Incarnationis mysterium refellit, posterior autem de Incarnationis natura et necessitate agit [14]). — *Hugonis Victorini De verbo incarnato* Disputt. III, aliaeque quae huc spectant commentatiunculae [15]); — *Richardi Victorini De incarnatione Verbi* ad S. Bernardum et *De tribus appropriatis personis in Trinitate* [16]); alia aliorum.

ff. De creatione hominis et peccato originali.

§. 142. *S. Justinus* in Dialog. c. Tryph. c. 88. 100. 124 genus humanum *ab Adamo* dicit *in mortem et serpentis fraudem incidisse, uno sua culpa improbe agente;* libera enim eligendi potestate hominem fuisse praeditum et ita factum, *ut Deo similis et mortis expers fuisset, si mandata Dei servasset.. Eva, postquam serpentis sermonem concepit, per inobedientiam mortem peperit. Ideo Christus homo factus atque passus est, ut, qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet* [1]). — *Tatianus* in Orat. adv. Graecos c. 11. 12. 20 *Non fato homines peccasse* docet *sed libere; ab ipsis productum esse malum, non a Deo; sed qui produxerunt, fugere et repudiare posse* monstrat, et quomodo id assequantur, fusius exponit.. *Pharmacis curati grates agere Deo debemus, et materia spreta alas spirituales*

---

12) ed. W. *Camerarius*. Paris. 1634. 12.
13) in *S. Augustini* Opp. ed. *Maurin*. T. X. Append.
14) in Ej. Opp. ed. *Gerberon*. p. 74—97.
15) in Ej. Opp. ed. *Rotomag*. T. III.
16) in Ej. Opp. ed. *Venet*. T. I.
1) in Ej. Opp. ed. *Maran*. p. 196. 206. 229.

quaerere [2]). — *S. Theophilus* Ad Autolyc. Lib. II. c. 17. 18. 24—28 praeclare disserit de *hominis creatione* et *statu felici in libertate, justitia et immortalitate, quem sua culpa per peccatum amisit, transgressus mandatum quod accepit* [3]). — *S. Irenaeus* in Lib. III adv. Haeres. c. 22. §. 4 ostendit *Evam* per inobedientiam *sibi et universo generi humano causam factam esse mortis* ... Lib. IV. c. 2. §. 7: Nec aliter salvari posse homines *ab antiqua serpentis plaga*, nisi credant in eum, qui *secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra et omnia trahit ad se*... Ibid. c. 37. §§. 1. 5: *Deus*, ait, *hominem liberum constituit, et eligendi facultate donavit, nec in operibus tantum liberum eum fecit, sed etiam in fide*... Deinde ib. c. 38. 41 cur non *ab initio perfectus* sit factus homo docet; et, qui Dei voluntati parere non vult, *ipsum sibi* imperfectionis suae esse caussam,.. et *quod filius sit diaboli, non natura quidem sed imitatione* [4]). — *Clemens Alexandr.* in Cohortat. ad Gentes c. 1. 11. idem fere exponit, et ita quidem dilucide et copiose disserit, ut nihil desideraveris [5]). — *Origenes* in Comment. in Cantic. Canticc. Lib. III *a Christo* dicit *peremtum illum serpentem, qui seduxerat Evam, et eloquii sui flatibus peccati in eam venena diffundens omnem posteritatis sobolem contagio praevaricationis infecerat* .. Christum venisse *solvere inimicitias in carne sua*, quas inter Deum et hominem noxius mediator offecerat... Cf. Comment. in Ep. ad Rom. Lib. V. §. 1. sq. [6]). — *Tertullianus* in Lib. de testimon. animae c. 3: *Per Satanam*, inquit, *homo a primordio circumventus, ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum suae etiam damnatio-*

2) ibid. p. 267. sq. 277.
3) ib. p. 386. 390. sq.
4) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 219. sq. 230. 281. sq.
5) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* p. 7. 86.
6) in Ej. Opp. ed. *De la Rue.* T. III. p. 88. cf. p. 550. sq.

nis traducem fecit ... Et in Lib. de anima c. 16: *A diabolo immissio delicti* .. et ib. c. 19: *Anima hominis velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta et genitalibus feminae foveis commendata cum omni sua paratura pullulabit tam intellectu quam sensu* [7]).. — S. *Cyprianus* in Epist. LIX. ad fin. item diserte: *Vel recens natus*, ait, *quia secundum Adam carnaliter natus est, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit*.. Et in Lib. de opere et eleemosyna: *Dominus adveniens sanavit illa, quae Adam portaverat vulnera, et venena serpentis antiqua curavit*.. atque iterum in Lib. De bono patientiae: *Similitudo divina, quam Adam peccato perdiderat, manifestetur et luceat in actibus nostris* [8]).. et passim alibi. — *S. Methodius* in Orat. III. *Conviv. decem Virgg.* nec non in Libro *De libero arbitrio et unde mala*, multa ac praeclara et admiratu maxime digna de primi hominis libera transgressione mandati et humani generis redemtione disserit [9]). — *S. Hilarius Pictav. De Trinitate* Lib. X. c. 74. ait: *Omnis caro, excepta illa quae sine peccato venit in similitudine carnis peccati, sub peccati origine et sub peccati lege nata est* [10]). — *S. Athanasius* in Lib. contra Gentes c. 2. 3. *felicissimum* primi hominis *statum et tristem* post peccatum *commutationem* depingit; cum quibus confer Ejusdem De incarnatione Verbi c. 5—8, al [11]). — *S. Cyrillus Hierosolym.* in Catech. II. c. 4. 5 primum *auctorem peccati et malorum parentem Diabolum* dicit; *per hunc primus noster parens Adam expulsus est e Paradiso*.. *Hoc primi hominis peccato et nos cecidimus et mortui sumus* [12]) .. — *S. Macarius Aegypt.* in Homil. XII *de statu Adae post*

7) in Ej. Opp. (*Venet.* 1744. f.) p. 65. 274. 276.
8) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 176. 428. 448.
9) in Biblioth. PP. max. *Lugd.* T. III. p. 681—684. 715. sq.
10) in Ej. Opp. ed. Oberthür. T. I. p. 354.
11) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg*. T. I. p. 2. 3. 39. sq.
12) in Ej. Opp. ed. *Touttée*. p. 23

imaginem Dei perditam exponit, quod argumentum item in Homiliis IV. V. XI. XV passim tractat (§. 204.). — *S. Gregorius Nazianz.* in Orat. ad Julianum, quae est Orat. IX: *Haec* (mala), inquit, *nobis lignum illud invexit, et amarus esus et invidus serpens et lex violata, quae nobis hanc poenam irrogavit, ut in sudore vita ducenda sit. Hinc ego nudus et indecorus.. e paradiso ejectus, perpetuo moerore damnatus, eam poenam pendo, ut mihi cum eo, qui male in meam amicitiam irrepsit, ac per arboris gustum in fraudem me induxit, bellum gerere sit necesse. Hoc mihi peccati praemium etc.* [13]) — *S. Gregorius Nyssenus* in Lib. *De hominis opificio* c. 10 accuratius explanat dictum illud divinum: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostri;* deinde c. 17 resolvit dubium, quomodo animi orituri fuissent, si primi homines nulla se peccati labe polluissent; exponit c. 18, unde perturbationes animi in hominis naturam redundaverint; c. 20, quae fuerit in paradiso vita, quod lignum vetitum, etc. Multa et praeclara hujus argumenti scripsit idem in *Orat. secunda* super dictum: *Faciamus hominem etc.* Et peccati originalis mentionem facit in *Orat. sexta de Beatitudinibus*, in *Homilia in Baptismum Christi*, et passim alibi [14]), — *S. Chrysostomus* in Homil. X in Epist. ad. Rom. egregie exponit verba S. Pauli: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit etc.* [15]). — *S. Hieronymus* in Libro III. c. 18. adv. Pelagian. et saepius alibi: *Omnes*, ait, *homines aut antiqui propagatoris Adam aut suo nomine tenentur obnoxii* [16]). — *S. Augustinus* multa habet, quae huc pertinent in Libb. *De gratia Christi et peccato originali*, *De nuptiis et concupiscentia*, atque aliis opusculis polemicis adv. *Pelagianos* (§. 171.); imo sex-

13) in Ej. Opp. ed. *Billii.* T. I. p. 157. sq.
14) in Ej. Opp. ed. *Morelli.* T. I. p. 83. 189. 317. 368.
15) in Ej. Opp. ed. *Montfauc.* T. IX. p. 519.
16) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 545.
17) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. II col. 465. 594. 707. al.

centies dicit, omnium, quaecunque teneantur sententiae, nullam tenendam, quae neget peccatum originale [17]. — *S. Cyrill. Alex.* in Evangel. Joann. Lib. VI. c. 15. dicit: *Quia omnes homines (excepto illo, qui de Virgine natus est, et sacratissima etiam Virgine, ex qua Deus-Homo prodiit in mundum, exemta) cum peccato originali nascimur, et gravissima coecitate depressi in mundum venimus, quam quidem coecitatem de radice primi parentis contraximus* . . . Et paulo supra: *Quia ex illo traximus omnes non solum originem mortis sed etiam iniquitatis* [18]. — *S. Anselmus Cantuar.* singularem libellum composuit *De conceptu virginali et originali peccato* [19]. — *Odo* Abbas Tornacensis et dein Episcopus Cameracensis *De Peccato originali libri III* [20]. — Denique, ut alios multos taceam, *S. Thomas Aquin.* in *Summa Theolog.* Vol. III. P. II. fusius hac de re passim disputans, qu. LXXXI. artic. 3. *traduci* peccatum originale per generationem et seminalem propogationem; quaest. LXXXII. art. 3. peccatum originale esse *materialiter* quidem concupiscentiam habitualem, *formaliter* autem defectum pristinae justitiae; qu. LXXXV. art. 5. *quatuor* esse vulnera naturae inflicta per peccatum originale, *infirmitatem*, *ignorantiam*, *malitiam et concupiscentiam; etc.* docet [21].

§. 143. Atque heic non esse alienum a re puto, statim adjungere piam sententiam illam diu agitatam et controversam *De immaculata B. Mariae V. conceptione.* Fuit autem triplex sententia Antiquorum. *Alii* enim omnes homines adeo in Adamo peccasse statuunt, ut *ne Maria quidem sacrosancta Dei genitrix ab originali labe exemta* fuerit. Sic *S. Augustinus* in Expos. in Psalm. XXXIV: *Inde*, ait, *carnem assumsit* (Christus) *de massa*

18) in Ej. Opp. ed. Gent. *Hervetus,* T. I. p. 562.

19) in Ej. Opp. ed. *Gerberon.* p. 97.

20) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XXI. p. 227—241.

21) in Ej. Summa totius théolog. (*Lugd.* 1701. XX. 12.) T. VII. p. 571. sq.

ipsa, quae mortem meruerat ex peccato; etenim, ut celerius dicam, Maria ex Adam mortua propter peccatum [1]); — et iterum in Libro I De Peccatorum meritis et remissione c. 24: *Solus ergo ille*, inquit, *etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec sumsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati* [2]).. — Similiter *S. Fulgentius Rusp.* De incarnatione et gratia Domini nostri ad Petrum Diaconum, c. 6: *Caro quippe Mariae*, inquit, *quae in iniquitatibus fuerit concepta, caro fuit utique peccati* [3]). — *S. Petrus Damiani* in Opusc. VI. c. 19: *Ex ipsa carne* (Virginis), *quae de peccato concepta est, caro* (Christi) *sine peccato prodiit* [4]). — *S. Bernardus Claraevallensis* in Epistola ad *Canonicos Lugdun.* (Ep. CXLIV.), quum c. a. 1140 festum *immaculatae Conceptionis B. V. M.* inconsulta apostolicae sedis auctoritate in Ecclesia sua celebrarent, eosdem propterea velut *novatores* acriter perstringit [5]); ceterum sententiam suam ex Ecclesiae Romanae auctoritate totam suspendit. — *Potho*, Presbyter Prumiensis, item in fine libri III *de Domus Dei statu*, licet ipse alias fervidissimus est B. M. Virginis cultor, tamen hujus festi *publicam celebrationem* disertis verbis *improbat* [6]). — Et hi quidem omnes videntur innuisse, vóluntatem B. Virginis, sicut ceterorum hominum, contentam in voluntate Adami fuisse ideoque eam non jam sine macula conceptam, sed demum *postmodo sanctificatam* esse, ut conciperet de Spiritu sancto. Alii contra testantur, eam *nunquam* fuisse in peccato originali. Alii denique similiter jam in utero matris suae sanctificatam fuisse Dei Genitricem statuunt, sed in primo *instanti* unionis animae cum corpore jam

1) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. col. 240.
2) ibid. T. X. col. 61.
3) ibid. T. X. Append. col. 146.
4) in Ej. Opp. ed. *Laderchii.* T. III.
5) in Ej. Opp. ed. *Mabillon.* Vol. II. (T. I.) col. 160.
6) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. XXI. p. 502.

organizato, ita ut peccatum originale non *actu* quidem et de facto, tamen *debito* (vi nempe conceptionis suae per viam seminalem) contractum ab ipsa conjiciant. Minus distincte et quasi obiter dicta sunt, quae *S. Epiphanius* 7) in Haeres. LXXIX; — *S. Ambrosius* 8) in libro De institutione Virginis c. 5; — *S. Cyrillus Hieros.* 9) in Catech. XII. c. 29, aliique habent. — Apertius sententias suas profitentur *S. Augustinus* in Libro de natura et gratia c. 36: *Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem* 10). Neque vero S. Patrem hic de *actuali* tantum peccato agere, Lud. *Habertus*, in sua *Theologia dogm. et moral.* (ed Venet. 1762. VIII. 8.) T. III. p. 164 probe evincit. — *S. Cyrillus* quid hac super re sentiat, lege sis loco supra (§. 142.) laudato. — Porro *S. Joannes Damasc.* in libro III. Expositionis orthodox. fidei, c. 2: *Spiritus sanctus*, ait, *purgavit eam,.. exque castis et purissimis illius sanguinibus carnem ipse sibi compegit* 11); idem in Orat. I de Nativ. B. M. V.: *Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper exspectavit, dum gratia fructum suum produxisset... Beatos Joachimi lumbos, e quibus immaculatum semen effluxit! O praeclaram Annae vulvam, in qua tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus foetus!.. O Sanctissima,.. quae immaculata conservata es in Dei sponsam* 12)! — *S. Paschasius Radbertus* in Libro de partu Virginis habet: *Propterea caro* (Mariae) *jam non caro peccati fuit, in qna Deus se totum infudit;.. cujus etiam nativitas gloriosa in omni Ecclesia catholica ab omnibus felix et beata praedicatur.. Constat igitur ex*

---

7) in Ej. Opp. ed. *Petavii.* T. I. p. 889.
8) in Ej. Opp. ed. *Monte-Alti.* T. IV. col. 421.
9) in Ej. Opp. ed *Touttée.* p. 176. sq.
10) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. X. col. 144.
11) in Ej. Gpp. ed. *Le Quin.* T. I. p. 204.
12) ib. T. II. p. 830.

auctoritate Ecclesiae, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, neque contraxit, in utero sanctificata, originale peccatum[13]). — S. *Anselmus* in Libro Cur Deus Homo, c. 16: *Virgo ipsa*, inquit,.. *cum originali peccato nata est, quoniam et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt... Fuit autem de illis, qui ante nativitatem ejus* (Christi) *per eum mundati sunt a peccatis, et in ejus ipsa munditia de illa assumtus est*[14]). — *B. Petrus Lombardus* in Libro III Sententt. Dist. III. §. 1: *Dici potest*, ait, *et credi oportet, secundum Sanctorum attestationes.. carnem Virginis Spiritus Sancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo, poena tantum (non necessitate sed voluntate assumentis) manente... Mariam totam Spiritus Sanctus in eam praeveniens a peccato prorsus purgavit, et a fomite peccati* (sc. Originali peccato et concupiscentia) *etiam liberavit*[15]).—*S. Thomas Aquin.* in Summ. Theolog. P. III. Vol. II. Qu. XXVII. Art. 1—6., S. *Mariam sanctificatam* esse dicit, ut ex eo Christus nasceretur; sanctificatam autem esse *a peccato originali, jam antequam ipsa ex utero nasceretur*, licet demum *post ejus animationem* sanctificata sit; sed nihilominus *fomitem peccati originalis* post sanctificationem quoque secundum essentiam *remansisse, ligatum* tamen fuisse usque ad Filii Dei conceptionem, in qua et ille fomes fuerit *totaliter* sublatus ita, ut posthac nec mortale nec veniale peccatum unquam commiserit. Hinc, quia *quo tempore* Virgo in utero matris suae sanctificata fuerit, ignoratur, festum *Sanctificationis* ejus potius, quam *conceptionis* in ipsa *Conceptionis die* celebrari[16]). — *Joannes Duns Scotus* in Sententt. Lib. III. Dist. III. qu. I. §. 9. dicit: Deus potuit facere, quod ipsa *nunquam fuisset in peccato originali;* potuit etiam facere, ut tantum *in uno instanti* esset in peccato; potuit etiam facere,

13) in *D'Achery* Specileg. ed. De la *Barre,* T. I. p. 46.
14) in Ej. Opp. ed. *Gerberon.* p. 92.
15) Lib. Sententt. ed. *Paris.* (1548. 8.) p. 2. fol. 219.

ut *per tempus aliquod* esset in peccato, deinde purgaretur. Quod autem horum trium factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiae vel s. Scripturae non repugnet, *videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariae.* — Quid denique *Concilium Basileense* in Sess. XXXIX. (ao. 1439) decreverit, deinde *Bullae* Pontificiae *Sixti IV.* ao. 1476 et 1483 emissae nec non a Successoribus *S. Pio V., Paulo V., Gregorio XV., Alexandro VI.* confirmatae, et postremo a *S. Synodo Tridentina* Sess. V. c. 5. *Decr. de Peccato orig.* renovatae in hac Thomistarum et Scotistarum controversia statuerint, omnes norunt.

gg. *De redemtione s. Christi meritis et satisfactione.*

§. 144. *S. Barnabas* in Epist. cath. c. 5. 6. justificationem et renovationem remissione peccatorum *per Christi merita* nos esse consecutos dicit [1]. — *S. Hermas* in Pastore Simil. V. c. 6. Christum profitetur *serviliter* conversatum, *passum, mortuum pro peccatis nostris* [2]. — *S. Clemens Rom.* in Ep. I ad Corinth. c. 36. 49. praeclare *beneficia* exponit *per Christum impetrata* [3]. — *S. Ignatius* in Epist. ad Ephes. c. 7. Christum dicit *unicum* infirmitatis nostrae *medicum et carnalem et spiritualem;* in Ep. ad. Philad. c. 9. ipsum *Januam Patris* vocat, *per quam ingrediuntur Abraham, Isaac et Jacob, et Prophetae et Apostoli atque Ecclesia, omnia ad unitatem Dei;* in Ep. ad Smyrn. c. 2. eundem profitetur *omnia passum propter nos, ut salutem consequamur* [4]. — Anonymus *Auctor Epistolae ad Diognet.* c. 7. 10. 11. multa profert testimonia de Christi *satisfactione* et nostra *justifica-*

---

16) in Ej. Summa theologiae. (*Lugdun.* 1701. XX. 12.) T. XV. p. 1 — 26.

1) in *Hefele* Opp. SS. PP. Apostolicorum. p. 6. sq.

2) ibid. p. 192. sq.

3) ibid. p. 53. 61.

4) ibid. p. 80. 105. 108.

tione per fidem caritatis opera operantem; praesertim c. 9. egregie de nostra per eum facta *redemtione* dicit: *Deus suum ipse Filium pretium redemtionis pro nobis dedit, sanctum pro peccatoribus, bonum pro malis, justum pro injustis, immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud potuit peccata nostra tegere, quam ejus justitia? In quo alio nos iniqui et impii justificari possumus, quam in solo Dei Filio? O dulcem permutationem! o beneficia omnem exspectationem superantia!* 5) — *S. Justinus* in Apol. I. c. 33: *Christus,* inquit, *homo factus et crucifixus est, ut dispositionem perficeret, quam Pater volebat;* et c. 63: *mortuus est, ut resurgens mortem vinceret;* Idem in Dial. c. Tryph. c. 45: *Caro factus nasci sustinuit, ut serpens profligetur, et mors contemnatur, et in secundo adventu nulla sit;* et ib. c. 106: *Per Christi crucifixi mysterium Deus misertus est omnis credentium hominum generis* 6). — *S. Irenaeus* adv. Haeres. Lib. III. c. 17. §. 2: *Nos,* ait, *lignum aridum existentes primum nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia;* et ibid. c. 20. §. 3: *Non a nobis sed a solo Deo bonum est salutis nostrae;* Lib. V. c. 17. §. 3: *Ab eo, qui peccata dimisit, Christo, qui per crucem debita nostra solvit;* et paulo superius c. 1. §. 1: *Suo sanguine nos redemit, et dedit animam suam pro nostra anima et carnem suam pro nostris carnibus, et effudit Spiritum Patris in adunitionem et communionem Dei et hominis, ad homines quidem deponens Deum per Spiritum, ad Deum autem rursus evehens hominem per suam incarnationem, et firme et vere in adventu suo donans nobis incorruptelam, quae est ad Deum* 7) . . . — *Clemens Alex.* in Cohort. ad Gentes c. 1. praeclare de Redemtione nostra exponit dicens: *Qui tanquam opifex mundi vitam nobis in prima creatione dedit, praeceptoris habitu sumto bene vivendi rationem nos docuit* . . . *Non*

5) ibid. p. 132.
6) in Ej. Opp. ed. *Marani.* p. 66. 84. 148. 211.
7) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 208. 212. 218. 292. 314.

nunc primum erroris nostri misertus, sed olim a principio mundi; nunc vero tandem apparens perituros e faucibus exitii liberavit . . . Quemadmodum unus seductor Evam olim et alios nunc homines in mortem duxit; unus itidem nobis adjutor et vindex est Dominus . . . Et c. 11: *Carnem induit (o divinum mysterium), serpentem hunc devicit, tyrannum h. e. mortem in servitutem redegit . . . Succubuit Dominus; homo autem surrexit; et qui cecidit e Paradiso, nunc majus obedientiae praemium, coelum, accepit* [8]. — *S. Hippolytus* in fragm. II contra Beronem et Helic.: *Propter hoc*, inquit, *factus est homo Universorum Deus, ut carne quidem passibili patiens totum nostrum morti venditum redimeret genus; impassibili vero Deitate per carnem mirabiliter operans ad immortalem illud et beatam reduceret vitam, de qua exciderat diabolo parens* [9]. — *Arnobius* Lib. II Disput. adv. Gentes, c. 65: *Christianus*, ait, *si quis non fuerit, spem salutis habere non poterit. Partes enim salutis dandae solus Christus a Deo Patre injunctas habet et traditas . . . Unius pontificium Christi est dare animis salutem, et spirium perpetuitatis apponere* [10]. — *S. Athanasius* in Libro saepius laudato De incarnatione Verbi scribit: *Verbum, quoniam mori non potuit, utpote immortale, corpus sibi sumsit, quod mori poterat, illudque ut suum pro omnibus obtulit, ut ita pro omnibus, omnibus ipse corpore conjunctus, mortem patiens compesceret eum, qui habet mortis imperium i. e. diabolum . . . Jam non ulterius morte morimur, quotquot in Christo Jesu confidimus. Obliterata est enim illa ipsa damnatio, . . . morte per gratiam Christi edomita* [11]. — *S. Cyrill. Hierosol.* in Catech. XIII. c. 33: *Haec*, ait, *sustinit Salvator, pacificans per sanguinem crucis omnia, quae in coelis et quae in terra sunt. Inimici enim Dei fuimus per*

---

8) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* T. I. p. 7. 86.
9) in Ej. Opp. ed. *Fabricii.* T. I. p. 227.
10) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. III. p. 457.
11) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg.* T. I. p. 52. sq.

peccatum. Assumsit autem Christus peccata in corpore suo super lignum, ut nos per mortem ejus peccatis mortui justitiae viveremus [12]). — *S. Gregorius Naz.* in Orat. XLII. (quae est Orat. II. in Pascha): *Nos*, inquit, *ab initio per peccatum lapsos propter viscera misericordiae Dei Patris nostri, tanti manus suae opificii, h. e. hominis, jacturam facere non sustinentis, revocari et in veterem statum restitui oportebat* [13]). — *S. Chrysostomus* in Homil. X. in Epist. ad Rom., Christi merita recensens dicit: *Multo plura his, quae debeamus, solvit Christus, atque adeo tanto plura, quanto pelagus immensum ad pusillam aquae guttam collatum majus est* etc. [14]) — *S. Hieronymus* in Epist. (inter Criticas Ep. III, alias CXLVI) ad Damasum: *Gratia*, ait, *vobis et Pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo; gratia, quae non est ex merito retributa, sed ex donante concessa; pax vero, qua reconciliati Deo sumus, habentes propitiatorem Dominum nostrum J. Chr., qui donavit nobis delicta nostra, et delevit chirographum mortis, quod erat contra nos, affigens illud cruci et principatus et potestates fecit ostentui, triumphans eas in ligno*... Et in Epist. LIV ad Pamachium scripsit: *Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit faciem Dei; Christus redemtio; idem redemtor et pretium; Christus omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et possit libere proclamare: Pars mea Dominus!* [15]) — *S. Augustinus* praeter alia multa, quae huc spectant, passim egregie dicta in Exposit. Epist. ad Galat. c. 3: *Unicus Filius Dei*, inquit, *mediator Dei et hominum factus est, cum Verbum Dei, Deus apud Deum, et majestatem suam usque ad humana deposuit, et humilitatem humanam usque ad divina subvexit, ut mediator esset inter Deum et homines homo per Deum supra homines* [16]).

12) in Ej. Opp. ed. *Toutée*. p. 199.
13) in Ej. Opp. *Billii*. T. I. p. 684.
14) in Ej. Opp. ed. *Montfauc*. T. IX. p. 522.
15) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. I. col. 150.; P. II. col. 585.
16) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. III. P. II. col. 956.

— S. *Cyrillus Alex.* item in multis locis praeclare de hoc dogmate disserit, ut in Comment. in *Genesin.* c. 1. ad fin. habet: *Ergo ipse est vita nostra, ipse nostra justificatio. Quae in primo Adam tum facta sunt, mysterium Christi mirum in modum repraesentarunt. Ille enim causa humano generi ad mortem, ad maledictionem, ad condemnationem fuit; is contra ad vitam, benedictionem, ad justificationem. Et ille quidem in carnem mulierem accepit, et propter eam periit; Christus autem Ecclesiam sibi per Spiritum conjungens liberam salvamque reddidit, omnique diaboli fraude superiorem effecit. Et progenitor Adam peccati stipendium praevaricationisque successionem, corruptionem, obtinuit; Christi vero justitia pro crimine imputabatur* . . . Praesertim autem in Lib. XI. Comment. in Evang. *Joann.* c. 13. in fine: *Alter*, inquit, *Adam de coelo nobis apparuit, et quemadmodum terrestris imaginem induti ad ejus similitudinem peccati jugo subjecti sumus; ita, si coelestis quoque imaginem induemur, tyrannidem peccati et omnem pressuram mundi contemnemus* . . . Et c. 17: *Datur igitur a Patre salutis nostrae opus Filio. Is homo factus est volente Patre, ut ad vitam perpetuam lapsum ad inferos hominum genus restitueret. Hoc jam potestate Christi factum est; mortem destruxit, diaboli imperium evertit, peccati vires exstinxit, ineffabilem caritatem erga nos habuit, peccata nostra dimisit, errantes illuminavit, et ad verum Deum reduxit* . . . Et rursus ib. c. 19. init. scribit: *Dei et hominum est reconciliator, magnus vere et sanctus Pontifex noster, qui suis interpellationibus genitorem proprium placat, se ipsum pro nobis offerens. Ipse namque hostia et ipse Sacerdos, ipse mediator, ipse agnus Dei, qui tollit peccata mundi* [17]). — His adlatis jam uberiores aliorum Patrum expositiones praecidere posse arbitramur.

---

17) in Ej. Opp. ed. *Gent. Herveti.* T. I. p. 4. 663. 666. 668.

44. De Praedestinatione, Gratia et Justificatione.

§. 145. *S. Clemens Rom.* in *Epist.* I. ad Corinth. c. 32. 33. 34. *Vocationem* nostram ad fidem merum esse *donum Dei*; *justificationem* autem ex fide *bonis operibus* vivificata consequendam esse ostendit [1]). — *S. Ignatius* in Epist. ad *Magnes.* c. 8. et Epist. ad *Trallan.* pluribus locis de Christi gratia, quam sit *prorsus necessaria* ad vitam, disserit [2]). — *S. Polycarpus* aperte innuit in Epist. ad Phil. c. 1. 8. nos *non ex operibus* justificari, sed voluntate Dei *per Jesum Christum* nos salvatos esse [3]). — Auctor ille anonymus *Epistolae ad Diognetum* c. 9. 10. praeclare dicit, ideo Christum tam sero apparuisse, ut homines ex peccatis suis cognoscerent, *se esse vita indignos, nec in alio aliquo, quam in Christo, justificari* potuisse [4]). *S. Irenaeus* in Libro IV adv. Haeres c. 27. §. 2: *Omnes*, inquit, *homines egent gloria Dei, justificantur autem non a semetipsis sed a Domini adventu*, et c. 36. §. 6. exponit, non sufficere *vocationem sine operibus justitiae*, ut requiescat super nos Spiritus sanctus . . . Praesertim autem *de libero arbitrio* toto c. 37. uberius tractans: *Liberum*, ait, *hominem Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem sicut et animam suam, ad utendum sententia Dei voluntarie et non coactum a Deo . . . Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum et in angelis . . ut hi quidem, qui obedissent, juste bonum sint possidentes, datam quidem a Deo, servatum vero ab ipsis . . . Et non tantum in operibus sed etiam in fide liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus dicens:* „Secundum fidem tuam fiat tibi" . . . [5]) — *Clemens Alex.* in Lib. V. Stromatum c. 1. praeclare dicit: *Non*

---

1) in *Hefele*. Opp. PP. apostol. p. 49. sq.
2) ibid. p. 89. sqq.
3) ibid. p. 117. 121.
4) ibid. p. 132. sqq.
5) in Ej. Opp. ed. *Massueti*. p. 264. 279. sqq.

omnes assequuntur boni perfectionem. Nam neque fieri potest, ut sine nostro animi proposito consequamur, neque universum est positum in nostra voluntate. Gratia enim servamur, sed non absque bonis operibus. Oportet ad bonum adhibere studium, oportet autem mentem quoque habere sanam, . . ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia, et casta et munda animi affectione, et Patris ad ipsum attractione . . . Et in libro VI c. 14.: *Quare quando audierimus* „Fides tua te salvam fecit", *non accipimus, eum dicere absolute, eos salvos futuros, qui modocumque crediderint, nisi opera quoque fuerint consecuta* [6]). — *Origenes* in Homil. II in Joann. §. 6. dicit, sanctificationis gratiam *exire a Patre, promereri nobis in Filio,* et *in nos effundi a Spiritu sancto* [7]). — *S. Cyprianus* singularem edidit librum, *De Gratia Dei ad Donatum;* in plerisque editionibus inter Epistolas exhibitum, opusculum sane praeclarissimum [8]). — *S. Archelaus* in *Disputatione* quam habuit cum *Manete* (§. 163.) c. 32: *Deus,* ait, *omnia, quae fecit, bona valde fecit; liberi arbitrii sensum unicuique dedit, qua ratione etiam legem judicii posuit. Peccare nostrum est; ut autem non peccemus, Dei donum est, ex eo quod in nostro sit arbitrio constitutum, peccare vel non peccare* [9]). — *S. Basilius* in Homil. in Psalm. XXVIII. c. 3. Cedros Dei vocat eos, qui antea quidem fuere steriles et ad comburendum apti, sed, ubi tegumentum subierunt Christi, illumque velut induerunt, *per ipsius gratiam sterilitatem vitae suae contegunt . . .* Similiter in Psalm. XXIX. c. 2. de *praeveniente* et *sublevante* Gratia loquitur [10]). — *S. Cyrillus Hierosol.* in I Catech. ad Illumin. §. 4: *Dei est,* inquit, *gratiam conferre; tuum vero, accipere eam et custodire . .*

---

6) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* p. 647. 794.
7) in Ej. Opp. ed. *De la Rue.* T. IV.
8) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 1—12.
9) in edit. Opp. *S. Hippolyti* cur. *Fabricii.* T. II. p. 169.
10) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier.* T. I. p. 119. sq. 125.

et §. 5. remissionem peccatorum *ex aequo* dari omnibus profitetur, communicationem vero Spiritus sancti *secundum proportionem uniuscujusque fidei* conceditur. *Si parum laboraveris, parum accipies; si vero multa operatus fueris, multa erit merces. Tibi ipsi curris, tibi convenientia prospice.* . . . Deinde multis aliis passim locis Catech. XVI. §. 1. 2. 20. 25.; XVII. 38.; XVIII. 20. 31. 35.; XX. 8. de divinae *gratiae* auxilio, ejus *necessitate*, *gratuita* et *praeveniente largitione*, de ejusdem *efficacitate* et *libera* distributione vel subtractione disserit docens, rectam *Dei cognitionem* et *fidem* fideique confessionem, et *orationem*, et in fide *perseverantiam*, et quaelibet *bona opera*, denique *vitam aeternam* — *omnia esse a Deo* [11]). — *S. Gregorius Nazianz.* in Orat. XXXI de *Gratia* dicit: *Voluntas ipsa et electio eorum, quae recta et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est* . . . *Dei est, victoriam afferre et incolumem scapham in portum perducere* [12]). — *S. Hieronymus* in Epist. ad Hedib. (quae est inter criticas Ep. VII.) qu. 10. de *Praedestinatione* dicit: *Si hoc recipimus, ut faciat Deus quodcunque voluerit, et absque meritis et operibus vel eligat aliquem vel condemnet, ergo* „non volentis neque currentis sed miserentis est Dei" . . . *Figulus enim habet potestatem, de eodem luto aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam. Deus autem aequali cunctos sorte generavit, et dedit arbitrii libertatem, ut faciat quisque quod vult, sive bonum sive malum* . . . *Non Dei accusanda est patientia et infinita clementia, sed eorum duritia, qui bonitate Dei in perditionem suam abusi sunt. Unus solis calor alia liquefacit, alia indurat; alia solvit, alia constringit. Sic et bonitas et clementia Dei vasa irae, quae apta sunt ad interitum, indurat; vasa autem misericordiae* . . . *non irrationaliter salvat et absque judicii veritate, sed causis praecedentibus, quia (quod praesciebat) alii non suscepe-*

11) in Ej. Opp. ed. *Toutée.* p. 18. 19. 243. sqq.
12) in Ej. Opp. ed. *Billii.* T. I. p. 504. sq.

runt Filium Dei, *alii autem recipere sua sponte voluerunt* [13]) . . . Idem in Epist. XCVII. ad Demetriadem §. 12. scribit: *Ubi gratia, ibi non operum retributio, sed donantis est largitas. Et tamen velle et nolle nostrum est; sed et ipsum, quod nostrum est velle et nolle, sine Dei miseratione nostrum non est* [14]). — *S. Augustinus*, omnium Patrum in hac materia acutissimus et uberrimus Doctor, multos peculiares, qui praecipuum hic sibi locum servant, libros exaravit, inprimis *Lib. De peccatorum meritis et remissione* ad Marcellinum comitem; *De natura et Gratia*, adv. Pelagium; *De gratia et libero arbitrio*, ad Monachos Adrumetinos; *De correptione et Gratia*, ad eosdem; *De Praedestinatione Sanctorum* ad Prosperum et Hilarium; *De dono perseverantiae* cett., quae infra (§§. 171. 172.) inter Scripta polemica adversus *Pelagianos* recensentur. Sed et alibi saepe D. Augustinus de *habituali Gratia* Dei et *justificatione* nostra loquitur, e. gr. in Libro de spiritu et litera ad Marcellinum c. 3: *Caritas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectiores suos; sicut justitia, qua justi ejus munere efficimur; et Domini salus, qua nos salvos facit; et fides Domini nostri J. Chr., qua nos fideles facit* [15]) . . . Et in Enchiridio ad Laurentium c. 52: *Quemadmodum in illo* (Christo) *vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio* [16]) . . . De *actuali* autem gratia inprimis praeclare disserit in Libro De natura et gratia, c. 26. (al. 29.): *Deus, cum per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum spiritualiter sanat aegrum vel vivificat mortuum i. e. justificat impium, et eum ad perfectam vitam justitiamque duxerit, non deserit, nisi deseratur, ut*

---

13) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. I. col. 181. 182.
14) ibid. T. IV. P. II. col. 791.
15) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. X. col. 87.
16) ibid. T. VI. col. 215.

pie et juste vivatur . . . Sicut enim oculus corporis, etsiamsi plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut praestet etiam ne peccemus [17]). — *S. Cyrillus Alex.* bene in Commentario suo in Evang. Joann. Lib. XI c. 15. sub fin. habet: *Quos enim Pater vult vivificare, eos vivificae suae Virtuti i. e. Filio suo adducit, per quem corroborat et sapientiores facit, quoscunque sub ditione principatus sui facere destinavit* [18]). — *S. Prosper Aquitanicus* hic commemorandus est ob libros, quos scripsit *De gratia et libero arbitrio*, singillatim recensitos inter Scripta ss. Patrum polemica contra *Semipelagianos* (§. 172.). Ibidem lege sis duo *S. Fausti Regiensis* Opuscula, quae hanc materiam concernunt. — Similiter *S. Fulgentius Ruspensis* nonnulla exaravit huc spectantia, cujus generis sunt *Libri tres ad Monimum*, quorum primus ad Quaestiones Monimi de *Praedestinatione* respondet; Ejusdem *De incarnatione et gratia Domini nostri* ad Petrum Diaconum et alios, in quo libello totus sententiam D. Augustini de hoc argumento tuetur atque propugnat; item, qui hujus tractatus quasi complementum seu continuatio videri possunt, *Libri III de veritate praedestinationis et gratiae Dei* ad Joannem et Venerium [19]). — *S. Joannes Damasc.* in Libro II de fide orthodox. c. 29: *Oportet nosse*, inquit, *Dei primaria et antecedente voluntate velle omnes homines salvari* . . . Id quod uberius explicat in Dial. contra Manichaeos c. 79. dicens: *Praecedens autem voluntas est, quando aliquis ex se ipso vult aliquid; consequens, quando ex eorum, quae fiunt, causa atque voluntate quidem praecedente. Ex se ipso Deus vult omnes*

---

17) ibid. T. X. col. 140.

18) in Ej. Opp. ed. Gent. *Herveti.* T. I. p. 664.

19) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. IX. p. 16—26. 199—213. 232—256.

homines salvos fieri, si vero peccemus, vult nos quantum conducit castigari. Praecedens illa voluntas bonitatis est, consequens autem justitiae [20]). Haec eadem est sententia, quam dudum *S. Chrysostomus* pronunciavit in Homil. I. in Epist. B. Pauli ad Ephes. dicens: *Prima voluntas est, ut peccatores non pereant; voluntos secunda est, ut, qui male affecti sunt, pereant.* — Nec omittendi sunt, qui seculo IX. de Praedestinatione et Gratia scripserunt, *Rabanus Maurus* Archiepiscopus Moguntinus; *Hincmarus* Rhemensis; *Pardulus* Laudunensis, *Amolo* Lugdunensis etc., de quorum Scriptis infra (§. 173.) catalogum texui. — Accedunt *S. Anselmi Cantuariensis De libero arbitrio* Dialogus; et Ejusdem *De concordia praescientiae et praedestinationis nec non gratiae cum libero arbitrio* [21]). — *Algeri*, Leodiensis Magistri et dein O. S. B. Monachi Cluniacensis, *Libellus de libero arbitrio*, quo breviter exponit, quale fuerit Adae liberum arbitrium *ante et post lapsum;* tum ostendit, quod neque praedestinatione bonorum ad praemium neque praescientia malorum ad poenam *obsit nostro libero arbitrio*, neque aeterna Dei visio, quae omnes sibi actiones nostras semper praesentes habuit, iisdem ullam inferat *necessitatem*, sed omnino liberas relinquat. Nunc nostrum arbitrium sic esse liberum docet, ut mala ex *se* solo, bona vero nonnisi *ex Gratia* velle possit [22]). — *Honorii*, Augustodunensis Presbyteri, *De praedestinatione et libero arbitrio* [23]). — *S. Bernardi Tractatus de gratia et libero arbitrio* ad Guilielmum Abbatem, ubi docet, quae sint *gratiae*, quae *liberi arbitrii* partes in negotio salutis; opusculum parvum quidem est nec plus XIV capita complectens, sed plus succi et solidae doctrinae continet, quam magna recentiorum librorum volumina, quae de hoc dogmate pertractant [24]).

---

20) in Ej. Opp. ed. *Le Quien*. T. I. p. 198. 462.
21) in Ej. Opp. ed. *Gerberon*. p, 117—135.
22) in *Pezii* Thesaur. Anecdott. nov. T. IV. P. II. col. 113. sq.
23) ed. Ge. *Cassander*. Colon. 1552. 8.
24) In Ej. Opp. ed. *Mabillon*. T. II. col. 609.

ii. *De Sacramentis.*

a) *De Baptismo.*

§. 146. S. *Barnabas* in Epist. sua c. 11. Effectum Baptismi paucis ingerit dicens: *Descendimus quidem in aquam peccatis et sordibus inquinati, inde autem emergimus fructum adferentes in corde, habentes timorem et spem in Jesum ex Spiritu.* Quae justificatio per Christi merita *in lavacro ex aqua et Spiritu sancto* accepta vera est *regeneratio*, quam c. 16. praeclare describit [1]). — S. *Hermas* in Pastor. Simil. IX. c. 16. necessitatem Baptismi ejusque miram efficacitatem perspicue declarat his verbis: *Antequam homo accipiat nomen filii Dei, morti destinatus est; at ubi accipit illud sigillum, liberatur a morte, et traditur vitae. Illud autem sigillum aqua est, in quam descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitae assignati* [2]). — S. *Justinus* Martyr in Apolog I. c. 61. docet Baptismi necessitatem, *ut prima generatio reparetur, et peccata commissa deleantur. Tunc quicunque vera esse crediderint, quae a Christianis docentur, seque ita vivere promiserint, et egerint poenitentiam peccatorum,.. in nomine Patris universorum ac Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti lavacrum in aqua suscipiunt* etc. [3]) — S. *Theophilus* in Libro II ad Autolyc. c. 16: *Praeterea,* inquit, *benedixit Deus iis, quae ex aqua nata sunt, ut id quoque signum esset, homines poenitentiam et remissionem peccatorum per aquam et lavacrum regenerationis accepturos* [4]). — S. *Irenaeus* in Libro III adv. Haeres. c. 17. §. 2. Baptismo tribuit *regenerationem. Sicut,* ait, *de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, ita nec nos multi unum fieri poteramus in Christo Jesu sine aqua, quae de coelo est; et*

1) in *Hefele* Opp. PP. apost. p. 17. 23.
2) ibid. p. 224.
3) in Ej. Opp. ed. *Maran.* p. 82.
4) ibid. p. 385.

sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic nec nos fructificaremus vitam sine superna pluvia (Spiritus Sancti). *Corpora enim nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt, animae autem per Spiritum. Unde utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei* [5]) . . . — *Clemens Alexandr.* in Paedag. Lib. I. c. 6., multis nominibus vocare Baptismum docet; *lavacrum* dicitur, per quod peccata abstergimus; *gratia*, qua remittuntur poenae quae peccatis debentur; *illuminatio*, per quam Deum perspicimus; *perfectum* (τέλειον), cui nihil deest. *Quid enim ei desit, qui Deum novit? Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur . . . Itaque qui tingimur, abstersis peccatis, quae divino Spiritui quodammodo tenebras offundebant, liberum et ab omni impedimento vacuum et lucidum habemus spiritus oculum . . . Quae enim male colligavit ignoratio, ea pulchre resolvit agnitio. Haec autem vincula quam celerrime solvuntur, humana nempe fide et divina gratia, cum nimirum remittuntur peccata uno medicamento Baptismo secundum Verbum* [6]). — *Origenes* in Comment. in Levit. Homil. VIII. §. 3. rationem ingerit, cur et *infantuli* sacro baptismo purgari debeant [7]). Sed et alibi multa habet et praeclara de hoc sacramento; cf. Homil. XIV. et XXI. in Lucam, Hom. VI. §. 18. in Joann., et Comment. in Epist. ad Rom. c. 6. — *Tertullianus* egregium reliquit librum *De baptismo*, quo ejus *necessitatem*, *essentiam* et *efficaciam* adversus Quintillae errores potissimum probat, praeterea *quomodo*, *quando*, *ubi* conferatur exponit [8]). — *S. Cyprianus* in Epist. LIX. ad Fidum Episc. fusius pertractat, quod in Concilio *Carthag.* ao. 253. habito c. 2. sancitum est, quo canone *anathema-*

---

5) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 208.
6) in Ej. Opp. ed. *Potter.* p. 113. 114. 116.
7) in Ej. Opp. ed. *De la Rue.* T. II. p. 230.
8) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* (Venet. 1744.) p. 224—233.

tizantur, quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negaverint, aut dixerint, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adamo trahere peccati origininalis, quod regenerationis lavacro expietur 9). Hinc Baptismum in Epist. LXXIII. ad Jubajanum *undam* dicit *genitalem, aquam vitalem, cum inde incipiat omnis fidei origo, et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio, et purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio* 10). Ceterum late disserit S. Martyr de *materia* hujus sacramenti (Epist. LXX.), de *forma* et *ministro* (Ep. LXXIII.) et de ejusdem *effectibus* (Ep. LIX.) etc. 11) — *S. Hippolytus* in Homil. in Theophania c. 8: *Pater immortalitatis,* ait, *immortalem Filium ac Verbum in mundum misit, qui venit ad homines, loturus eos aqua et Spiritu, et regeneraturus ad animae corporisque incorruptibilitatem, inspiravit in nos spiritum vitae, et incorruptibili armatura nos induit*... Et c. 10: *Qui cum fide in hoc regenerationis lavacrum descendit, renuntiat malo, et Christo se addicit; hostem abnegat, et Christum Deum esse confitetur; servitutem exuit, induit adoptionem; redit ex baptismo splendidus ut sol, radios justitiae effulgurans* 12). — *S. Basilius* Homiliam scripsit in *S. Baptisma,* ubi c. 5. hujus Sacramenti effectus concinne dinumerans: *Baptismus,* inquit, *captivis est redemtionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, sigillum nullo conatu frangibile, vehiculum ad coelum, regni conciliator, donum adoptionis* 13). — *S. Cyrillus Hieros.* in Catechesi, quae est III ad Illum., *De Baptismo* c. 3. 4. 10—16. ejus *necessitatem* ad salutem ex decretis Christi et Scripturarum exemplis adstruit; *partes* ejus exponit, aquam nempe, quae corpus abluit,

9) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 173. sq.
10) ibid. p. 236. 237.
11) ibid. p. 222. 236. 276.
12) in Ej. Opp. ed. *Fabricii.* T. I. p. 264.
13) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier.* T. II. p. 117.

et Spiritus sancti gratiam, quae animam emundat et obsignat; *effectus* denique persequitur mirabiles, qui sunt peccatorum remissio, societas cum Christo et similitudo ejus; animae mundities et coelestium civium laetitia [14]). — *S. Ambrosius* in Libro *De Spiritu sancto* c. 4. dicit, Baptismum in solo *Christi* nomine collatum *plenum* esse sacramentum; ita quoque sancto tantum *Spiritu* nuncupato nil deesse ad mysterii plenitudinem. *Rationem sequamur, quia, qui unum dixerat, Trinitatem signavit* . . . Idem in Libro *De Mysteriis ad Initiandos*, Neophytis doctrinam de sacramentis *Baptismi* (c. 2—8.) et *Eucharistiae* (c. 8. 9.) exponit, et illic quidem, quod *invisibilis gratia divini Spiritus praesens operetur in remissionem peccatorum;* heic vero, quod Corpus Christi quod accipimus, non panis sit, sed vera caro, nata ex Virgine, crucifixa et a mortuis resuscitata, per plurima exempla et figuras probat [15]). — *S. Gregorius Nazianz.* in Oratione *De Baptismo* (quae est Orat. XL.) s. Baptismum omnium Dei beneficiorum *maximum* praedicat; ejus *effectus* designat; cur variis nominibus *Illuminatio*, *Donum*, *Gratia*, *Unctio*, *Lavacrum*, *Sigillum* insigniri soleat, exponit; cett. [16]) — *S. Gregorius Nyssenus* in Oratione De s. Christi baptismate item dicit, baptismum esse *peccatorum expiationem, remissionem omnium delictorum, renovationis et regenerationis causam*, etc. [17]) — *S. Joannes Chrysost.* duas scripsit *Catecheses ad Illuminandos*, in quibus de S. Baptismo exponit [18]). — *S. Hieronymus* in Apolog. adv. Rufin. Lib. I. c. 32: *Vetus Adam*, ait, *in lavacro totus moritur, et novus cum Christo in baptismate suscitatur*; *perit Choïcus, et nascitur supernaturalis* [19]).' — *S. Augustinus* in Enchiridio ad Laurent. c. 64. dicit: *Haec ergo magna in-*

---

14) in Ej. Opp. ed. *Touttée*. p. 40. 41. 44—48.
15) in Ej. Opp. ed. *Monte Alti*. T. IV. col. 219. 343.
16) in Ej. Opp. ed. *Billii*. T. I. p. 338. sq.
17) in Ej. Opp. ed. *Morelli*. T. I. p. 368.
18) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. II. p. 225. 234.
19) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. II. col. 387.

dulgentia (per baptismum) *incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus*[20])... Et in Lib. XIII. de civit. Dei c. 7: *Quicunque*, inquit, *non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda eorum peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis*[21])... Idem permulta alia habet, quae huc pertinent, in scriptis suis adversus *Donatistas* (§. 166.), et in his singulare elucubravit opus *De baptismo contra Donatistas*, ubi in Lib. VI. c. 2. inter alia dicit, nequaquam sese dubitare, habére eos baptismum, *qui ubicunque et a quibuscunque... verbis evangelicis consecratum accepissent.* Id quod de casu necessitatis dicendum[22]). — *Amalarius* Luxoviensis et Archiepiscopus Trevirensis, cujus extat *Epistola de S. Baptismate* ad Carolum Magnum scripta sed diu Alcuino perperam adtributa[23]); quae, quoniam de *ceremoniis baptismi* maxime disseritur, potiori jure inter opuscula *liturgica* (§. 201. sq.) locum sibi fecerit. — Similem *Laidradus* Episc. Lugdunensis conscripsit librum *De sacramento Baptismi* unacum Epistola ad Carolum M. *De abrenuntiationibus in Baptismo*[24]). — Denique, ut alios taceam, *S. Bernardus* commemorandus est ob insignem Epistolam LXXVII imo potius Tractatum *De Baptismo* aliisque quaestionibus[25]); — et *S. Thomas Aquin.*, qui in Summa totius theologiae uberius exponit *De sacramento Baptismi* Part. III. Vol. III. quaestt. 66—72.[26])

b) *De Confirmatione.*

§. 147. *S. Irenaeus* in Libro IV adv. Haeres.

20) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. VI. col. 220.

21) ibid. T. VII. col. 329.

22) ibid. T. IX. col. 81.

23) in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage.* T. II. P. I. p. 543—548.

24) in *Gallandii* Biblioth. PP. T. XIII.

25) in Ej. Opp. ed. *Mabillon.* Vol. I. (T. II.) col. 631.

26) in Ej. Summ. theolog. (ed. *Lugdun.* 1702. 12.). T. XVI. p. 149—340.

c. 38. §. 2. dicit: *Per impositionem manuum Apostolorum* (Episcoporum) *accipitur Spiritus sanctus, qui est esca vitae . . .* Et lib. V. c. 10. §. 1. 2: *Quemadmodum oleaster inserta, si tenuerit insertionem, oliva fit fructifera, sic et homines, si quidem per fidem profecerint in melius, et assumserint Spiritum Dei, et illius fructificationem germinaverint, erunt spirituales tanquam in Paradiso Dei plantati* [1]). — *Tertullianus* De Baptismo c. 6. 7. 8. *Confirmationem* seu unctionem quasi *consummationem Baptismi* quidem dicit esse, sed diversum utrumque esse ac *proprium* sacramentum, si actum, si effectum respicias. Dicit enim: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione . . . Sic in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quemadmodum et ipsius baptismi carnalis actus (quod in aqua mergimur), spiritualis effectus (quod delictis liberamur). Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum . . . Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit.* Idem in Libro de resurrectione carnis c. 8. de hoc sacramento dicit: *Caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur* [2]). — *S. Cyprianus* in Epist. LXX: *Ungi quoque*, inquit, *necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate . . . unctus Dei esse et habere in se gratiam Christi possit . . .* Et in Epist. LXXII., ubi item de ss. Baptismo et Confirmatione dicit, utrumque sacramentum ratione materiae et numeri probe distinguens, tunc demum hominem *plene sanctificari et esse filium Dei posse, si utroque Sacramento nascatur . . .* Et in Epist. LXXIII: *Hoc*, ait, *nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummen-*

1) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 284.
2) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* (Venet.) p. 226. sq. 330.

tur[3]). — *S. Cyrillus Hieros.* in Catech. III mystagog. hoc sacramentum egregie exponit, inter alia §§. 1. 3. 7. dicens: *Christum induti similis cum Filio Dei formae facti estis. Et postquam ex sacrorum laticum piscina ascendistis, datum vobis Chrisma est, illius antitypum, quo unctus est Christus q. e. Spiritus sanctus. Neque nudum et commune unguentum hoc est post invocationem, sed Christi donarium et Spiritus sancti, praesentia ejus divinitatis efficiens factum; ac dum visibili unguento inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur. Hoc sanctum spirituale corporis amuletum et animae salutare* (praesidium)[4]). — *S. Jo. Chrysostomus* in Homil. XVIII in Act. Apost. c. 8. §. 3: *Philippus*, ait, *baptizatis Spiritum Sanctum non dabat, neque facultatem habebat ... Hoc erat illorum duodecim munus singulare; unde coryphaeos non alios videre est hoc facere*[5]). — *S. Innocentius I.* in Epist. ad Decentium Eugubinum Episc. c. 3: *De consignandis*, inquit, *infantibus manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere; nam Presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent; haec autem solis Pontificibus deberi, ut vel consignent vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Act. Apost., quae asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Presbyteris, seu extra Episcopum seu praesente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradant Spiritum sanctum*[6]). — *S. Hieronymus* in Dialogo adv. Luciferianos c. 8: *An nescis*, inquit, *ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, et ita invocetur Spiritus sanctus ...*

---

3) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 223. 228. 236.
4) in Ej. Opp. ed. *Touttée*. p. 315—318.
5) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. IX. p. 146.
6) in *Coustant*. Epistt. RR. Pontiff. ed. *Schoenemann*. p. 608. nr. 6.

Et c. 9. causam edixerit, cur in Ecclesia baptizatus non accipiat Spiritum sanctum nisi *per manus Episcopi* [7]). — *S. Augustinus* in Tract. VI. in Epist. I. Joann. c. 4. dicit nr. 10, quod *non minus Spiritum sanctum accipiant ii, quibus nunc manus imponatur episcopi, quam illi, qui olim repleti Spiritu sancto loquebantur linguis diversis* [8])... Idem in Serm. CCXXVII. (al. LXXXIII.) ad Neophytos dicit: *Accessit baptismus et aqua, qua conspersi estis, ut ad formam panis veniretis; sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est chrisma; oleum enim ignis nostri, Spiritus sancti, est sacramentum* [9])... Et in Libro II contra Epist. Petiliani, c. 104: *Sacramentum Chrismatis*, inquit, *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum quidem est, sicut Baptismus... sed potest esse et in bonis et in malis; illis ad praemium, illis ad judicium. Discerne autem visibile sanctum sacramentum ab invisibili unctione caritatis, quae propria bonorum est* [10]). — *S. Gregorius M.* in Epistolarum Libro IV, Epist. IX scripta ad Januarium probe distinguit unctionem, quae fit *in pectore* baptizandi a *Presbytero*, ab illa, qua baptizatus confirmatur *in fronte* ab *Episcopo*. Similiter in Homil. XXVI in Evangg. §. 4. sacramentalis Confirmationis mentionem facit dicens: *Sub jugo tenebamur daemoniacae dominationis, sed uncti sumus oleo Spiritus sancti* [11]). — *S. Beda Venerab.* in Psalm. XXVI exponens: *Qui*, ait, *per baptismum Christiani electi sunt, mollitiem quandam habent; a Chrismatis autem sacramento adversus omnes carnis, mundi, et diaboli impetus robustiores fiunt, et eorum animus in fide confirmatur* [12]). — His addi possunt *S. Isidori Hispal.* Lib. II. c. 26. *de of-*

---

7) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 294.
8) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. III. P. II. col. 868.
9) ibid. T. V. col. 422.
10) ibid. T. IX. col. 293.
11) in Ej. Opp. ed. *Sammarthani.* T. I. col. 689. 1555.
12) in Ej. Opp. ed. *Colon.* T. VIII. col. 434.

ficiis eccl.; Theodulphi Aurelianensis Episcopi *De ordine Baptismi* c. 17; *Amalarii* Chorepisc. Metensis *De eccl. officiis* lib. I. c. 21. 27; *Rabani Mauri* Mogunt. *De institut. Cleric.* Lib. I. c. 3; *S. Ivonis* Episcopi Carnutensis *De vet. et nov. testam.; Hugonis* de S. Victore *De Sacramentis* P. VII. Lib. I. c. 21; *S. Thomae Aqu.* Summa Theologiae P. III. Vol. III. Quaest. LXXII. Artt. 1—12.

c) *De sacramento Poenitentiae.*

§. 148. *S. Clemens Rom.* in Epist. I ad Corinth. c. 51. 52. monet, *ut confiteantur peccata peccatores; talis enim confessio Deo placet* etc. [1] — *Clemens Alex.* in Strom. Lib. IV. c. 24: *Sciendum est*, ait, *qui post lavacrum in peccata incidunt, eos castigari. Quae enim prius facta sunt, dimissa sunt; quae autem postea committuntur, expurgantur.* Item Lib. VI. c. 14, ubi de *purgatorio* sermo est [2]. — *Origenes* Homil. VI. in Exod. §. 9. sub fin. docet, *poenitendo, flendo, satisfaciendo* deleri, quod admissum est; Homil. III. in Levit. §. 4, *Peccata etiam secreta confitenda;* Homil. XII. §. 3. jam magna et *mortalia* distinguit et *minora* peccata ... Et Homil. II. in Levit. §. 4., et Homil. X. in Numer. §. 1. ad fin. *Gravia* peccata dicit nonnisi *per poenitentiam plenissimae satisfactionis et sub speciali confessione coram sacerdote in Ecclesia remitti, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum, et fiunt ei lacrimae suae panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam* [3]. Habes hic quatuor stationes poenitentiae, *Contritionem, Satisfactionem, Confessionem* et *Absolutionem.* — *Tertullianus* peculiarem scripsit *De Poenitentia* tractatum [4]), qui totus catholicus

1) in *Hefele* Opp. PP. Apost. p. 62. 63.
2) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* p. 634. 794.
3) in Ej. Opp. ed. *De la Rue.* T. II. p. 150. 196. 251. 191. 302.
4) in Ej. Opp. *Giraldi.* (Venet. 1744.) p. 120—129.

est adversus Montanistas pugnans; in specie vero de *confessione* peccatorum s. *exomologesi* agit c. 9. 10., dicens, eam esse actum, *quo delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus contritione satisfactio disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur.* — *S. Cyprianus* in Epist. XI multa recenset peccata, quae peccatorem *sejungunt a Christo et communione Sanctorum ita, ut facta prius exomologesi ab Episcopo et Clero imponatur manus, et sera suscepta poenitentia, iterata manuum impositione cum Ecclesia reconcilietur necesse sit* [5]); cf. *De oratione Dominica* [6]) c. 18. 22.; et Lib. *De Lapsis* [7]), inprimis c. 28. 32. 35., ubi multa reperies de potestate ligandi solvendique, de sacramento poenitentiae et de indulgentia. — *S. Basilius M.* in Regulis ascett. brevius tractatis ad interrog. X, veram peccatoris poenitentiam describens: *Primum quidem*, ait, *odisse debet reprobam vitam suam anteactam, et ipsam ejus memoriam execrari detestarique; deinde timoris magistrum assumere, aeterni judicii ac supplicii comminationem; ac credere certissime, peccata purgari per sanguinem Christi et in magnitudine misericordiae Dei* . . . Et ad interrog. CCXXVIII de Confessione ait, *iis* esse confitenda peccata, *quibus mysteriorum Dei concredita est dispensatio* [8]). — *S. Cyrillus Hieros.* in Catech. I ad Illum. §§. 5. 6: *Confitere*, ait, *quae perpetrasti sive verbo sive opere, sive noctu sive die. Confitere in tempore acceptabili, et in die salutis suscipe coelestem thesaurum* . . . *Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantiorem* [9]). — *S. Ambrosius* exaravit *Libros II de Poenitentia*, in quibus de necessitate confessionis et poenitentiae ac de Ecclesiae potestate quaecunque solvendi exponens praesertim Nova-

5) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 38.
6) ibid. p. 366—388.
7) ibid. p. 322—346.
8) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier*. T. II. p. 417. 516.
9) in Ej. Opp. ed. *Toutée*. p. 18. 19.

tianorum errores refellit [10]). — *S. Joannes Chysost.* in IX Homiliarum, quam scripsit in Epist. ad Hebr. c. VI. nr. 4: *Vide,* inquit, *Dei benignitatem et clementiam... dedit nobis medicamentum Poenitentiae, quod sufficit ad delenda et abstergenda omnia peccata nostra... Cujusmodi autem est medicamentum poenitentiae, et quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione et confessione,... secundo ex multa humilitate... Opus est etiam intensis precibus, multis lacrimis die noctuque.. et post orationem multa opus est eleemosyna* [11]). — *S. Hieronymus* in Epist. XLI De erroribus Origenis ad Pammachium et Oceanum: *Secunda,* inquit, *post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri* [12])... Et in Commentar. in Evang. Matth. c. 16: Ne Episcopi et Presbyteri *damnare innocentes* vel *solvere* se *noxios* arbitrentur, quum *apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur... Alligat vel solvit Episcopus et Presbyter non eos, qui insontes sunt vel noxii; sed pro officio suo, quum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, qui solvendus* [13]). — *S. Augustinus* in Epist. CXL s. Libro ad Honoratum *De gratia N. T.,* in quo praeter alias ad unam quae huc spectat quaestionem respondetur; idem in Ep. CLXXXV ad Bonifacium s. Libro de correctione Donatistarum c. 11. §. 48. in specie *de irremissibilitate peccatorum in Spiritum sanctum* exponit; et in Ep. CCLXV ad Seleucianam nr. 8. Poenitentiam peccatorum *venalium* dicit consistere in *jejuniis, eleemosynis* et *orationibus* [14]). — *S. Cyrillus Alex.* in Commentar. in Evang. Joann. Lib. VII. c. 23. peccatorem cum *Lazaro* mortuo et resuscitato comparans: *Ad magnam,* ait, *vocem Domini resurgit mortuus, quando magna*

---

10) in Ej. Opp. ed. *Monte Alto.* T. IV. col. 383.
11) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon.* T. XII. p. 98.
12) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 345.
13) ibid. T. IV. P. I. col. 75.
14) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. II. col. 422. 662. 898.

Dei gratia resipiscit peccator; prodit de monumento, quando confitetur peccata sua; sed tamen adhuc ligatus est, adhuc reus suis viribus absolvi nequit. Praecipit ergo Dominus discipulis, ut eum solvant et abire sinant, quia ipsis et reliquis ministris Ecclesiae successoribus data est potestas dimittendi peccata [15]). — *S. Fulgentius Rusp.* duos elucubravit libellos *De remissione peccatorum* ad Euthymium [16]). — *S. Gregor. M.* in Libro II Homiliarum in Evangelia, Hom. XXVI. §§. 5. 6: *Ligandi,* ait, *atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius est honoris. Causae ergo pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda est* [17]). — His addi potest *B. Alcuini* Epistola ad Pueros monasterii S. Martini *De confessione peccatorum* [18]). — Multa praeterea, quae huc concernunt, passim occurrunt in *Isidori* Hispalensis, *Alcuini* supra dicti, *Amalarii* Metensis, *Ivonis* Carnutensis, *Hugonis* Victorini, *Brunonis* Signini, aliorumque scriptis *De Sacramentis* et *eccles. Officiis* infra (§. 201.) recensitis item in *S. Bonaventurae* opusculo *De modo confitendi;* et *S. Thomae Aquin.* in Summa theol. P. III. Vol. III. Quaestio LXXXIV *De sacramento Poenitentiae* in decem Articulos divisa.

b) *De sacrosancta Eucharistia et Missae sacrificio.*

§. **149.** *S. Ignatius* in Epist. ad Ephes. c. 20; ad Philadelph. c. 4; ad Smyrn. c. 7. confitetur *Eucharistiam* esse *veram Jesu Christi carnem, quae pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua resuscitavit* . . . Dicit eam *Pharmacum immortalitatis, Antidotum ne moriamur* [1]). — *S. Justinus* multis locis de

15) in Ej. Opp. ed. Gent. *Herveti.* T. I. p. 591.
16) in Ej. Opp. ed. *Venet.* 1696. 4.
17) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. I. col. 1555.
18) in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnagii.* T. II. P. I. p. 454.
1) in *Hefelei* ss. PP. apostoll. Opp. p. 85. 103. 110.

hoc sacrosancto mysterio disserit in utraque Apologia, praesertim in *Apologia I* c. 66. dicens: *Quemadmodum per Dei Verbum caro factus Jesus Christus Salvator noster carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, ita etiam illa, et qua per precem verba ipsius continentem* „*Hoc est corpus meum . . . Hic est sanguis meus*“ *gratiae actae sunt, alimonia, ex qua sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et caro et sanguis est* [2]) . . . Idem in Dialog. c. Tryphone c. 41. 70. 117. jam *Prophetas* in figuris praedixisse testatur de pane et calice Eucharistiae, *quem Dominus noster J. Chr. in recordationem passionis . . susceptae fieri praecipit . . . Haec sacrificia Christiani in omni terrarum loco offerunt . . perfecta et Deo accepta sacrificia . . in recordatione alimoniae suae. siccae et liquidae, in qua etiam passionis, quam Filius Dei propter nos pertulit, recordantur* [3]). — *S. Irenaeus* adv. Haeres. item luculenter nec semel de hoc sacramento docet, praesertim Lib. IV. c. 17. §. 5; c. 18. §. 1. 4. 5. dicens, hoc esse *verum et unicum et purum, ab ipso Domino institutum et ab Apostolis traditum Novi Foederis sacrificium . . caro, quae post invocationem jam non communis panis est, sed verum Christi corpus et sanguis, quod sacrificium indesinenter offeramus necesse est, nobis profuturum, non Deo . .* Et in Lib. V. c. 2. §. 2. 3. monet, eum, *qui vescitur Eucharistia, nutriri ad vitam aeternam* [4]). — *Clemens Alexandr.* in Paedagog. Lib. I. c. 6: *Ecclesia*, ait, *infantulos suos accersens sancto lacte, nempe Verbo infantili, enutrit . . . Comedite, inquit Dominus, meam carnem et bibite meum sanguinem. Haec convenientia alimenta nobis suppeditat, et carnem praebet et effundit sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium! Veterem et carnalem nos jubet exuere corruptionem, quemadmodum*

2) in Ej. Opp. ed. *Maran.* p. 85. 86.
3) ibid. p. 144. 177. 221.
4) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 249—252. 293. sq.

et vetus nutrimentum; alterius autem novae Christi diaetae effectos participes, illum recipientes in nobis ipsis jubet reponere et Servatorem intra pectus condere, ut carnis nostrae affectus componamus[5]). — *S. Hippolytus* in Fragm., quod superest, in Prov. IX 1. sq., ubi per verba „Sapientia paravit mensam suam" ss. Trinitatem dicit significari et *venerabile et immaculatum corpus et sanguinem, quae in mystica et divina mensa quotidie perficiuntur et offeruntur in memoriam illius semper memorabilis primae mensae, mysteriosae nempe divinae coenae . . . Divinam suam*, inquit, *carnem et sacrosanctum suum sanguinem dedit nobis manducare et bibere in remissionem peccatorum*[6]). — *Tertullianus* similiter in libris contra Marcionem, Lib. III. c. 19., Lib. IV. c. 40., Corporis et Sanguinis Domini veritatem adversus *Marcionis* phantasma strenue defendens: *Caro*, inquit, *corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur;* quibus verbis aperte realem et substantialem Christi in Eucharistia praesentiam indicat[7]). — *S. Cyrillus* item de S. Eucharistia multoties docet, eam esse *verum corpus et sanguinem Domini Jesu Christi*, e. gr. in Epist. LIV. LXII, praesertim in Ep. LXIII ad Caecilium, ubi *de sacrificio Missae* fuse et praeclare exponit; nec non in Tract. de Oratione Dominica c. 18., alibi[8]). — *S. Ambrosius* in Libro de Mysteriis c. 8. et 9. (cf. §. 146.). — *S. Hilarius Pict.* in Libro VIII De Trinitate c. 14: *De veritate*, inquit, *carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit*[9]). — *S. Cyrillus Hierosolym.* in Catech. XXII et XXIII, quae sunt IV et V

5) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* p. 123.
6) in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. II. p. 488.
7) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* (Venet. 1744.) p. 406. 457. sq.
8) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 137. sq., 185. sq., 376. sq.
9) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 232.

mystagogicae, uberius hoc sacrosanctum dogma pertractat [10]. Et in Cat. IV quidem Christi corpus et sanguinem in S. Coena *vere realiter ac substantialiter* adesse ita probat, ut nihil fere ad adstruendam catholicam de Christi in Eucharistia praesentia et transsubstantiatione fidem tota antiquitate luculentius ac disertius inveniri possit. In Cat. V autem singulas *Sacrificii incruenti partes* brevibus ac dilucidis expositionibus illustrat, et communicandi ritus ac modum describit. — *S. Joann. Chrysostomus* in Libro III de Sacerdotio c. 4. quoad Sacrificium Missae dicit: *Cum videris Dominum immolatum et jacentem, et Sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes; an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse? an non potius in coelis translatus? O miraculum, o Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, ac se volentibus dat complectendum et accipiendum. Illud autem omnes faciunt oculis fidei* [11]) . . . — *S. Hieronymus* De Eucharistia et Missae sacrificio in Epist. ad Damasum CXLVI (nunc in edit. Maurin. inter Criticas Tomi IV tertia): *Vitulus saginatus*, ait, *qui ad poenitentiae salutem immolatur, ipse Salvator est, cujus quotidie carne pascimur et cruore potamur . . . Hoc convivium quotidie celebratur; quotidie Pater Filium recipit; semper Christus credentibus immolatur* . . . Et in Epist. CXX ad Hedibiam, quaest. 2: *Nec Moses*, ait, *dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, et sine eo potare non possumus, et quotidie in sacrificiis ejus de gemine vitis verae rubentia musta calcamus, et novum ex his bibimus vinum de regno Patris, nequaquam in vetustate literae sed in novitate Spiritus* [12]) . . . — *S. Augustinus* in Epist. LIV ad Januarium sive *Ad inquisitiones Januarii*

---

10) in Ej. Opp. ed. *Touttée*. p. 319—323. 325—333.
11) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. I. p. 382.
12) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. I. col. 155. 172.

Libb. II[13]), quibus ad diversas quaestiones circa res ecclesiasticas ritusque sacros respondetur; huc autem inprimis spectat Lib. I. c. 1—7; Ejusdem *Tractatus in Joannem*, ubi nimirum nr. 11—20. Christi verba ap. Joann. VI. 48—60: *Ego sum panis vitae . . panis qui de coelo descendit . . . Nisi manducaveritis carnem Filii hominis . . . Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* . . . exponuntur [14]). Idem in Enarratione in Psalm. XXXIII. nr. 6: *Ecce*, ait, *cibus hic sempiternus . . . Verbum illud, quo pascuntur Angeli, sempiternum, quod est aequale Patri, manducavit homo . . . Saginantur eo Angeli, sed semet ipsum exinanivit, ut manducaret panem Angelorum homo; obediens factus est usque ad mortem, ut jam de cruce commendaretur nobis caro et sanguis Domini, novum Sacrificium* [15]). — *S. Gregorius M.* in Dial. de vita et miraculis Patrum Italicorum et de aeternitate animi Lib. IV. c. 58: *Debemus*, inquit, *quotidianas carnis et sanguinis hostias immolare. Hinc pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur* etc. [16]) — Accedunt, qui seculo IX et XI peculiares *De Corpore et Sanguine Domini* libros evulgarunt, *Paschasius Radbertus* Corbejensis, *Amalarius* Metensis, *Drepanius*, *Florus* Lugdunensis, *Haymo* Halberstadiensis, *Ratherius* Veronensis, *Gerbertus*, *Lanfrancus* Cantuariensis, *Hugo* Lingonensis, *Durandus* Troarnensis, *Guitmundus* Aversanus, *Adelmannus*, *Theoduinus*, *Algerus* Leodienses, alii (vd. infra §§. 182. 183.); denique *Innocentii III* R. P. *De s. Altaris mysterio* Libri VI [17]); *Alberti Magni De mysterio Missae* [18]); *S. Bonaven-*

13) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. II. col. 123. sq.
14) ibid. T. III. col. 497. sq.
15) ibid. T. IV. col. 211.
16) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. II. col. 473.
17) ed. (Jo. *Cochlaeus.*) Antwerp. 1540. 8.
18) in Ej. Opp. ed. *Jammy.* T. XII.

turae Expositio Missae [19]); *S. Thomae Aquin.* Tract. *de Sacramento Eucharistiae* per Quaestiones undecim (Qu. LXXIII—LXXXIV) absolutus, in quibus de ss. Eucharistia secundum se, de ejus materia secundum speciem, de conversione panis et vini, de modo praesentiae J. Christi, de accidentibus remanentibus, de forma et effectibus hujus sacramenti, de sumtione, de ministris s. dispensatoribus et de ritu Eucharistiae uberrime exponit [20]). —

e) *De extrema unctione.*

§. **150.** Prolixius de hoc sacramento jam *S. Jacobus* Apostolus c. V, 14. scripserat, dum monet: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus, et si in peccatis sit remittentur ei.* Omnia enim, quae requiruntur in sacramento proprie sic dicto, istis verbis aperte continentur; nimirum *signum* sensibile, promissio *gratiae* huic signo annexae, *institutio divina*, *ritus* observandi. Unde factum est, ut ss. Patrum parcior ea de re sermo redierit et minus ampla, quam de ceteris Sacramentis, explicatio. *Origenes* in Homil. II in Levit. §. 4. *extremam unctionem* cum sacramento *Poenitentiae* conjungit, quia illa quasi hujus *complementum* ab antiquis Patribus existimata est. Dicit enim l. l.: *Est adhuc septima, licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum . . . In quo impletur et illud, quod Apostolus dicit:* Si quis infirmatur in vobis etc. [1]) — Similiter utrumque jungens sacramentum *S. Joannes Chrysost.* in Libro III c. 6. de Sacerdotio scribit: *Non solum, cum nos regenerant* (Sacerdotes), *sed postea quoque condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis,*

19) in Ej. Opp. ed. Frr. Minor. (*Venet.* 1751.) T. VI.
20) in Ej. *Summa theolog.* (Lugd. 1702. 12.) T. XVI. p. 386—777.
1) in Ej. Opp. ed. *De la Rue.* T. II. p. 191.

accersat presbyteros etc. [2]). — *S. Innocentius I. Papa* in Epistola ad Decentium episcopum Eugubinum c. 11. monet, illa Apostoli verba *de fidelibus aegrotantibus intelligi* debere, *qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod, confectum ab Episcopo, non solum sacerdotibus sed et omnibus uti* (seu conferri) *christianis licet in sua et suorum necessitate ungendum . . . Sed poenitentibus* (nisi in articulo mortis) *istud infundi non potest, quia genus est saramentorum. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* [3]) — *S. Augustinus* in Speculo (De Epist. Jacobi) inter alia plura in N. T. retinenda et observanda recenset praeceptum S. Jacobi: *Infirmetur quis in vobis, inducat Presbyteros* etc. [4]) — *S. Cyrillus Alex.* in Libro VI De adoratione in Spiritu et veritate dicit, *in morbis tum sacris precibus tum extrema unctione utendum* [5]). — *S. Gregorius M.* in Libro Sacramentorum *ritum* describit, quo oleum infirmorum *consecratur* feria V in Coena Domini, et *preces* suppeditat *ad infirmum ungendum* [6]). — *S. Ivo* Carnutensis in Decret. Lib. XV. c. 26. ex libro poenitentiali *S. Theodori Cantuariensis* praeceptum refert, *ut sacra unctione olei inuncti secundum statuta ss. Patrum communione viatici reficiantnr.* — *S. Bernardus* in tractatu de vita et rebus gestis *S. Malachiae* Hiberniae episcopi c. 31. refert: *Is, in extremis positus, jubet se sacro oleo ungi, . . . ungitur, et sumto viatico Fratrum se orationibus et Fratres Deo commendans ad lectum revertitur* etc. [7]) — Item *Innocentius III. Papa* in Epist. ad *Trinovitanum* Bulgarorum Primatem hujus sacramenti mentionem facit, dicens: *Scire te volumus, duas esse species unctionis . . .*

2) in Ej. Opp. ed. *Montfauc.* T. I. p. 384.
3) in *Coustant.* Epist. RR. Pontiff. ed. *Schoenemann.* p. 612. sq.
4) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. III. col. 813.
5) in Ej. Opp. ed. Gent. *Hervet.* T. II. p. 410.
6) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. III. P. I. col. 66 sq. 235.
7) in Ej. Opp. ed. *Mabillon.* Vol. I. (T. II.) col. 695.

De prima Jacobus Apostolus ait: cett. [8]) — ***Hugo a S. Victore*** docet, extremam unctionem *ab Apostolis* (sc. non immediate a Christo sed ab ipso traditam per Apostolos) fuisse institutam. Quam sententiam etiam ***Lombardus*** in Libro IV Sententt. Distinct. XXIII c. 2. *De sacram. Unctionis extremae* [9]); — et *S.* ***Bonaventura*** in Comment. suo in Libros IV Sententt. ad eundem locum tueri videntur. — Contra *S.* ***Thomas Aquinas*** in Summa theolog. P. III. Supplem. Vol. I. Quaest. XXIX. Artic. III. esse illam vere ac proprie et ab ipso Christo Domino (secundum Evang. *Marci IV,* 13.) Apostolis insinuatum, per Jacobum autem fidelibus promulgatum, strenue probat cum ex dictis *Evangelistae,* tum ex eo, quod sacramenta ad fundamentum legis pertinent ideoque eorum etiam instiutio ad *ipsum legislatorem* spectant; denique quia sacramenta ex institutione *efficaciam* habent, quae in eis nonnisi *divinitus* inest. Simul objectionem solvit, cur nullibi in ss. literis hoc sacramentum ab ipso Domino institutum expresse dicatur; scilicet *quod Evangelistae illa praecipue curaverunt tradere, quae ad necessitatem salutis pertinent,* ideoque potius institutionem Baptismi, Poenitentiae, Eucharistiae et Ordinis factam a Christo narraverunt, quam Extremae unctionis vel Confirmationis, ut quae neque sunt de necessitate salutis, neque ad distinctionem Ecclesiae pertinent. Iis porro, qui dicant, quod sacramenta a se instituta Christus ipse quoque per se exhibuerit, quemadmodum de Baptismo et Eucharistia docemur; causam opponit, scilicet *Christo non convenisse accipere poenitentiam et extremam unctionem, qui sine peccato erat* [10]). — Atque haec de institutione hujus sacramenti sententia vera est, quam dudum ss. Patres, qui locum illud *Marci* VI, 13. exposuerunt, propugnarunt, et

8) c. 1. de s. unct. (I. 15.) in Corp. jur. can. ex rec. Aem. Lud. *Richter.* (Lips. 1839.) P. II. col. 127.

9) ed. *Paris.* (1548. 8.) fol. 145. pag. 2.

10) in Ej. Summa theol. (ed. *Lugd.* 1702.) T. XVII. p. 336. sq.

novissime sacrosancta synodus *Tridentina* (Sess. XIV. c. 1. de extr. unct.) denuo inculcavit.

f) *De s. Ordine.*

§. 151. *S. Clemens Rom.* in Epist. I ad Corinth. c. 42. 44. *Divinitus institutam* esse *Hierarchiam* in Ecclesia aperte probat; et ibid. c. 40. collat. c. 21. hanc Hierarchiam divino-apostolicam constare docet *Episcopis, Presbyteris et Diaconis* [1]). — Idem diserte docet *S. Ignatius* in Epist. ad Philad. c. 7. dicens: Clamavi et locutus sum magna voce, voce Dei: *Attendite Episcopo et Presbyterio et Diaconis* . . . Et in Ep. ad Smyrn. c. 8: Hoc igitur sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere *Episcopo praesidente Dei loco, et Presbyteris loco senatus apostolici, et Diaconis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi* [2]). — *Clemens Alexandrinus* in Strom. Libro VI §. 13. item tres in Ecclesia esse sacros, *Episcoporum, Presbyterorum* atque *Diaconorum* ordines, *non solum a se sed a cetero etiam Christianorum grege distinctos* sc. propria ordinatione sacratos aperte declarat [3]). — *Tertullianus* in Libro de Baptismo c. 17. tres sacrae Hierarchiae gradus distinguens, *Episcopos, Presbyteros et Diaconos*, Episcopos autem reliquis auctoritate *suporiores* esse testatur [4]). — *S. Cyprianus* in Epist. XLV ad Cornelium: *Ipse* (Dominus), ait, *Sacerdotes eligere sibi in Ecclesia et constituere dignatur, gubernantes inspirans et subministrans.* Et in Ep. LXIX ad Florentium Pupianum: *Deus est*, inquit, *qui Sacerdotes ordinat*; *Christus, qui arbitrio et nutu et praesentia sua praepositos ipsos et Ecclesiam cum praepositis gubernat*... Rursus in Ep. LXXVI ad Magnum scribens: *Habere autem et tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordina-*

1) in *Hefele.* Opp. SS. PP. apost. p. 44. 56. 58.
2) ibid. p. 105. 110.
3) in Ej. Opp. ed. *Potteri.* T. II. p. 793.
4) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* (Venet. 1744.) p. 280. sq.

tus in Ecclesia non est [5])... Denique in Actis Conc. Carth., Cypriano praeside habiti legimus: *Manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi, qui misit Apostolos, et ipsis solis potestatem a Patre sibi datam permisit, quibus nos successimus eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes* [6]). — *S. Gregorius Nyss.* in Orat. in Baptism. Christi dicit: *Eadem Verbi vis etiam Sacerdotem augustum et venerabilem facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Quum enim heri et prius unus e multitudine ac plebe esset, protinus* (suscepto ordine) *redditur praeceptor, praeses, doctor pietatis, mysteriorum praesul; eaque ei contingunt, cum, licet quoad speciem ille sit qui erat, invisibili tamen vi et gratia invisibilem animam in melius transformatam gerat* [7]). — *S. Chrysostomus* in *Libris VI de Sacerdotio*, ubi de dignitate et officio sacerdotis tam ergregie loquitur S. Doctor, ut hic liber omnibus semper admirationi esset. Praesertim in libro III. c. 4. sqq. dicit, *tremendum quid esse sacerdotium, magnam ejus potestatem et dignitatem et ministeria ejus e numero maximorum Dei donorum; ipsum Paulum formidasse ad adspectum tanti principatus* [8]). — *S. Hieronymus* in Dialogo adv. Luciferianos, continuo fere *s. Ordinis* sacramentum cum *Baptismo* conferens, ostendit, *non magis esse reordinandos, qui ab Haereticis sunt ordinati, quam rebaptizandos, qui ab iisdem baptizati sunt.* Idem ibidem: *Multis*, inquit, *Ecclesia gradibus consistit ad extremum Diaconis, Presbyteris et Episcopis finitur* [9]). — *S. Augustinus* in Libro II contra Parmenianum eadem fere habet dicens: *Sacramentum est et quadam consecratione homini datur, cum ordinatur, ideoque in catholica ecclesia non licet iterari* ... Et in Libro I de Baptismo

---

5) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 105. 221. 273.
6) ibid. T. II. p. 120.
7) in Ej. Opp. ed. *Morelli*. T. III. p. 370.
8) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. I. p. 382. sq.
9) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. II. col. 303.

contra Donatistas: *Sacramentum baptismi est, quod habet qui baptizatur; et sacramentum dandi baptismum est, quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab unitate recessit, sacramentum baptismi non amittit; sic etiam ordinatus .. sacramentum dandi baptismi non amittit* [10]). — *S. Leo M.* Epist. LXXXI ad Dioscor. Alexandr. Episc. de *tempore* statuit, quo *ordinari* debeant sacerdotes et diaconi [11]). — *S. Gregorius M.* in Libro I Regum c. 5. §. 1: *Hoc,* ait, *ex usu s. Ecclesiae novimus, quia electus minister prius benedictionem consecrationis accipit, quam ministerium impendat oblationis ... Sanctificari Dei ministri debent,* etc. [12]) — Mitto alios, qui s. ordinationem nomine sacramenti designant, cum satis cuique nota res sit, non solum ecclesiam latinam sed et orientalem reponere ordinationem inter novae legis sacramenta.

g) *De sacramento Matrimonii.*

§. 152. Jam *S. Hermas* in Pastor. libro II Mand. IV c. 1. fusius de matrimonii vinculo *nullo pacto dissolubili* verba fecit [1]). — *S. Ignatius* in Epist. ad Polycarp. c. 5. monet, ut sponsus et sponsa nonnisi *ex sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum, non secundum cupiditatem* [2]). — *S. Justinus* in Apolog. I c. 29. testatur, esse Christianorum *vel omnino matrimonium non inire nisi ad liberorum educationem; vel si a nuptiis refugiant, perpetuo se continere* [3]). — *Clemens Alexandr.* in Strom. libro III c. 3. 12. virginitatem quidem matrimonio potiorem praedicat, tamen et *matrimonium,* utpote *divinitus institutum, magnum quoddam* esse *et sacrosanctum; ...* et libro II

10) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IX. col. 44. 79. sq.

11) in Ej. Opp. (unac. SS. Maximi Taurin. et Chrysologi Opp.) ed. *Paris.* 1614. f. p. 435.

12) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. III. P. II. col. 161.

1) in *Hefele* Opp. PP. apostol. p. 159. sq.

2) ibid. p. 114. sq.

3) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* p. 62.

c. 23., libro III c. 7. ejus vinculum adeo esse *indissolubile* declarat, ut ne per *adulterium* quidem relaxari possit. Addit in libro III c. 12., *secundas nuptias* Ecclesiae semper quidem displicuisse, quin tamen ceu flagitosas easdem damnaverit; *Si cui Apostolus*, inquit, *propter intemperantiam et ustionem ex venia secundum concedit matrimonium, non peccat ex testamento, non est enim lege drohibitus; non implet autem summam illam perfectionem, quae agitur ex Evangelio* [4]). — *Origenes* in tract. VII in Matth. dicit quidem Christum permisisse *dissolvi* matrimonium in causa *fornicationis;* sed aperte illic loquitur de *separatione tantum quoad thorum et mensam*, ut patet ex quaestione ibidem voluta [5]). — *Tertullianus* in Lib. de Monogam. c. 5. 9. 11: *Matrimonium est*, ait, *cum Deus jungit duos in unam carnem . . . In Christo omnia revocantur ad initium . . matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit, et repudii prohibitio, quae ab initio non fuit . . .* Matrimonium vetus *Adamiticum* fuit *typica* conjunctio, quae indealiter et spiritualiter completa est in Matrimonio *Christi* cum *Ecclesia*, unde omnes spiritualiter renati sumus; quare *duplicata et exaggerata nobis unius matrimonii lex est tam secundum generis fundamentum, quam secundum Christi firmamentum. De uno matrimonio censemur utrobique, et carnaliter in Adam, et spiritualiter in Christo; duarum nativitatum unum est monogamiae praescriptum . . .* In Libro II ad Uxorem c. 9. Matrimonium hoc dicit esse *sacramentum magnum, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, et Pater ratum habet . . .* Et in tract. de Pudicitia, c. 4: *Penes nos*, inquit, *occultae quoque conjunctiones* i. e. *non prius apud Ecclesiam professae, juxta moechiam et fornicationem judicari periclitantur* [6]). — *Lactantius* in Institt. divin. Lib. VI c. 23. fidem docet matrimonia-

---

4) in Ej. Opp. ed. *Potteri*. p. 506. 515. 532. sq. 546—551.
5) in Ej. Opp. ed. *De la Rue*. T. III.
6) in Ej. Opp. ed. *Giraldi*. p. 527. 530. sq. 171. sq. 557.

lem ab *utroque conjuge* servandam esse alteri. *Divina enim*, ait, *lex ita duos in matrimonium q. e. in corpus unum pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa distraxerit* [7]). Nec obstat, si idem alibi (Epitome c. 6.) dicit: *Nunquam conjugalis foederis vinculum resolvatur, nisi quod perfidia ruperit.* Nam collatis hisce verbis cum prioribus dubium non est, quin hic de perpetua separatione tantum *quoad thorum et cohabitationem* locutus sit. — *S. Siricius* Papa in Epistola ad Himerium episc. Tarraconensem c. 4. scribit: *Illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur* [8]). — *S. Ambrosius* in Libro VIII in Evang. Luc. c. XVI de indissolubilitate matrimonii: *Audi legem Domini*, inquit, „Quae Deus conjunxit, homo non separet". *Sed non solum hic coeleste praeceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur* [9]) . . . Et. in libro I de Abraham c. 7: *Qui sic egerit*, ait, (sc. alteri nuptam duxerit) *peccat in Deum, cujus legem violat; gratiamque solvit; et ideo, quia in Deum peccat, sacramenti coelestis amittit consortium* [10]). — *S. Chrysostomus* in Homil. in Genesin, nr. 1. in fin. monet: *Annon audis Paulum dicentem, quod sacramentum sunt nuptiae et imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit* [11]) . . . Idem in Homil. XVII in Matth. nr. 4. observat: *Ille* (qui propter adulterium dimiserit uxorem), *etiamsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod adulteram fecit ex conjuge* (sc. si illa alteri nupserit), *hic vero excipiendo alienam adulter effectus est*; *nequaquam enim mihi referas, quia illam alter ejecit*; *nam expulsa quoque uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat* . . item in Homil.

7) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 430.
8) in *Coust*. Epistt. RR. Pontiff. ed. *Schoenemann*. p. 410.
9) in Ej. Opp. ed. a *Monte-Alto*. Vol. I. T. III. col. 172.
10) ibid. Vol. I. T. I. col. 229.
11) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. IV. p. 540.

LXIII in Matth., ubi Christi verba expendit „Quod Deus conjunxit, homo non separet“: *Nunc*, ait, *et creationis et sanctionis modo unam uni perpetuo conjugit, et nunquam rescindi oportere docuit . . . Neque virum ad uxorem suam accedere debere simpliciter, sanxit; sed etiam agglutinari, ea loquendi ratione indissolubilitatem ostendens* [12] . . . Et in Hom. XII in c. VII Epist. ad Rom. S. Doctor declarat: *Nec mihi recites leges externas atque profanas, quae libellum repudii dare ac divortium facere praecipiunt; non enim profecto secundum has leges judicaturus est Deus, sed juxta eas, quas ipse posuit.* Similia habent (unde loca obiter notare sufficiet) *SS. Gregorius Naz.* in Epist. 176., al. 24; *Gregorius M.* in Epp. lib. IX Epist. 39; *Nicolaus I.* Papa in Ep. 32. — *S. Hieronymus* in Epist. CXLVII ad Amandum (nunc in ed. Maurin. inter Criticas Ep. IV): *Omnes*, ait, *causationes Apostolus amputans apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias atque contemtum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licet adulter sit . . et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus ejus reputatur . . . Et qui dimissam acceperit, adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit; adulter est, qui eam acceperit* [13]. — *S. Augustinus* in Lib. de Fide et Operibus c. 7. (n. 10.) scribit: *In civitate Dei h. e. in Ecclesia nuptiarum non solum vinculum sed etiam sacramentum commendatur . . .* Idem De bono conjugali c. 24. (n. 32.): *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti . . .* Et in libro II de adulterinis conjugg. c. 4. (n. 4.) verba S. Pauli Epist. I Corinth. VII, 39. explanans: *Haec verba Apo-*

---

12) ibid. T. VII. p. 227. 620.
13) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. I. col. 162.

stoli, ait, *toties repetita*, *toties inculcata vera sunt*, *viva sunt*, *plana sunt*. *Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit*, *nisi prioris esse desiverit*; *esse autem desinet uxor prioris*, *si moriatur vir ejus*, *non si fornicetur* . . . Et nonnullis deinde interjectis: *Pari ergo forma et vir alligatus est*, *quamdiu mulier ejus in corpore est*. *Unde si vult dimittere adulteram*, *non ducat alteram*, *ne*, *quod in illa culpat*, *ipse committat* [14]). — *S. Cyrillus Alex.* in Commentar. in Evang. Joann. Lib. II. c. 22. causam ingerit, ex qua *Christus* nuptiis in *Cana Gallilaeae* interfuerit, dicens: *Invitatus adest*, *miraculi potius quod acturus erat*, *quam convivii gratia*, *et ad haec*, *ut nativitatis nostrae principium*, *quantum ad carnem attinet*, *sanctificaret*. *Oportebat certe*, *quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat*, *non solum natis jam hominibus benedicere*, *verum etiam nascituris gratiam praeparare* . . . *Praeterea in doloribus parere filios ad mulierem propter peccatum dictum fuit*. *Quomodo igitur aliter haec depellenda maledictio erat*, *ne condemnata nuptiarum sanctimonia videretur*, *quam Salvatoris praesentia* [15]). — Sed reliquorum Patrum ex ordine referre sententias post tot tantaque venerandae antiquitatis testimonia superfluum arbitramur.

kk. De resurrectione, judicio et vita aeterna.

§. **153.** *S. Barnabas* in Epist. c. 20. dicit: *Quicunque male fecerint*, *hi ambulant in via tenebrarum*, *quae est plena maledictionis*, *via mortis aeternae cum supplicio* . . . Et c. 21. subjungit: *Aequum igitur est*, *ut edocti justificationes Domini in eis ambulemus*. *Qui enim eas facit*, *in regno Dei gloria cumulabitur*; *qui vero alia elegerit*, *simul cum suis operibus peribit*. *Propterea resurrectio*, *propterea retributio* [1]). — *S. Clemens Rom.* in Ep. I ad Corinth. c. 24—27. ut *in Deo confidamus* monet, et *spem*

14) in Ej. Opp. ed. Maur. T. VI. col. 170. 337. 406.
15) in Ej. Opp. ed. *Gentian. Hervet*. T. I. p. 444.
1) in *Hefele* Opp. SS. PP. apostoll. p. 27.

futurae resurrectionis teneamus, cujus argumenta primum ab ipsius *Christi resurrectione*, tum a continua *diei cum nocte vicissitudine*, a *grano frumenti* mortuo et rursus germinante, a *Phoenice* avi fabulosa, e *ss. Scripturae* locis petit. Idem in Ep. II ad eosd. c. 9. dicit: *Nemo vestrum dicat, quod haec caro non judicatur, neque resurgit . . . Quemadmodum enim in carne vocati estis, ita in carne venietis. Jesus Christus Dominus, qui nos servavit cum primum esset Spiritus* (Deus), *caro factus est, et sic nos vocavit; ita et nos in hac carne mercedem accipiemus*[2]). — *S. Athenagoras* peculiarem librum scripsit *De resurrectione Mortuorum*, in quo refutatis primum adversariorum objectionibus hoc dogma diserte propugnat ex *causa*, secundum quam et propter quam homo *creatus* sit, ex illius *natura*, ex *Dei judicio*[3]). — *S. Theophilus* c. 13. libri I ad Autolycum resurrectionem mortuorum *exemplis*, quae nec homines pagani negare audebant, comprobare nititur[4]). — *S. Irenaeus* in libro III adv. Haeres. c. 16. §§. 6. 8: *Christus*, ait, *venturus est in gloria Patris ad resuscitandam omnem carnem et ad ostensionem salutis, et regulam justi judicii ostendere omnibus; et in eadem carne, in qua passus est, veniet gloriam revelans Patris*[5]). — *S. Hippolytus* in Libro adv. Graecos dicit: *Nos credimus, corpus esse resurrecturum . . . Nam etiamsi ad tempus solvatur corpus, propter primam ab initio transgressionem perpetratam, tanquam in conflatorio terrae mandatur rursus aliquando reformandum; nec tale, quale nunc, resurrecturum, sed purum et non amplius corruptioni obnoxium. Et cuilibet corpori sua propria anima reddetur, et illo induta non moerore marcescet, sed cum illo gaudebit, pura purum inhabitans . . . Omnes, sive justi sive injusti, ducentur coram Deo Verbo.*

2) ibid. p. 46. 47. 73.
3) c. Opp. *S. Justini.* ed. Maurin. p. 335—358.
4) ibid. p. 368. sq.
5) in Ej. Opp. ed. *Massuet.* p. 206. sq.

Et ille judex adveniet, justum judicium Patris in omnes exercens; . . bene facientibus fruitio aeterna praebetur, malos aeternum supplicium manet, ignis inexstinguibilis, vermis igneus non moriens; his . . non nox leniet et mulcebit dolores, non mors supplicia solvet etc. [6]) Scripserat idem et singularem libellum *De Deo et carnis resurrectione;* sed exiguum duntaxat ejus fragmentum ab *Anastasio* Sinaita in „Ὁδηγῷ" servatum extat [7]). — *S. Methodius* itidem reliquit librum *De resurrectione*, cujus tamen maxima pars periit. Opusculum hoc praeclarissimum contra Origenem directum est, qui praeexistentiam animae contendens resurrectionem carnis negaverat [8]). — *Tertullianus* item singularem evulgavit libellum *De resurrectione carnis* adversus Gnosticos potissimum conscriptum et argumentis firmatum partim a *ratione* partim e sacra *Scriptura* petitis [9]). — *Commodianus* in Libro Institutionis adv. Gentium deos (cf. §. 157.) praesertim instructt. XXXVII—XLV de *Antichristo, Resurrectione* et *Judicio* exponit. — *Lactantius* in Divv. Institt. Lib. VII. c. 20—23. de *judicio novissimo*, de cruciatibus et *poenis* animarum, de *resurrectione* cett. agit [10]). — *S. Cyrillus Hieros.* in Catech. XVIII ad Illum. §§. 1—21. de *carnis resurrectione* dicens hoc praecipuum Ecclesiae dogma adversus Gentiles, Samaritanos et Haereticos tuetur. Et *Gentilium* objectiones ab rei ipsius *difficultate* petitas invictis argumentis refellit; *Samaritanos* ex libris *Mosis*, quos solum agnoscebant; et *Haereticos* diversis tum *Prophetarum* tum *Novi foederis* testimoniis et exemplis convincit; postremo *redivivorum* corporum in *justis* et *impiis* discrimen explicat; et c. 28. sq. de *vita aeterna* et

---

6) in Ej. Opp. ed. *Fabricii*. T. I. p. 221. sq.

7) ibid. p. 244.

8) c. cett. Ej. Opp. in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. III. p. 670 sq.

9) in Ej. Oqp. ed. *Giraldi*. (Venet. 1744.) p. 325—365.

10) in Ej Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 495. sq.

ejus bonis promissis agit [11]). — *S. Basilius* in Hom. in Psalm. XXXIII c. 8. scribit: *Ad aliquod peccatum impelli te cum videris, horrendum illud et intolerabile Christi tribunal quaeso cogita, ubi praesidet judex in throno sublimi, omnis vero creatura contremiscens adstat; animo tibi fingas infernum profundum, tenebras impenetrabilis, ignem splendoris expertem sed vim urendi in tenebris habentem; subinde vermium genus venenatum, carnivorum, nunquam exsatiatum, morsibus ingentes inducens dolores; postremo suppliciorum omnium gravissimum, probrum illud et dedecus sempiternum* [12]). — *S. Gregorius Nyssenus* in Lib. de opificio Hominis c. 25—27. docet, quomodo quis, licet alienus a doctrina Ecclesiae, possit adduci, ut literis sacris, *resurrectionem ex mortuis* fore affirmantibus, fidem habeat; neque enim abhorrere a vero, neque non posse fieri, ut, sparso in elementa humano corpore, tamen quod proprium unicuique est, ex illa communitate restituatur [13]). Fusius autem de hoc catholico dogmate disserit in illo praestantissimo opusculo, quod inscribitur *Macrinia*, seu *de anima et resurrectione Dialogus* cum sorore Macrinia, ubi nempe Basilii fratris sui mortem lugebat [14]). — *S. Joannis Chrysost.* in Homil. XLIII *de Resurrectione Mortuorum* hanc veritatem passim asserit et simul Manichaeos obiter refutat, qui corpora et naturam humanam per se malam esse mentiebantur [15]). — *S. Ambrosius* singularem reliquit librum *de fide resurrectionis*, qui est posterior librorum duorum, quos scripsit *De excessu fratris sui Satyri*; in priori enim de virtutibus ac meritis Satyri exponit; in secundo autem argumenta solaminis in tanta jactura recenset [16]). Ejusdem fere argumenti sunt *Consolatio de obitu Valentiniani junioris*, quam orationem

11) in Ej. Opp. ed. *Touttée*. p. 285—295. 298. sq.
12) in Ej. Opp. ed. *Garnier*. T. I. p. 151.
13) in Ej. Opp. ed. *Morelli*. T. I. p. 108. sq.
14) ibid. T. III. p. 180—261.
15) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. II. p. 422—446.
16) in Ej. Opp. ed. *Monte Alto*. T. IV. col. 307.

Mediolani habuit; item *Oratio de obitu Theodosii Imperatoris* praesente hujus filio ac successore habita [17]). — *S. Hieronymus* in Epist. ad Minerv. et Alexandr. (quae in ed. Maur. inter Epp. criticas est Ep. IX Tomi IV) verbum illud „Omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur" exponens dicit, *incorruptionem* communem esse omnium, *commutationem* autem dici glorificationem Sanctorum. *Diversitas resurrectionis* non est in *natura corporum* sed in *varietate gloriae*, dum alii resurgunt ad *poenas* perpetuas, alii ad *gloriam* sempiternam. *Commutari* dicuntur, qui *resurgunt in gloriam; peccatorum autem et infidelium nequaquam commutatio sed poenae perpetuae* dicuntur [18]). Idem in libro I adv. Jovinian. §. 36: *Certe*, ait, *in resurrectione eadem erit corporum substantia, qua nunc utimur, licet auctior gloria* [19]). — *S. Augustinus* multa passim quae huc spectant, habet in scriptis suis e. gr. in libro *De quantitate animae* c. 38. sub fin. (n. 76.); in *Soliloquiorum*, quae sunt meditationes per quaestiones et reponsiones disquisitae, Libro II c. 19. 20; praesertim in *Libro de immortalitate animae*, ubi et rationes pro immortalitate et difficultatum occurrentium solutiones congestae sunt [20]). Idem in opere praestantissimo *De civitate Dei* Lib. XIX c. 28. ostendit, in quem finem venturus sit exitus impiorum, et libro XX de judicio novissimo agit deque testimoniis cum veteris tum novi testamenti, quibus denuntiatur futurum [21]). — *S. Cyrillus Alex.* in lib. adv. Anthropomorph. c. 9: *Ceterum*, inquit, *in ultimis seculi temporibus vi atque efficacia vivificantis Spiritus Deus Pater in Christo omnes mortuos suscitabit*... Et c. 16. principio: *Post resurrectionem autem a mortuis judicium futurum s. Scriptura testatur . . et bonorum aut*

17) ibid. T. V. col. 105. 116.
18) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. I. col. 213. sq.
19) ibid. T. IV. P. II. col. 178.
20) in Ej. Opp. ed. *Maur*. T. I. col. 427. 383. sq. 387—390.
21) ibid. T. VII. col. 572. sqq.

malorum operum retributionem [22]). — *S. Gregorius M.* in Libro XIV in Job. c. 55. (al. 27.) sqq. *Christum* dicit surrexisse a mortuis, ut et *nos resurgere* posse confidamus; deinde *resurrectionis fidem* adstruit, et de *corporum* post resurrectionem *qualitate* disserit [23]). — *Aeneas Gazaeus* singularem composuit librum, qui inscriptus est *Theophrastus* seu *De animarum immortalitate et corporum resurrectione Dialogus* [24]). — *S. Julianus* Archiepiscopus Toletanus edidit *Prognosticon* ad Idalium s. *De futuri seculi praescientia Libros III*, quorum primus de morte tanquam peccati stipendio, secundus de animarum post mortem statu usque ad diem extremi judicii, tertius de resurrectione et judicio exponit [25]). — *S. Bernardus* in Lib. V de Consideratione c. 12. Deum et bonorum operum pium *remuneratorem* et malorum aequissimum *vindicem* esse demonstrat; et in Serm. III et IV ad *festum omnium Sanctorum* disserit, qui sit animarum sanctarum status, qualis earum felicitas et Dei in perfecta beatudine triplex fruitio [26]).

2. De dogmatica doctrina Patrum judicium.

§. 154. Haec Patrum monumenta adeo sunt praeclara, ut nemo recentiorum superare, pauci etiam aequare possint beatos illos viros in praecipuae eruditionis christianae scientia h. e. in divinorum dogmatum et legum peritia. Ad hanc enim *aptiores* ipsi fuere, et in eandem incubere *diligentius*, tum quod propriores essent Apostolis; et longe lateque diffusam colligere *Traditionem* ipsis tunc facilius esset; tum etiam, quod iis animi *virtutibus* abundarent, et *coelestibus* donis illustrarentur, quae ad rectam doctrinae christianae *conservationem* atque *intelligentiam*

22) in Ej. Opp. ed. Gent. *Hervet*. T. II. p. 733. 735.
23) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. I. col. 463. sqq.
24) in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. VIII. p. 649—665.
25) ibid. T. XII. p. 590—614.
26) in Ej. Opp. ed. *Mabillon*. Vol. I. col. 461. sq. 1039. sq.

inprimis requiruntur [1]). *Errores* autem quod attinet, quibus adversarii Patres onerant, et eorum auctoritatem inde eversum eunt, fatendum est, nonnullos ex antiquis in opiniones ab Ecclesia non approbatas abiisse. Scimus *SS. Papiam, Justinum, Irenaeum* errorem de regno millennario propagasse; *S. Cyprianum* gloriosum Martyrem aliter sensisse de Schismaticis et Haereticis baptizandis, quam postea veritas prodiit. *Clemens Alexandrinus* nonnihil tradidit, quod Pelagii; aliud, quod Novatiani errores sapere videatur. Sic *Minucius Felix*, *Arnobius*, *Lactantius* hic illic peccaverunt. Atque, ut ceteros praeteream, ipse divus *Augustinus* nonnulla protulit, quae postea revocavit, et ingenue ad Marcellinum scribens: *Si me*, ait, *talem adseritis, ut me nuspiam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis nec bonam causam suscepistis; . . ab hac excellentia tam longe absum, ut, si nullum verbum, quod revocare vellem, a me prolatum esse dixerim, fatuo sim quam sapienti similior* [2]). Atvero non ita *ss. Patrum libros* legimus, quemadmodum *Apostolorum*, de quorum scriptis, quin omni circa fidem errore careant, dubitare nefas est; sed ita doctrinae ecclesiasticae peritos adseramus Patres, ut tamen *homines* esse meminerimus, communique hominum sorti, quae est *errare posse*, obnoxios credamus.

§. **155.** Ut igitur rite rem perpendamus, primum attendendum est, num illis errores *vere* tribuantur, an non potius *immerito* affigantur. Multi enim, dum suas sententias auctoritate Patrum tueri volunt, seque cum his consentire aliis persuadere annituntur, Patrum effata *prave* interpretantur, et dogmata ipsis adscribunt, quae nunquam docuerunt. Alia permulta ab *Acatholicis* tanquam erronea enuntiantur, quae *orthodoxa* sunt. Deinde probe velim discernas *ipsa dogmata* et *modum illa explicandi*. Facile enim concedimus, a ss. Patribus non omnia capita doctrinae accurate satis et distincte et perspicue esse tradita. Hinc utique enatae

---

1) L. A. *Muratorii* De ingen. moderat. l. I. p. 611.

2) Epist. ad Marcellinum CXLIII ed. Maur. T. II. col. 464.

sunt interdum perversae interpretationes et *controversiae*. Circa *ipsa* autem dogmata rursus distinguendum est, quae sint *fundamentalia*, quae *non*. In iis certe, quae sunt ejusmodi, ut sine eorum notitia nec in Christum credere nec salutem aeternam consequi valeamus, de recta via Patres *non* deflexerunt. Sed et in ceteris erroribus, si qui obviant, quos pro catholica fide tueri nullo pacto possumus, *temere accusandi non sunt*, sed cum modestia et salva honorificentia, quae ipsis debetur, judicandi, ut ab iis, ubi error *manifestus* est, *recedamus* quidem, attamen in *aliis* spectata illorum vitae probitas ab omni fraude et malitia nos securos reddat. Etenim unius aut alterius singuli errores minime impediunt, quominus Patres *in universum* esse et haberi possint testes divinae traditionis, cum demum *universalis* ss. Patrum *consensus* in rebus fidei ac morum certum et irrefragabile argumentum divinae traditionis praebeat. Propter errores igitur, quos interdum commiserunt, *auctoritas* eorum non infringitur, cum praesertim illorum aetate hujusmodi quaestiones, in quibus aberraverint, nondum *Ecclesiae* judicio discussae ac decisae fuerint, ideoque illorum errores contra *definita* fidei dogmata non sunt. Paucos vere lapsus istos *innumeris aliis et egregiis doctrinis* compensarunt, quas nonnisi literarum expers ignorare, negare autem nonnisi maledicus homo et invidiosus potest. Contra *Dallaeum* [1]), *Rivetum* [2]), *Clericum* [3]) obtrectatores jam dudum sanctos Patres ab erroribus iisdem adfictis vindicarunt *Scrivenerius* [4]), *Caveus*, [5]), *Zornius*, [6]), *Muratorius* [7]), *Natalis Alexander* [8]), *Dorschius* [9]), alii.

1) Jo. *Dallaei* De usu Patrum etc. Libri II, Genev. 1656. 4.

2) Andr. *Riveti* De Patrum auctoritate etc. in Ejusd. Critt. sacr. Genev. 1646. 8.

3) Jo. *Clerici* Epistolae critt. et eccl. Amstelod. 1700 8.

4) Matth. *Scrivenerii* Apolog. pro ss. Eccl. PP. adv. Dallaeum, Lond. 1672. 4.

5) Guil. *Cavei* Epist. apologet. adv. Clerici criminatt. Lond. 1700. 8.

6) Petr. *Zornii* Vindiciae Patrum, oppos. Jo Dallaeo, Giess. 1709. 8.

III. Eruditio in theologia apologetica et polemica.

§. 156. Cum religio christiana passim a *Judaeis* [1]) et *Gentilibus* [2]) impugnaretur, non deerant Viri optimi inter Christianos, qui scriptis quoque adversus eos libris verae religionis defendendae impositam sibi esse necessitatem intelligerent. Alii igitur varia doctrinae christianae capita exponebant, argumentis comprobabant, et contra objectiones et cavillationes adversariorum propugnabant. Alii vero Gentium et Judaeorum religionem et placita religiosa aggressi eorum absurditatem et impietatem demonstrare studebant. Inde Scriptorum, quae pro Christianis eorumque sacris edita, et graeco nomine *Apologiae* appellata sunt, duplex genus discernendum, nempe genus *mere apologeticum* et *apologetico-polemicum*. Non solum autem contra Gentiles et Judaeos ista dimicatione opus erat, sed etiam adversus *Haereticos et Schismaticos*, qui in ipsis christianis coetibus vel turbas facere, vel prava dogmata disseminare conabantur. Multa sunt et egregia sane hujus argumenti Scripta Patrum, quae maximam eorum in hoc genere scribendi ostendunt eruditionem.

1. Monumenta Patrum apologetica et polemica.

a. *Adversus Gentiles.*

aa. *Graecorum Scriptorum.*

§. 157. Multa Graecorum Patrum Scripta apologe-

---

7) Lud. Ant. *Muratorii* De ingeniorum moderat. (§. 114. not. 1.)

8) *Natal.* Alex. Dissert. adv. Dallaeum et Rivetum, in ejus Hist. Eccl. T. V. p. 442. sq.

9) Ant. *Dorschii* Diss. theolog. de Auctorit. SS. PP. Mogunt. 1781. 4.

1) *Judaeorum* adversus Christianos calumnias ex scriptt. Talmud. et Rabbin. petitas congessit Aug. *Pfeiffer*. in libro, cui tit. *Obtrectator Apella*. Wittemberg. 1662. 4.

2) De calumniis *Gentilium* in veteres Christianos fusius exponunt

tica jam dudum temporis injuria *perierunt*, ut eorum vel omnino nihil vel pauca tantum fragmenta ad nos pervenirent. Sic de *Apologia*, quam *S. Quadratus* literis consignatam Hadriano imperatori obtulit, hodie nihil extat nisi fragmentum, quod Eusebius nobis servavit [1]). — *Apologia*, quam *Aristides* scripsit, et eidem Hadriano tradidisse dicitur [2]), penitus deperdita est. — *Apologiae*, quam *S. Melito* Marco Aurelio Antonino exhibuit, fragmenta tantum nonnulla extant [3]). — *Claudius Apollinaris* item scripisse perhibetur *Apologiam* ad Antoninum Verum, *libros V adversus Gentes*, alios *Libb. II de veritate* [4]), quorum omnium nihil ad nos pervenit. — Pariter *Miltiadis Apologia* [5]) et *Apollonii Oratio pro defensione fidei suae* unacum Eusebii Historia Martyrum, in quam translata est [6]), injuria temporis ablata sunt. — Ex *Macarii Magnetis Apocriticon adversus Gentiles Libb. V* nonnulla tantum supersunt fragmenta [7]). — Tamen non exiguus est numerus eorum hujus generis scriptorum, quae hodiedum extant, atque in his *S. Justini Duae Apologiae*, altera *longior* data est ad Antoninum Pium, altera et ea quidem *brevior* ad M. Aurelium Antoninum; in utraque caussam Christianorum strenue agit, eorumque integritatem et innocentiam adversus Gentilium calumnias defendit [8]).. Extat Ejusdem etiam *Liber de Mo-*

Chr. *Kortholdi Paganus Obtrectator* Libri III, Kilon. 1698. 4.; et J. Jac. *Huldrici Gentilis Obtrectator*. Tigur. 1747. 8.

1) Hist. eccl. IV. c. 3. §. 2.; ed. *Zimmermann*. T. I. p. 222.

2) *Euseb*. l. l.; *S. Hieronym*. Catalog. Scriptt. eccl. c. 20., in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. II. col. 109.

3) ap. *Euseb*. Hist. eccl. IV. c. 26. §. 3—6.; T. I. p. 281. sq.; et *Chronic. paschal*. p. 259.

4) *Euseb*. H. E. IV. 27.; T. I. p. 285.; — *S. Hieron*. Catal. c. 27.; col 111.

5) *Euseb*. H. E. V. 17., in fin.; p. 352. — *Hieron*. c. 39. col. 113.

6) *Euseb*. H. E. V. 21. §. 2., 363. — *Hieron*. c. 42. col. 114.

7) ed. Mag. *Crusius*, Goetting. 1745. 4.

8) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. p. 44—90. 91—103.; Separat. ed. J. W. P. *Braun*. Bonn. 1830. 8.

narchia, quo ex solis gentilium Poëtarum testimoniis unum Deum omnium rerum auctorem et gubernatorem esse probat [9]); qui libellus a nobis quidem (Patrol. T. II. §. 102.) S. Justino vindicatur contra opiniones eorum, qui verbis Eusebii (Hist. eccl. IV. 18.) decepti eundem vel spurium omnino vel mutilatum esse suspicati sunt. Eidem Justino porro a plerisque adcensentur, sed ego nescio an non perperam (T. II. §§. 101.), *Oratio ad Graecos*, qua auctor rationes ingerit, quibus potissimum adductus ipse a gentili Christianus factus sit [10]); et *Cohortatio ad Graecos*, monens, ut deserta religione Gentilium christianam sequantur [11]). — *Tatiani Oratio ad Graecos*, qua is, antequam in haeresin inciderat, Graecorum ignorantiam retundit docens, quod omnia, quae bona atque vera habeant, Barbaris seu Orientalibus deberent, et ea ipsa pluribus commentis et erroribus contaminarent [12]). — *Athenagorae Legatio pro Christianis* s. Apologia, dedicata Marco Aurelio Antonino et Aurelio Commodo imperatoribus, quo libro insigni Christianos contra objecta illis turpissima crimina defendit [13]). — *S. Theophili Libri III ad Autolycum* eo consilio scripti, ut confutaret superstitionem Ethnicorum; et primo quidem nonnulla de Dei essentia, attributis, beatitudine et de resurrectione mortuorum dicit; secundo falsam et riduculam Gentilium religionem, christianam autem veram esse ostendit; tertio S. Scripturae antiquitatem exponit, atque Ethnicorum, qui Christianis nefanda crimina imputabant, calumnias refellit [14]). — *Hermiae Irrisio gentilium Philosophorum* s. Libellus, quo superstitiosorum hominum opiniones de rerum principiis, de anima, de Deo absurdas esse et inter se pugnare osten-

9) ibid. p. 36—42.
10) ibid. p. 1—5.
11) ibid. p. 6—35.
12) unac. *S. Justini* Opp. p. 258—294.
13) ibid. p. 296—334.
14) ibid. p. 360—428.

dit [15]). — *S. Hippolyti* Fragmentum Libri *adversus Graecos*, qui et inscribitur *Adversus Platonem de causa Universi*, in quo libro Platonicorum de inferno fabulas refellit, et Christianorum doctrinam exponit [16]). — *Clementis Alexandrini Protrepticus* seu adhortatorius ad gentes liber, quo absurditatem atque impietatem mysteriorum, sacrificiorum ethnicorum et fabularum de Deorum ortu et interitu perstringit, et ad Christianorum sacra amplectenda hortatur [17]). Multa praeterea Ejusdem *Stromata* habent, quae ad impugnandos Deorum cultores et ad religionis nostrae veritatem, dignitatem, fidemque confirmandam suppeditant [18]). — *Origenis Contra Celsum Libri VIII*, in quo opere praestantissimo primariae religionis christianae veritates validissimis ratiociniis demonstrantur, et quaecunque Christianis tunc temporis opponi solebant, diligenter et egregie refutantur [19]). — *Eusebii Caesareensis Praeparationis evangelicae Libri XV*, opus praeclarissimum optimis monumentis et testimoniis refertum, quibus animus lectoris ad suscipiendam Christi religionem praeparetur [20]). Ejusdem porro *Contra Hieroclem liber* [21]), qui est refutatio famosi ab isto editi libelli c. t. φιλαλήθης. — *S. Athanasii Oratio contra Gentes*, in qua de idolorum vanitate exponit [22]). — *S. Gregorii Nazianz. Orationes invectivae in Julianum Apostatam*, ethnicam superstitionem restaurare frustra conantem [23]). — *Theodoreti Orationes X de Providentia*, quibus erroneas Gentilium de fato opiniones retundit, et Ejusdem *De curandis Graecorum affectionibus libri XII*,

---

15) ibid. p. 430—436.
16) in Ej. Opp. ed. Alb. *Fabricii*. T. II. p. 320—323.
17) in Opp. ed. *Potteri*. p. 1—95.
18) ibid. p. 315—642. 643—935.
19) in Ej. Opp. ed. *De la Rue*. T. I. p. 315—800.
20) ad Edit. Vigeri, *Colon*. 1688. f.
21) unac. Ej. Demonstr. Evang. ad edit. *Morelli*. p. 511—545.
22) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg*. T. I. p. 1—37.
23) in Ej. Opp. ed. *Billii*. Colon. T. I. p. 49—134.

Juliano imperatori oppositi [24]). — *S. Cyrilli Alex. Pro sancta Christianorum religione adversus libros impii Juliani*, quo praestantissimo opere, decem libris conscripto, Juliani Apostatae objectionibus respondens veritatem nostrae religionis egregie demonstrat [25]). — Huc quodammodo referri possunt *S. Basilii Homiliae IX in Hexaëmeron* [26]), continent enim luculenta adversus Atheos argumenta, ac multa suppeditant ad cognoscendam summi universorum opificis potentiam sapientiamque et benignitatem; — *S. Gregorii Nyss. De opificio hominis*, quo libro praesertim gentilium philosophorum errores de animae natura rejicit; item *Contra fatum*, et alius tractatus *Contra Graecos ex communibus notionibus* s. De Deo trino [27]); — *S. Joannis Chrysostomi Homiliae III adversus eos, qui dicunt, daemones gubernare res humanas*, quique ex eo, quod pii homines calamitatibus affligantur, providentiam dubiam reddere conantur; porro Ejusdem *Liber in Babylam ac contra Julianum et Gentiles* [28]). — *Nemesii Emeseni Liber de natura hominis*, ob eam causam hic commemorandus, quia immortalitatem animae adversus pravas Philosophorum opiniones tuetur, fati necessitatem impugnat, hominis libertatem ac providentiam divinam defendit et de Dei sapientia et benignitate exponit [29]). — *Zachariae* Mitylenaei, Episc. *De mortalitate universi* seu De creatione mundi, contra mundi et materiae aeternitatem a Philosophis constitutam disputatio, ex lat. interpret. Gilb. *Genebrardi* Parisiensis [30]).

bb. Latinorum.

§. 158. Nec in Ecclesia *latina* defuerunt Patres,

---

24) in Ej. Opp. ed. *Schulzii* et *Noesselt.* T. IV.
25) in Ej. Opp. ed. Gent. *Hervet.* T. I. p. 560. sq.
26) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier.* T. I. p. 1. sq.
27) in Ej. Opp. ed. *Morelli.* T. I. p. 44—139.; T. II. p. 62—90.
28) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon.* T. II. p. 245. 531.
29) ed. gr. et lat. C. F. *Matthaei.* Halae 1801. 8.
30) in Bibl. PP. max. *Lugd.* T. IX. p. 795—808.

qui pro christiana religione contra Gentiles dimicabant. Sed et eorum multi libri aetatem non tulerunt. Inter conservata autem hujus generis opera recensendi sunt *Tertulliani Apologeticus adv. Gentes*, quo ethnicorum criminationes in Christianos refutantur [1]; Ejusdem *Ad nationes Libri duo*, in quibus Gentilium Deos impugnat. Ille ad Praesides, hi libri duo ad plebem directi sunt. Item *De testimonio animae*, qui liber argumentum in Apologetico c. 17. usurpatum De interna Dei manifestatione quasi continuat et uberius tractat; et *Liber ad Scapulam*, quo de injusta ac crudeli persecutione conqueritur, et Christianorum virtutes laudibus effert [2]. — *Minucii Felicis Octavius*, dialogus Ethnicum (Caecilium) inter et Christianum, qui Octavius appellatur et Christianorum causam agit [3]. — *S. Cypriani Ad Demetrianum* libellus, quo ostendit, quam sit iniquum, quod Ethnici rerum tunc temporis adversarum causam in Christianos, utpote homines diis perosos, convertant; et liber *De idolorum vanitate*, quo, maxime Tertullianum et Felicem imitatus, unum esse Deum et in christiana religione omnem positam salutem docet [4]. — *Commodiani Instructiones adv. Gentilium deos*, pro christiana disciplina [5], carmen versibus epico metro similibus sed syllabarum quantitate saepe neglecta compositum; pertinent autem huc proxime Instructt. I—XXXVI. — *Arnobii Libri VII adv. Gentes*, in quibus idololatriam et Gentilium criminationes contra Christianos evertit [6]. — *Lactantii Divinarum institutionum libri VII*, ubi de falsa religione contra gentes dis-

1) in Opp. omn. ed. Giraldi secund. rec. *Rigalt.* c. *Havercampii* Comment. in Apologeticum. (Venet. 1744. f.) p. 1. sq.; seorsim ed. a Jos. Ign. *Ritter*. Eberfeld. 1827. 8.

2) in Ej. Opp. omn. ed. cit. 40. 64. 68.

3) ed. Ed. de *Muralt*. Turici 1836. 8.; ed. H. B. Lübkert. c. nott et vers. germ. Lips. 1836. 8.

4) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 388. 405.

5) ed. c. nott. *Rigaltii*. Tulli Leucor. 1650. 4.

6) ed. J. C. *Orellius*. Lips. 1816. II. 8.

putans unum esse Deum probat, idololatriam impugnat, philosophiam gentilium redarguit, doctrinam christianam exponit, de justitia christianae legis et Ethnicorum injustitia agit, denique de vero Dei cultu, de vita beata et animae immortalitate disserit [7]). Extat etiam Ejusdem *Epitome institutionum*, qua easdem materias brevius exponit. Addi possunt Ejus *Liber de opificio Dei*, quo corpus pariter ac animam hominis divinae potentiae bonitatis ac sapientiae illustrissimum esse documentum ostendit; *Liber de ira Dei*, ubi contra philosophos Epicureos et Stoicos probat, non esse Deo indignum, ut impiis irasceretur et pios gratia prosequeretur; et *Liber de mortibus Persecutorum* ad Donatum Confessorem scriptus eo consilio, ut ex atrocissimis mortibus, quibus Diocletianus, Galerius, omnes denique Christianorum persecutores perierunt, Dei vindictam atque inde ipsam christianae religionis veritatem demonstraret [8]). — *Prudentii Clementis Libri II adv. Symmachum*, versibus epicis exarati, quibus relationem Symmachi, qui Valentiniano imperatori suadebat, ut aram Victoriae deae in Ethnicorum gratiam restaurandam curaret, egregie refellit [9]). — *Julii Firmici Materni De errore profanarum religionum*, ubi originem et perversitatem gentilium religionum accuratius describens monet, ut superstitionem dimittant, et novam religionem christianam omnes amplectantur [10]). — *Pauli Orosii Historiarum Libri septem*, quibus potissimum refellere conatur calumniam Paganorum, christiana sacra esse causam miseriarum tunc temporis in orbe Romano grassantium [11]). — *S. Augustini Libri III contra Academicos*, quorum Scepticismum acriter impugnat, et ad veram philosophiam i. e. christianae religionis veri-

---

7) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 4. sq.
8) ibid. T. II. p. 1. 83. 130. 184.
9) in *Galland*. Biblioth. vett. PP. T. VIII.
10) ed. Fr. *Münter*. Havniae 1826. 8.
11) ed. *Havercamp*. Lugd. Batav. 1738. 4.

tatem adhortatur Romanianum, ad quem opus hoc directum est; item Liber unus ad Manlium Theodorum *De vita beata*, quam S. Pater reponit in cognitione veri Dei; *Libri II de ordine* ad Zenobium, in quibus agit de providentia divina, cui omnia subsunt [12]); et *Sex quaestiones contra Paganos expositae*, qui liber ad sex quaestiones respondet, quas homo paganus quidam catholico Presbytero proposuerat de resurrectione Christi, de antiquitate christianae religionis etc. [13]); denique opus Ejusdem praestantissimum *De civitate Dei Libri XXII*, quorum decem priores superstitionem Ethnicorum refellunt, duodecim vero posteriores christianae fidei veritatem egregie propugnant [14]).

b. Adversus Judaeos.

§. **159.** Scripta, quibus Patres Judaeorum errores profligarunt, et sacrae nostrae religionis veritatem ab eorum calumniis defenderunt, multa jam sunt *deperdita*; velut *Aristonis Pellaei Disputatio Jasonis et Papisci* [1]); *Claudii Apollinaris* Hierapolitani *Libri II contra Judaeos* [2]); *Miltiadis liber contra eosdem* [3]); *Stephani Bostrensis opusculum adversus Judaeos* [4]); *Vosconii* in Mauritania Episcopi *Scripta contra Judaeos* [5]). — Alia ab interitu quidem vindicata sed *typis nondum exscripta* et in lucem edita sunt; ita *S. Athanasii Disputatio cum Zachaeo* et Ejusdem *Altercatio cum Judaeis De adoratione S. Crucis* etc., qui ambo Msspti Codd. ex-

---

12) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. I. col. 249. 297. 315.

13) ibid. T. II. col. 273.

14) ibid. T. VII. col. 1. sq.

1) *Origenis* Contra Celsum Lib. IV. c. 52. fin., in Ej. Opp. ed. *De la Rue.* T. I. p. 544.

2) *Euseb.* Hist. eccl. Lib. IV. c. 27., ed. *Zimmerm.* T. I. p. 286.

3) ibid. Lib. V. c. 17. in fin., p. 352.

4) *S. Damascen.* in Orat. de ss. Imaginibus, in Opp. Ej. omn. ed. M. *le Quien.* T. I. p. 307. sq.

5) *Gennadii* De viris illustr. c. 78.

tant in Bibliotheca Vindobonensi [6]); item *Basilii Seleuciensis Liber contra Judaeos*, qui est reconditus in Bibliotheca Vaticana [7]); et *Gennadii Confutatio judaici erroris ex S. Scriptura et rebus gestis, et ad christianam religionem cohortatio*, quem libellum recenset Jo. Alb. Fabricius [8]).

§. 160. Inter opera autem ejusmodi *conservata* et *typis impressa* ad nos pervenerunt *S. Justini Dialogus cum Tryphone Judaeo* per duos dies habitus de veritate religionis christianae [1]). — *Tertulliani Liber adversus Judaeos*, quo Messiam, quem Vates divini praedixerint, jam advenisse demonstrat [2]). — *S. Hippolyti Demonstratio adversus Judaeos*, ubi eorum impietatem et justam Dei in eos vindictam ostendit [3]). Recte videntur judicare, qui putant hunc tractatum fuisse olim partem expositionis s. paraphraseos Psalmi LXVIII. — *S. Cypriani Libri III testimoniorum adv. Judaeos*, quibus Christum esse promissum Messiam ex ss. Scripturis probat, et christianae fidei quasi compendium annectit [4]). — *Eusebii Caesareensis Demonstrationis evangelicae Libri XX* (imo vero hodie X tantum superstites), quibus religionis christianae veritatem e vaticiniis V. T. probat [5]). — *S. Gregorii Nyss. De Trinitate testimonia ex V. T. delecta cum adjecta explicatione adversus Judaeos*, quibus ostendit, quod Verbum et Spiritum habeat Deus secundum Scripturas, quodque Verbum hypostasi praeditum re-

---

6) Cf. Jos. *Imbonati* Biblioth. lat.-hebr. p. 318.

7) ibid. p. 12.

8) Delectus argumentorum et Syllabus Scriptorum de veritate religionis christ. p. 130.

1) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* p. 105—145.

2) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* p. 183—202. Cf. G. H. *Scharffenberg* Comment. academ. de Justino, Tertulliano et Cypriano adv. Judaeos disputantibus, Lund. Goth. 1820. 4.

3) in Ej. Opp. ed. *Fabricii.* T. II. p. 2—5.

4) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. II. p. 1—97.

5) ad edit. *Morelli* et *Cramoisy* (Colon. 1688. f.) p. 1—511.

vera sit et Spiritus sanctus similiter [6]). — *Basilii Seleuciensis Demonstratio contra Judaeos de Salvatoris adventu* [7]); sed liber hic a nonnullis tanquam valde dubius notatur. — S. *Jo. Chrysostomi Adversus Judaeos et Gentiles demonstratio, quod Christus sit Deus;* deducta ex iis, quae multis in locis de eo dicta sunt apud Prophetas; Ejusdem *Orationes VIII adversus Judaeos* [8]). — S. *Augustini Tractatus adv. Judaeos de incarnatione Domini*, quos item ex vaticiniis potissimum impugnat. Est hoc opusculum libro, quem scripsit idem De haeresibus ad Quodvultdeum, annexum [9]). — *Gregentii* (sive, ut alii judicant *Palladii Alexandrini*) *Disputatio cum Herbano Judaeo*, quam per dies quinque coram Abramo rege Homeritarum christiano cum isto instituisse perhibetur [10]). — S. *Anastasii*, Abbatis Palaestinensis, *Adv. Judaeos Disputationes quinque* [11]), noviter repertae. — S. *Isidori Hispalensis Contra nequitiam Judaeorum Libri duo*, quorum prior de nativitate, passione, resurrectione, gloria et judicio Domini, posterior autem de vocatione gentium agit [12]). — S. *Juliani Toletani De Christi adventu adv. Judaeos libri III*, ad Erwigum regem scripti [13]).

c. *Adversus Haereticos.*

aa. Generatim.

§. **161.** Etiam contra Haereticos, qui catholicae Ecclesiae dogmata depravarunt, ss. Patres in certamen des-

6) in Ej. Opp. ed. *Morelli*. T. II. p. 164—172.; idem ex rec. Laur. Alex. *Zacagni* in *Gallandii* Bibl. PP. T. VI. p. 578. sq.

7) in Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. VIII. p. 495—498.

8) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. I. p. 558—583. 587—689.

9) in Ej. Opp. Opp. ed. *Maurin*. T. VIII. col. 29—44.

10) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. VI. p. 1014. sq.

11) in Ang. *Maji* Coll. nov. vett. Scriptt. Vol. VII. P. I. p. 207—244.

12) ed. *Hagenoae* 1529. 4. *Versio francica* e Cod. Paris. (ex secul. verosim. VIII.) c. nott. et Glossario instr. ab Ad. *Holzmann*. Carlsruh. 1836. 8.

13) in Bibl. max. *Lugdun.* T. XII. p. 614. sq.

cenderunt, ut veram doctrinam ab istorum erroribus defenderent. Atque alii ita Haereticis *universe*, alii *singularibus* eorum sectis restiterunt. Priorum scripta haec sunt praecipua: *S. Irenaei Adversus Haereses libri V*, quibus Haereticorum ad sua usque tempora errores recenset refutatque [1]). — *Tertulliani Liber de praescriptionibus haereticorum*, in quo veritatem catholicae religionis ex eo probat, quod doctrina Haereticorum nova sit, atque ipsa praescriptione sufficienter eversa [2]). — *S. Hippolytus* opus adversus haereses XXXII conscripsit, Nicolaitas, Cainanos, Montanistas, Gnosticos, Antitrinitarios etc. oppugnans, sed nunc praeter libros *contra Noëtum et contra Beronem* (§. 164.) amplius nihil nisi fragmenta supersunt perexigua, imo melius testimonia, quae Epiphanio, Gelasio, Theodoreto, Photio debemus [3]). — *S. Philastrii Liber de Haeresibus*, qui indiculum seu brevem historiam Haereticorum complectitur [4]). — *S. Epiphanii Panarium* i. e. Capsula medica, sic dicta, quia (octoginta) Haereticorum sententias non solum recenset sed etiam confutat, ideoque (ut ipse hanc vocem interpretatus est) saluberrima remedia adversus illorum venena commendat [5]). — *S. Augustini Liber de Haeresibus ad Quodvultdeum*, quo octoginta octo haereses a Simonianis usque ad Pelaginos enarrantur [6]). — *S. Vincentii Lerinens. Commonitorium* pro catholicae fidei antiquitate et universalitate adversus profanas omnium Haereticorum novitates [7]). — *Theodoreti Libri V Haereticarum fabularum*, in quorum quatuor prioribus haereses varias recenset et refellit, in quinto autem compendium sacrae doctrinae

---

1) ed. Renat. *Massuet*. Paris. 1710. f.

2) in Ej. Opp. ed. *Giraldi*. p. 202—224. Seorsim ed. est *Ingolstad*. 1833. 8.

3) Cf. Ej. Opp. ed. *Fabricii*. T. I. p. 223. sq.

4) ed. Paul. *Galeardi*. Aug. Vind. 1757. 4.

5) in Ej. Opp. ed. *Petavii*. T. I. p. 1. sq.

6) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. VIII. col. 1—28.

7) nov. ed. c. nott. Engelb. *Klüpfel*. Vienn. 1809. 8.

haereticorum erroribus oppositae exhibet [8]). — *S. Joannis Damasceni Liber de Haeresibus* s. descriptio, unde ortae sint, et quomodo prodierint [9]). — *Euthymii Zigabeni* Monachi Constantinopolitani *Panoplia dogmatica orthodoxae fidei*, adversus omnes haereses, jussu Alexii Comneni imperatoris ex Antiquorum scriptis potissimum compilata [10]). — Collectiones operum ss. Patrum polemicorum adversus haereses omnimodas suppeditant (Jo. *Sichardi*) *Antidotum contra diversas omnium fere seculorum haereses*, Basil. 1528. f.; Jo. *Heroldi Haeresiologia* i. e. Opus vett. Theologg. per quos haereses confutantur et summa omnia theologiae capita quaestionesque... explicantur, Basil. 1556. f.

bb. Speciatim.

α) *Adversus Gnosticos praesertim Marcionitas.*

§. **162.** Contra singulares Haereticos et primum quidem adversus Gnosticos, de quorum scriptis quotquot hucusque reperiri poterant fragmenta Renatus *Massuetus* collegit [1]), ecclesiastici Patres strenue disputabant. Et *Simonis Magi*, *Cerinthi*, aliorum, qui initia Gnosticismi struebant, nec non *Ebionitarum* errores jam Patres apostolici acriter impugnabant. Lege sis *S. Ignatii* Antioch. Epp. ad Trall. c. 6—11; ad Magnes. c. 8; ad Philad. c. 5., ad Smyrn. c. 1—7; *S. Polycarpi* Epist. ad Philipp. c. 7; anonymi auctoris *Epist. ad Diognet.* c. 7. Illorum item et *Saturnini*, *Basilidis*, *Valentini* aliorumque deinceps Gnosticorum errores enarrant refutantque uberius *SS. Irenaeus*, *Epiphanius*, *Augustinus*, *Theodoretus*, alii in operibus supra (§. 161.) laudatis;

8) unac. Dialogg. ed. graece *Camill. Perusci*. 1547. 4., lat. *Gentian. Herveti*. Basil. 1549. 4.

9) in Ej. Opp. ed. Mich. *le Quien*. T. I. p. 76—118.

10) gr. ed. *Gregoras*. Tergavisti 1710. f.; lat. in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. RIX. p. 1—235.

1) in *S. Irenaei* Opp. p. 349—376.

item *Clemens Alex.*, *Origenes*, *S. Cyrillus Hieros.* aliique passim in libris suis. Inter *singulares* autem hujus generis commentationes commemorandi sunt potissimum *Tertulliani Adv. Hermogenem liber* contra hujus Gnostici fabulas de aeterna materia, principio malorum [2]); *Liber adv. Valentinianos*, quorum errores de Aeonum emanationibus etc. perstringit [3]); *De carne Christi* et *De resurrectione carnis*, Libri, quorum alter adversus Gnosticos Christi incarnationem demonstrat, alter resurrectionem carnis, quam ipsi negarunt, acriter tuetur [4]); *Libri IV adv. Marcionem*, quibus hujus haeresiarchae de duobus principiis opinionem refellit, catholicae Ecclesiae fidem in unum Deum eumque bonum omnium rerum Creatorem defendit, et errores Marcionis, qui salvatorem hominum Dei esse Filium et Creatorem omnium negavit, et ss. Scripturas V. et N. T. inter se pugnare dixit, solide retundit [5]); denique *Lib. c. t. Scorpiace*, adversus Gnosticos, qui nempe Scorpionum instar, ut ait, latenter doctrinae suae venenum spargant, et bonum martyrii negare praesumant [6]). — (Pseudo)- *Origenis* De orthodoxa in Deum fide seu *Dialogus adv. Marcionitas* [7]). — *S. Augustini Contra adversarium Legis et Prophetarum Libri duo*, quibus refutatur opusculum tunc temporis Carthagine multum versatum, quo Marcionita quidam mundum non ab ipso Deo factum, nec verum Deum esse sed daemonem, qui in V. T. apparuerit, blasphemaverat [8]).

b) *Adversus Manichaeos cum veteres tum recentiores Paullicianos.*

§. 163. Contra famosissimam et late diuque propa-

2) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* p. 233. sq.
3) ibid. p. 250.
4) ibid. p. 307. 325.
5) ibid. p. 365.
6) ibid. p. 487.
7) ed. Jo. Rdph. *Wetstenii.* Basil. 1674. 4.
8) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. VIII. col. 549. sq.

gatam Manichaeorum haeresin multa prodierunt ss. Patrum monumenta, e quibus aetatem tulerunt *S. Archelai Acta disputationis cum Manete*, ao. 277 in urbe Caschar Mesopotamia habitae, in qua Manichaeorum haeresin validissimis argumentis oppugnat, originem et incrementa ejus consectatur, eamque non modo funditus subvertit, sed et pleraque Catholicorum dogmata illustrat atque confirmat [1]. — *Alexandri Lycopolitani Adversus Manichaeorum placita*, quem librum, postquam ipse resipuerat ab ista haeresi, conscripsit [2]. — *Serapionis Thmuensis* Episc. *Lib. adv. Manichaeos* [3]. — *Titi Bostrensis Contra Manichaeos libb. IV*, de quibus autem tertii libri pars maxima et quartus totus periit [4]. — *Didymi* Alexandrini *Liber adv. Manichaeos* [5]. — *S. Gregorii Nysseni Contra Manichaeos syllogismi decem* [6]. — *S. Epiphanii Haeres. LXVI* q. e. Manichaeorum [7]. — *Fab. Marii Victorini* Afri *Liber ad Justinum Manichaeum Contra duo Principia Manichaeorum et De vera carne Christi* [8]. — *S. Augustini De libero arbitrio Libri III*, quibus proxime adversus Manichaeos et eorum doctrinam de origine mali pugnat; *De Genesi contra Manichaeos*, ut s. Scripturae historiam de creatione defenderet; *De moribus Ecclesiae catholicae et Manichaeorum Libri II*, ubi Deum summum bonum esse statuit, et Manichaeorum errores de origine et natura mali refellit; *De vera religione liber*, in quo christianae doctrinae praestantiam commendat, et

1) unac. Opp. *S. Hippolyti*. ed. *Fabricius*. T. II. p. 142. sq. et in *Galland*. Bibl. PP. T. III. p. 565. sq.

2) in Fr. *Combefisii* Biblioth. graecc. PP. Auctar. noviss. T. II. p. 3. sq.

3) in Henr. *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage*. T. I. p. 35—56.

4) ibid. T. I. p. 156—163.

5) ibid. T. I. p. 197—217.

6) in Ej. Opp. ed. *Morelli*. T. III. p. 180.

7) in Ej. Opp. ed. *Petav*. T. I. p. 617.

8) in Bibl. PP. max. *Lugdun*. T. IV. p. 289., et in Jac. *Sirmondi* Opp. varr. nunc primum collectt. (Paris. 1696. V. f.) T. I. p. 409. sq.

aliarum religionum praecipue Manichaeorum errores coarguit[9]). Ejusdem *Liber de utilitate credendi*, in quo Honoratum amicum a Manichaeismo revocare conatur; *De duabus animabus contra Manichaeos*, qui duplicem in homine animam esse, bonam atque malam, adstruebant; *Acta contra Fortunatum Manichaeum* s. Disputatio contra eundum ao. 392. Hippone habita; *Liber contra Adimantum Manichaei discipulum*, qui Veteris testamenti scripta pugnare cum libris N. T. asseruerat; *Liber contra Epistolam Manetis*, quae *Fundamentum* dicitur, in quo libro docet, veritatem absque auctoritate non posse consistere; *Contra Faustum Manichaeum libri XXXIII*, totidem disputationes continentes, quibus singulae hujus haeretici sententiae verbatim prope exscriptae solide confutantur; *Libri II de Actis cum Felice Manichaeo* s. Disputatio de Spiritu sancto, de duabus in homine naturis et de origine mali, publice Hippone habita cum Felice tunc Manichaeorum principe, quem divus Augustinus prolatis ibi gravissimis argumentis ad Christi veritatem reduxit ita, ut suos palam errores condemnaret; *De natura boni adv. Manichaeos*, ubi Deum esse immutabilem et summum bonum atque adeo naturas omnes in se spectatas, utpote a Deo procreatas, bonas esse probat, deinde quid sit malum, unde veniat etc. docet; denique *Liber contra Epistolam Secundini Manichaei*, cujus objurgationibus et calumniis respondet, simulque conversionis suae rationem reddit[10]). — *Evodii Liber de fide adv. Manichaeos* s. de unitate Trinitatis; qui liber ab Erasmo perperam s. Augustino adcensitus est[11]). — *Zachariae* Mitylenaei, Scholastici, *Disputatio adv. Manichaeos*, s. contra ea, quae de duobus Principiis a Manichaeo quodam scripta et projecta in viam publicam reperit[12]). — *S. Joannis Damas-*

9) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. I. col. 569. 645. 687. 747.
10) ibid. T. VIII. col. 45. 75. 93. 101. 151. 183. 471. 502. 523.
11) in *S. August*. Opp. ed. *Maur*. T. VIII. Append. col. 25—37.
12) in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage*. T. I. p. 425. sq.

ceni Dialogus contra Manichaeos puta recentiores sive Paullicianos [13]), qui nempe haeretici sub finem seculi VII. oborti, propter errores suos Manichaeis (nescio an non melius dixerim Marcionitis) affines, recentiores Manichaei vulgo appellantur. — *Photii Adversus Paulianistas s. recentiores Manichaeos* libri IV [14]). — *Petri Siculi Historia Manichaeorum*, seu de ortu, progressu et occasu Manichaeorum, ubi imprimis eorum errores accuratius delineantur [15]). — *Joannis Ozniensis* Armeniorum Catholici *Oratio contra Paulicianos* [16]).

c) *Contra Antitrinitarios sive Unitarios.*

§. **164.** Adversus eos, qui unitatem quidem Dei sed eam sublata personarum trinitate asseruerunt, catholicam fidem propugnarunt *Caji* Rom. Presbyteri *Parvus Labyrinthus*, adversus Artemonem directus, cujus tamen libelli nonnisi fragmenta (apud Euseb. in Hist. eccl. V, 28.) supersunt; — *S. Malchionis* Antiocheni presbyteri *Disputationis cum Paulo Samosateno* et *Epistolae Synodicae fragmm.* ab Eusebio (Hist. Eccl. VII. 30.) et Leontio Byzant. (Adv. Nestor. Lib. III.) nobis servata [1]), quae de actis in Synodo Antiochiae ao. 270. habita referunt, ubi Paulus tandem a Malchione impietatis et haereticae pravitatis convictus damnatus est; — *Tertulliani Adversus Praxeam liber*, in quo catholicae de s. Trinitate fidei confessionem exponit [2]); — *S. Hippolyti Tractatus contra haeresin Noëti*, qui est postremus liber amplioris operis perditi, cui titulus erat Contra omnes haereses; in

13) in Ej. Opp. ed. M. *le Quien.* T. I. p. 429—465.

14) in Jo. Chph. *Wolfii* Anecdott. graecc. (Hamburg 1722—24. IV. 8.) T. I. p. 1. sqq.

15) ed. Matth. *Rader* (Ingolstad. 1604. 4.) p. 17. sq.; lat. ed. in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XVI. p. 754—764.

16) in Ej. Opp. ed. J. B. *Aucher*, Venet. 1834.

1) in Fragmm. Caji extant. in *Galland.* Bibl. PP. T. II. p. 204.; fragmm. Malchionis ibid. T. III p. 558.

2) in Ej. Opp. ed. *Giraldi.* p. 500—519.

nelii Papae, ut Erasmo quidem videtur) *Liber adversus Novatianum haereticum*, quod Lapsis spes veniae non sit deneganda [8]; item *Epistolae Cypriani ad Cornelium Papam et Antonianum*, nec non Epp. *S. Cornelii Papae ad Cyprianum et Fabium Antiochenum* [9]. — *S. Paciani Contra Novatianos Epistolae III*, quarum duae priores de una eaque vera Ecclesia exponunt, objectionesque rejiciunt (cf. §. 137.); tertia autem *Contra tractatus Novatianos* de poenitentia agit, et Novatianorum errores refellit [10]. — *S. Ambrosii Libri duo de poenitentia* contra falsam Haereticorum istorum doctrinam [11]. — *S. Hieronymi Epistola ad Marcellam contra Novatianum*, in qua roganti Marcellae, quid sit verbum contra Spiritum sanctum, paucis respondet, sensum Novatiani docens esse falsum [12]; Ejusdem *alia Epistola ad eandem*, in qua breviter *Montani* dogmata refellit, et in quibusdam, ubi videbatur ecclesiastica consuetudo nonnihil convenire cum illius institutis, ostendit, quid intersit inter illius errores et Ecclesiae sententiam [13]; Ejusdem *Altercatio Luciferiani et Orthodoxi*, i. e. Dialogus, quo *Luciferianos* perstringit, eo quod arrogantius in catholicam ecclesiam insurrexerint [14].

e) *Contra Donatistas.*

§. **166.** De funesto schismate a Donatistis in Africa primum conflato cf. *Monumentt. vetera ad Donatt. hist. pertinentia* in L. Ell. *Du Pin* edit. Opp. S. Optati (§. 75.). Hanc atrocissimam sectam primus impugnavit *S. Optatus Milev.* fusiori opere suo *De schismate Donatistarum libris VII* adv. Parmenianum Donatistarum apud Cartha-

8) ibid. T. II. p. 157—172.
9) in *Coustantii* Epistoll. RR. Pontiff. ed. *Schoenemann*. p. 89—146.
10) in *Gallandii* Biblioth. PP. T. VII. p. 257. sq.
11) in Ej. Opp. ed. a *Monte Alto*. T. IV. col. 383.
12) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. I. col. 164.
13) ibid. T. IV. P. II. Epist. 28. col. 64.
14) ibid. T. IV. P. II. col. 289. sq.

ginem episcopum, cui ad omnia, quae iste contra Ecclesiam catholicam scripsit, respondet, et Schismaticorum crimina in Catholicos falso et contumeliose retorqueri demonstrat [1]). — Post Optatum singularem Donatistarum commenta oppugnandi partem suscepit *S. Augustinus*. Nam praeter illa, quae temporis injuria perierunt, velut *Contra partem Donati libb. II, Probationum et testimoniorum contra Donatistas liber, Contra nescio quem Donatistam, Admonitio Donatistarum de Maximianistis, De Maximianistis contra Donatistas* etc., multa alia eaque certo genuina ad nos pervenerunt, quae ordine chronologico quo scripta sunt ita sequuntur: *De correctione Donatistarum*, Epistola ad Bonifacium praefectum, cui Donatistas vel adhibita vi coërcendi necessitatem probare adnisus est [2]); *Psalmus contra partem Donati*, ubi hujus sectae historiam et res gestas et statum controversiae exponit; *Contra Parmeniani epistolam ad Tychonium libri III*, quibus criminationes ejus in Catholicos factas rejicit, et s. Scripturae locos, ad quos Parmenianus provocat, rectius interpretatur; *De Baptismo contra Donatistas libri VII*, quibus Baptismum ab haereticis susceptum validum esse probat, et objectiones adversariorum a S. Cypriano maxime petitas refutat; *Contra literas Petiliani libri III*, quibus eam potissimum a Donatistis impugnatam sententiam defendit, S. Baptismi effectus non a ministri hujus sacramenti meritis pendere, sed ab habilitate et dispositione Baptizati; *Ad Catholicos Epistola contra Donatistas s. De unitate Ecclesiae*, cujus libelli genuinitatem nonnulli quidem subdubitant; *Libri IV contra Cresconium Grammaticum*, qui Petiliani supra dicti sententiam tueri conatus est; *De unico Baptismo*, eoque non iterando adversus pravam Donatistarum opinionem ac consuetudinem; *Breviculus collationis cum Donatistis*, qui liber continet synopsin eorum, quae gesta sunt in magna disputatione Carthagine ao. 411 per

---

1) ed. L. E. *Du Pin*. Paris. 1700. f.

2) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. II. col. 653.

tres dies cum iisdem habita; *Ad Donatistas post collationem liber*, quo eorum mendacia de illa disputatione refellit; *De gestis cum Emerito*, Caesareensi in Mauritana episcopo, quocum collationem habuit; *Sermo ad Caesareensis Ecclesiae plebem Emerito praesente habitus*; item *Contra Gaudentium Thamugadensem episcopum libri II*, duabus hujus Donatistae epistolis oppositi, quibus se purgare et defendere Gaudentius conatus est [3]). — Alios porro, qui sub Ejusdem nomine circumferuntur, libros secludendos putavimus, qualis est *Sermo de Rusticiano Subdiacono a Donatistis rebaptizato*, de quo num Augustino jure tribuendus sit, plerique VV. DD. dubitant; item *Contra Fulgentium Donatistam liber*, quem in monumentis adulterinis numerandum esse pro certo affirmant omnes.

f) *Adversus Arianos, Eunomianos, Macedonianos.*

aa) *Patres graeci.*

§. 167. Primus, qui novae haeresi sese opposuit, erat *S. Alexander Alexandrinus*, utqui vi muneris sui Arium haeresiarcham ad resipiscendum frustra admonitum anathemate feriit deposuitque, et Episcopos literis ea de re communicatoriis quaquaversus emissis certiores fecit. Extant ejus hodiedum nonnullae *Epistolae De Ariana haeresi deque Arii depositione* [1]). — Acerrimus autem catholicae veritatis vindex exstitit *S. Athanasius Magnus*, cujus scripta huc pertinentia haec sunt: *Historia Arianorum*, ab initio truncata; *Epistola ad Monachos*, quae quasi prologus est ad historiam Arianismi; *Condemnatio Arii et Sociorum* per Alexandrum supra dictum; *Tractatus in illud: „Omnia mihi tradita sunt a Patre"*, contra pravam Eusebianorum interpretationem; *Orationes V contra Arianos*, egregiae disputationes; *Epistola encyc-*

---

3) ibid. T. IX. col. 1. 11. 79. 205. 389. 527. 545. 581. 617. 625. 635.
1) in *Galland.* Bibl. PP. T. IV.

lica super ordinatione Pisti et Gregorii Arianorum episcoporum; *Apologia contra Arianos*, qua se adversus eorum criminationes defendit; *De Synodi Nicaenae contra Arianorum haeresin decretis Epistola*, in qua Patres ibi congregatos tuetur, eoquod novo usi sint vocabulo ad consubstantialitatem Filii cum Patre designandam; *Epistola de sententia Dionysii Alexandrini*, quem Arianorum sententiae minime favisse ostendit; *Ad Serapionem Episcopum Epistola de morte Arii* [2]); *aliae quatuor ad eundem*, quarum prima, tertia et quarta Spiritus sancti, secunda autem Filii divinitatem defendit; *Epistola de Synodis Ariminiensi et Seleuciensi*, cujus utriusque de Arianismo acta refert; *De incarnatione et contra Arianos*, Tractatus in quo contra Anomoeos et Macedonianos pugnat; *Epist. ad Adelphinum*, in qua zelum ejus in confutandis Arianis laudat; *Epistola ad Maximum philosophum* sive Epitome eorum, quae Maximus adversus Arianos scripserat; alia [3]). — Athanasii opera sequebantur deinceps *S. Basilii Rationes syllogisticae contra Arianos*, quod Filius in Divinis sit Deus [4]); Ejusdem *Antirrheticus adversus impium Eunomium*, qui errores suos tueri conatus est, *libri V*, in quibus divinitatem Christi et Spiritus sancti invicte probat [5]); item *Liber ad Amphilochium De Spiritu S. Deo* [6]). — Is *S. Amphilochius* ipse in certamen cum hostibus his veritatis divinae descendit, ac quamvis liber illius *De Spiritu S. Deo* perierit, ab interitu tamen vindicata est Ejusdem *Epistola Synodica*, qua pro Spiritus S. divinitate contra Pneumatomachos propugnat [7]). — Et quum

---

2) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. I. P. I.

3) ibid. T. I. P. II. – Cf. J. A. Moehler, Athanasius der Große und die Kirche seiner Zeit, bes. im Kampfe mit dem Arianismus, Mainz 1827. II. 8.

4) in H. *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage*. T. I. p. 169. sq.

5) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier*. T. I. p. 207—323.

6) ibid. T. III. p. 1—68.

7) in J. B. *Cotelerii* Monumm. Eccl. graecae (Paris. 1677—86. III. 4.) T. II. p. 99.

interim ad Antirrheticum S. Basilii impugnandum Eunomius haeresiarcha iterum scripsisset Apologiae Apologiam [8]), Basilius autem diem jam tunc obiisset supremam, refutationem suscepit *S. Gregorius Nyssenus*, opponens Orationes s. *libros XII antirrheticos adversus Eunomium* [9]). — Ad haec monumenta accesserunt *S. Gregorii Naz. Oratio in laudem Martyrum et adv. Arianos*, nisi quis id fragmentum potius esse reliquias orationis Chrysostomi statuat; Ejusdem *Oratio ad Arianos et de se ipso;* imprimis vero quinque *Orationes de Theologia*, quarum prima quasi praeludium est disputationis contra Eunomianos, aliae tres contra eosdem directae de Filii divinitate, postrema autem de Spiritu sancto adv. Macedonianos agit; opus tanta ab omnibus admiratione exceptum, ut inde nomen Theologi promeritus sit [10]). — *S. Epiphanii Ancoratus* s. Epistola responsoria, quae est ad presbyteros Pamphiliae scripta cohortatio, qua doctrinam de Trinitate exponens, et divinitatem Christi adv. Arianos, Spiritus sancti autem contra Macedonianos defendens in vera fide instruit fluctuantes, eosque velut per ancoram firmat retinetque [11]). — *S. Joann. Chrysostomi De Incomprehensibili* (Dei natura) *adv. Anomoios homiliae VI;* item *Libri* (s. Homiliae) *XI contra eosdem* [12]). — *S. Cyrilli Alex. Thesaurus sive Dialogi VII de sancta et consubstantiali Trinitate*, immerito a nonnullis in suspicionem adulterini monumenti adducti; Compendium dialogi septimi *De Spiritu sancto*, quod quasi argumentorum in illo adductorum

---

8) Cf. C. R. W. *Klose* Geschichte und Lehre des Eunomius, Kilon. 1833. 8.

9) in Ej. Opp. ed. *Morelli*. T. II. p. 284—864. *Ejusdem* Sermo *de Spiritu sancto adv. Macedonianos pneumatomachos* nuper in lucem editus est in Ang. *Maji* Scriptt. vett. nova Collect. Vol. VIII. P. II. p. 10—25.

10) in Ej. Opp. ed. *Billii* Colon. T. I. pr. p. 413. 529—613.

11) in Ej. Opp. ed. *Petavii*. T. II. p. 1—126.

12) in Opp. omn. ed. *Montfaucon*. T. I.

epitome est; Dialogus ulterior (octavus) *De incarnatione Unigeniti* [13]).

bb) *Latini.*

§. 168. Latinorum Patrum polemica adversus Arianos etc. scripta suppeditant: *S. Hilarii Pictaviensis Libri XII de S. Trinitate*, maxime adv. Arianos conscripti, in quibus doctrina catholica praesertim de consubstantialitate ac divinitate J. Chr. defenditur; Ejusdem *Liber de Synodis s. De fide Orientalium*, qui complectitur variarum in Oriente ab Arianis et Semiarianis habitarum synodorum expositiones et confessiones fidei; item *Ad Constantium Augustum liber*, quo ab imperatore petit, ut persecutiones Arianorum in Catholicos saevientes opprimeret; accedit *Ad eundem liber secundus*, in quo Constantio catholicae fidei formulam proposuit, petens ne malignis adversariorum criminationibus aurem praebeat; praecipue vero huc spectant ejus Duo Libri s. *Epistolae, una Contra Constantium* imperatorem, quem ob multas et atrocissimas persecutiones acerbe perstringit; altera, quae de Actis cum Auxentio, Mediolanensi episcopo et Occidentalium Arianorum tunc temporis principe, refert, eamque relationem cum inscriptione *Adversus Arianos vel Auxentium* ad Orthodoxos direxit hortans, ut ab eo sibi caveant [1]). — *C. Marii Victorini De Trinitate libri IV*, qui in defensione hujus sacrosancti dogmatis adv. Arianos impugnatores versantur; Ejusdem *De ὁμουσίῳ recipiendo*, qui libellus verisimilius Epitome majoris illius operis est; item *De generatione Verbi divini* opusculum s. confutatio Candidi Ariani [2]). — *S. Eusebii Vercell. Epistola ad Constantium*; item *Ep. ad Presbyteros et plebem Vercellensem* scripta, cum in exilium abiret; huic additus est *Libellus facti* q. e. protestatio quaedam contra violentas Patrophili cujusdam Arianorum Episcopi inju-

13) in Ej. Opp. ed. *Aubert.* T. IV.; ed. Hervet. T. II. p. 144. sq.
1) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. I. p. 5—502.; T. II. p. 1—44.

rias [3]). — *Luciferi Calaritani Ad Constantium Augustum pro S. Athanasio Libb. II*, quibus eum vehementissime increpat, docens quam injuste faciat, quod Episcopos ad condemnandum virum sanctum cogat; cujus epistolae quum Imperator inquireret auctorem, ipse libere professus martyrium subire promtus erat, et opusculum alterum cum titulo *Moriendum pro filio Dei* exaravit [4]). — *Faustini Luciferiani presbyteri De Trinitate s. De fide contra Arianos*, septem libros imo melius capita continens [5]). — *S. Ambrosii Libri V de fide ad Gratianum Augustum*, quibus luculenter ac strenue de ss. Trinitate adv. Arianos disputat; Ejusdem *De incarnationis Dominicae sacramento liber*, quo praecipue Apollinaristas et Arianos perstringit; item *De Spiritu sancto libb. III ad Gratianum*, in quibus Spiritus S. divinitatem et cum Patre Filioque consubstantialitatem adv. Macedonianos probat. Sub ejusdem nomine circumfertur *Tractatus de fide orthodoxa contra Arianos*, seu cum inscriptione *De Filii divinitate et consubstantialitate* tractatus; sed illum alii Vigilio, alii Gregorio Nazianzeno tribuunt [6]). — *S. Phoebadii Contra Arianos liber*, quo adversus secundam fidei formulam in concilio Sirmico prolatam ex s. Scripturae locis egregie pugnat [7]). — *Potamii* Ep. Olisippon., priusquam ipse ad Arianos desciverat, *Epistola de consubstantialitate Filii Dei* ad Athanasium Episcopum Alexandrinum [8]). — *S. Hieronymi Epistolae*, quas ad *Damasum* Papam et *Marcum* presbyterum contra Arianos scripsit,

2) in *Galland.* Biblioth. PP. T. VIII. p. 133.

3) ibid. T. V. p. 78.

4) in Ej. Opp. ed. Jo. Dom. et Jac. *Coleti*, Venet. 1778. f.

5) in *Galland.* Bibl. PP. T. VIII. p. 441.

6) in Ej. Opp. ed. F. de *Monte Alto*. T. IV. col. 113. 209. 275. 286. — Cf. M. C. V. *Michelsen* De Ambrosio fidei cathol. adv. Arianos vindice, Havniae 1825. 8.

7) ed. c. nott. Casp. *Barth*. Frankf. 1623. 8.

8) in *Galland.* Bibl. PP. T. V. p. 96.

Epp. scil. XIV. XV. XVI. edit. Maurin. [9]). — S. *Augustini Contra Sermonem quendam Arianorum*, in quo opusculo errores hujus sectae in compendium collatos deinceps refellit; item *Collatio cum Maximino Arianorum episcopo librique duo contra eundem*, quibus adversarium ulterius urget, quum in illa collatione Hippone habita non ad omnes ejus objectiones fusius potuisset respondere [10]). Huc quodammodo spectant etiam Ejusdem *De Trinitate libb. XV* (§. 139.). — S. *Fausti Rhegiensis De Spiritu sancto contra Macedonianos libb. II*, a S. Gregorio M. (perperam, ut videtur) Paschasio Diacono Romano tributi [11]). — *Vigilii Tapsensis* sub nomine S. *Athanasii* scripta *Altercatio adversus Arium* s. Dialogi duo Arium inter et Athanasium in Concilio Nicaeno habiti Probo judice; cum his in plerisque conveniunt alii Dialogi sive *Altercationes III ab Athanasio contra Arium, Sabellium et Photinum institutae;* Ejusque sive, ut alii judicant, Idacii *Libb. XII de Trinitate* s. *De unita trinitate Deitatis*, quorum liber postremus sub singulari inscriptione *De Trinitate ac Spiritu Sancto* a nonnullis genuinum S. Athanasii opusculum creditur; item ejusdem Vigilii (sive, ut quibusdam visum est, Idacii) *Libri III de Trinitate adv. Maribadum* (s. Varimadum) Diaconum et amicum Hunerici regis Vandalorum [12]). — *Cerealis Libellus concertationis de fide SS. Trinitatis adv. Maximinum* Arianorum Episcopum [13]). — S. *Aviti Collatio Episcoporum coram rege Gundobaldo adversus Arianos*, quod quidem opusculum plerique VV. DD. Avito tribuunt, quia ejus fuerint praecipuae ac paene solae in hac collatione partes [14]). — S. *Fulgentii Rusp. Adv. Arianos liber*,

9) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 19—23; ed. *Vallarsi.* T. I.

10) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. VIII. col. 625. 649.

11) in Biblioth. max. *Lugdun.* T. VIII. p. 806.

12) (unac. Victoris Vit. Opp.) ed. Petr. Fr. *Chifflet*, Divion. 1664. 4.

13) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. VIII. p. 671.

14) in *D'Achery* Specileg. (Par. 1661. 4.) T. V.

qui adv. decem sententias adversariorum totidem responsiones de Filii cum Patre coaeternitate et consubstantialitate continet; Ejusdem *Libb. III ad Trasimundum regem*, quibus itidem adversus Arianos de persona Christi agit; *Liber De divinitate Christi ad Victorem* contra sermonem Fastidiosi, qui ad Arianam haeresin descivit [15]). —

g) *Contra Apollinaristas.*

§. **169.** Adversus Apolloniarem juniorem, Laodicenum episcopum, qui Christum ψυχὴν quidem, non πνεῦμα hominis habuisse, sed hujus vices divinam naturam seu Verbum Dei sustinuisse docuit, catholicam veritatem tuentur *S. Athanasii Epistola ad Epictetum*, Corinthiorum episcopum; *De humana natura suscepta ab unigenito Verbo* adv. Arianos et Apollinaristas; *Libri II De incarnatione Christi ac de salutari adventu D. J. Chr.* contra Apollinarem [1]). — *S. Gregorii Naz. Duae Orationes s. Epistt. Ad Cledonium presbyterum adv. Apollinarium*, cujus singulas objectiones seu errores refutat, atque haereticorum istorum versutias secum et cum veritate pugnantes palam ostendit [2]). — *S. Gregorii Nyss. Adversus Apollinarium Epist. ad Theophilum* Alexandriae Episcopum [3]); Ejusd. *Antirrheticus adv. Apollinarium*, in quo imprimis accurate diligenterque disputat [4]). — *S. Joannis Chrysost. Epistola ad Caesarium monachum*, qua itidem Apollinistarum sententiae profligantur [5]). — *S. Damasi Papae Epistola ad Paulinum Antiochenum* De Capitulis fidei contra Macedonium, Eunomium et Apollinarem haereticos;

---

15) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. IX. p. 35. 41. 165.

1) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg.* T. I. p. 453—507.; ed. *Montfauc.* T. I. P. II.

2) in Ej. Opp. ed. *Billii.* Colon. T. I. p. 737—749.

3) in Ej. Opp. ed. *Morelli.* T. III. p. 261.

4) in Laur. Alex. *Zacagni* Collectan. Monumentt. vett. eccl. gr. et lat. (Rom. 1698. 4.) T. I. (unic.) p. 123.; et in *Galland.* Biblioth. PP. T. VI. p. 517.

5) in H. *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage.* T. I. p. 233.

altera Ejusdem *Epistola Synodica contra Apollinarium et Timotheum*, qua utrumque damnatum indicat [6]. — *Leontii Byzantini Adversus eos, qui proferunt quaedam Apollinarii* [7]. — Uberiorem notitiam veterum scriptorum, quae huic haeresi opposita sunt, suppeditat Jo. *Vogt* Biblioth. hist. haeresiol. T. I, fasc. I. p. 85. sqq.

b) *Adv. alios Haeresiarchas minores (Priscillianum, Helvidium, Jovinianum, Vigilantium.)*

§. 170. Occupatum tot tantisque haeresibus orbem christianum multae praeterea exercuerunt lites, quae etsi fuerint leviores et minus dilatati, tamen latinam saltem Ecclesiam nonnullis involverunt turbis, et ss. Patres christianae veritatis custodes atque vindices, in certamina provocarunt. Praecipua adversus notabiliores hujus generis haereticos monumenta Patrum prodierunt: *S. Siricii Papae Epistola* (VII) missa ad diversos episcopos *contra Jovinianum haereticum*, in qua istius et sociorum perversam doctrinam publice prodit, ejusque praecipuos auctores nominatim damnatos denunciat [1]. — *S. Ambrosii* et aliorum Episcoporum *Epistola* (XLII) *ad Siricium Papam*, in qua Joviniani errores recensent ac refellunt, quod meritorum gradus tollat, virginitati conjugium adaequet, S. Mariae in partu virginitatem neget, et jejuniis adversetur [2]. — *S. Hieronymi Liber adv. Helvidium*, qui virginitatem statui conjugali praeferendam negavit, et Mariam post J. Christum natum alios quoque filios peperisse blasphemavit, unde ille in nonnullis exemplaribus liber etiam inscribitur *De perpetua S. Mariae virginitate*; Ejusdem *Liber II adv. Jovinianum*, contra quem quum ita perorasset S. Pater, ut nonnullis vel amicis suis vehemen-

---

6) in *Coustantii* Epistt. RR. Pontiff. ex rec. *Schoenemanni* p. 342. 398.

7) in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. IX. p. 707.

1) in *Coustantii* Epp. RR. PP. ed. *Schoenemanni*. T. I. p. 441.

2) ibid. p. 445.

tius acerbiusque scripsisse videretur, singularem emisit *Apologeticum ad Pammachium* pro libris, quos contra Jovinianum evulgaverat. Extat Ejusdem etiam *Epistola ad Vigilantium* Barcinonensem in Hispania presbyterum (quae est in edit. Maurin. Epist. XXXVI), in cujus fine eum haereticae pravitatis acriter coarguit; item *Epistola* (XXXVII) *ad Riparium* presbyterum Tarraconensem, qui literis eum certiorem fecerat, quod Vigilantius doceret, Martyrum non venerandos esse cineres, damnaretque solemnes Christianorum ad horum sepulchra vigilias. His igitur literis admonitus Hieronymus emisit *Librum contra Vigilantium*, ostendens morem Ecclesiae de cultu Sanctorum et veneratione Reliquiarum [3]). — *Orosii Commonitorium de errore Priscillianistarum et Origenistarum*, Epistola ad S. Augustinum consultatoria, cui *S. Augustinus* in *Libro ad Orosium contra eosdem* respondet [4]); sed Priscillianistas breviter duntaxat perstringit, eoquod, qum Manichaeos totidem refutasset, jam etiam Priscilliani errores una profligaverat. — *S. Leonis M. Epistola ad Turibium* adversus Priscillianistarum reliquias [5]); et *Turibii* Episcopi Hisp. *Epistola . . de secta Priscillianistarum ad Idacium et Caponium* [6]). — Denique *Tractatus de s. Trinitate* seu in Symbolum apostolicum, olim S. Ambrosio, rectius vero *posteriori alicui Scriptori* tributus; scriptus est enim *adversus Priscillianistas* ad defendendam auctoritatem concilii Toletani ao. 563 habiti [7]). — *S. Ildephonsi Toletani Liber de illibata virginitate B. Mariae contra Infideles*, eos scilicet, qui perpetuam B. Dei Genitricis virginitatem negant [8]).

---

3) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 129. 144. 230. 275—289.

4) in S. August. Opp. ed. *Maurin.* T. VIII. col. 611.

5) in Ej. Opp. ed. *Ballerin.* T. I. Ep. 15.

6) ibid. post Ep. XV.

7) in Opp. *S. Ambrosii* ex ed. *Monte Alti.* T. IV. col. 87.

8) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XII. p. 549—571.

i) *Adversus Pelagianos et Semipelagianos.*

§. 171. Contra Pelagianos inter monumenta Patrum supersunt *S. Hieronymi Epistola* (XLIII) *ad Ctesiphontem*, cui ad quaestionem, utrum peccatum quis possit radicitus evellere, ut nullae omnino reliquiae supersint, ita respondet, ut praecipuas Pelagii opiniones rejiciat; Ejusdem *Dialogi contra Pelagianos libri III*, quibus in forma dialogi Haereticorum sententias de libero arbitrio, de peccato originali etc. impugnat [1]). — *Orosii Apologeticus contra Pelagianos de arbitrii libertate*, in quo de Synodo Hierosolymis ao. 415 habita accuratissime refert [2]). — Omnium autem, qui Pelagianam haeresin verbis scriptisque profligandi provinciam sibi sumserunt, primum locum tenet *S. Augustinus*. Pertinent huc ejusdem *Sermo de baptismo Parvulorum adversus Pelagianos;* De verbis Evang. Joann. „*Nisi manducaveritis carnem* etc.“; *De verbis Apostoli et Psalmorum*, alia [3]); inprimis autem, quae sequuntur opera: *De praesentia Dei, ad Dardanum Galliae Praefectum*, qui libellus inter Epistolas Augustini extat, et multa exhibet Pelagii erroribus opposita, quamquam ipse Pelagius non expresse nominatur [4]); *De peccatorum meritis et remissione, deque Baptismo Parvulorum ad Marcellinum libri III*, in quibus jam Pelagianismo oppositas de peccato originali et gratia Dei ad justificationem omnino necessaria sententias struit; *De spiritu et litera ad eundem*; libellus ad tuendam sententiam suam supra depositam adversus objectiones quasdam Marcellini conscriptus; *De natura et gratia liber* adversus Pelagii libellum „De natura“ compositus; *Liber de perfectione justitiae hominis*, contra Coelestium, ad cujus objectiones respondens Gratiae necessitatem probat; *De gestis Pelagii* ad Aurelium episcopum, cui doctrinam Pelagii exponens osten-

1) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II, col. 473. 483.
2) in Ej. Opp. ed. *Havercamp.* p. 588. sq.
3) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. V.
4) ibid. T. II. col. 678.

dit versutiam haeresiarchae, quae Patribus Palaestinensibus illusit; *De Gratia Christi et peccato originali libri II*, quibus demonstrat, Pelagium et Coelestium coram Zosimo Papa necessitatem Gratiae simulato confessos esse; alii *Libri II de Nuptiis et Concupiscentia* ad Valerium Comitem, in quibus ad objectionem, quod admisso peccato originali conjugium illicitum sit, Pelagianis respondet; *De anima et ejus origine*, qui liber, etsi non directe adversus Pelagianos conscriptus est, tamen huc pertinere videtur, quod dubia nonnulla a Vincentio Victore commota de peccati originalis propagatione resolvit; *Libri IV contra duas epistolas Pelagianorum* ad Bonifacium Papam scripti, qui expositionem catholicae fidei adversus Pelagianos complectitur, refutatis iis criminationibus, quae Julianus aliique duo Episcopi Pelagiani ad Papam detulerunt; *Contra Julianum Libri VI*, qui fusiorem continent refutationem librorum quatuor, quibus Pelagius inter alia commenta doctrinam catholicam Manichaeorum erroribus commixtam asseruerat; Operis imperfecti *Contra secundam Juliani responsionem libri VI.* Scripserat autem Julianus octo libros, quos refutaturus erat S. Augustinus, sed morte impeditus opus absolvere non potuit [5]). — *Marii Mercatoris Commonitorium super nomine Coelestii* ad Theodosium, complectens paucis historiam Pelagianae haeresis; Ejusdem *Commonitorium adv. haeresin Pelagii et Coelestii*, continens Theses Juliani unacum refutationibus [6]). — *S. Gelasii I.* Papae *Adversus Pelagianorum haeresin* [7]).

§. 172. Quod ad *Semipelagianismum* est [1]), primus

---

5) ibid. T. X., col. 1. 86. 127. 167. 191. 230. 279. 338. 411. 498. 874.

6) in Ej. Opp. ed. *Garnerii* Par. 1673. f. et in *Galland.* Bibl. PP. T. VIII. p. 613.

7) in *Mansi* Coll. Concil. T. VIII. col. 101.

1) Cf. G. F. *Wiggers* De Joanne Cassiano Massil., qui Semipelagianismi auctor vulgo perhibetur, Rostoch. 1824. 25. II Dissertt. 4. — Jo. *Geffken* Historia Semipelagianismi antiquissima. Goetting. 1826. 4. — J. G. *Voigt* Commentatio de theoria Augustiniana, Pelagiana, Semipelagiana et Synergistica. Goetting. 1829. 4.

adversus eum in pugnam descendit idem *S. Augustinus.* Extant ejus opera: *De Gratia et libero Arbitrio ad Valentinum Abbatem et monachos Adrumetinos*, in qua commentatione nonnullos apud Adrumetum Monachos perstringit, qui omnia ad gratiam divinam referendo hominis libertatem tolli existimabant, ideoque divinam non mere gratuito, sed pro cujuscunque meritis gratiam concedi putabant: *De correptione et gratia*, quo libro ad objectiones ab iisdem oppositas respondet; *De praedestinatione Sanctorum* ad Monachos nonnullos Massilienses, qui hominis voluntatem debere divinae gratiae antecedere eique quasi obviam ire dictitabant; *De dono perseverantiae*, ubi id quoque, quod quis in Christo perseveraverit, gratiam seu merum donum Dei esse docet [2]). — S. Augustini doctrinam acriter propugnabant SS. Hilarius et Prosper. De *Hilarii* Scriptis praeter *epistolam ad S. Augustinum* [3]) unacum S. Prosperi Epistola ad eundem missam nihil nobis superest. *S. Prosperi Aquitanici* autem extant *Epistola ad Augustinum de reliquiis Pelagianae haeresis in Gallia*, qua eum certiorem fecit de Monachis quibusdam Massiliensibus ab Augustiniana doctrina dissentientibus [4]); *Epistola ad Rufinum De gratia et libero arbitrio*, adversus Semipelagianos certans; *Pro Augustino responsiones ad capitula objectionum Gallorum calumniantium*, eo consilio scriptae, ut Augustini doctrinam de Praedestinatione tueretur adversus Gallorum vituperationes, quas in brevioribus nonnullis thesibus s. capitulis conscripserant; ejusdem argumenti et dispositionis sunt *Responsiones ad capitula objectionum Vicentianarum pro Augustino*, contra Vincentium sive Sanctum illum Lirinensem (ut Vossius et Noris judicant) sive alium quendam ejus nominis (quod Maurinis videtur); et *Pro Augustino responsiones ad Excerpta, quae de Genuensi civitate sunt missa*, quibus duo-

2) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. X. col. 718. 750. 790. 822.
3) ibid. T. II. Epist. CCVI. col. 825.
4) ibid. T. II. col. 820.

rum Gennensium clericorum dubia resolvit [5]; denique *De gratia et libero arbitrio liber contra Collatorem* [6]) i. e. S. *Joannem Cassianum*, qui doctrina Augustiniana mitiorem de gratia et libero hominis arbitrio sententiam propugnavit in opere suo, quod inscribitur *Collationes Patrum* ita dictae, quia in hac vitae sanctioris institutione ad monachos directa in forma dialogica sententias suas quasi ex ore ss. Orientalium Doctorum traditas proposuit. Est autem praecipue *Collatio XIII*, quam Prosper impugnat [7]). Scripsit idem *S. Prosper Carmen de Ingratis* s. *De libero arbitrio contra Ingratos liber I*, versibus epicis conscriptus, quo Pelagianos notat et Semipelagianos, tanquam homines erga Deum ejusque gratiam ingratissimos [8]). — Huc referri possunt *S. Fulgentii Ruspensis Libri II ad Monimum, Libri III ad Joannem et Venerium* (§. 145.); haec enim opuscula divi Augustini de libero arbitrio et gratia deque praedestinatione sententias stricte tenent, praesertim Ejusdem *De incarnatione et gratia Domini nostri ad Petrum Diaconum aliosque liber unus*, unde is etiam subjunctus est operibus Augustini [9]). — *Auctoris incerti* Opusculum *De vocatione omnium gentium* [10]), ubi auctor D. Augustini contra Pelagium doctrinam de Gratia, sed mitiori aliqua interpretatione tuetur. — *Anonymi Libri III*, qui inscribuntur *Praedestinatus* s. *Praedestinatorum haeresis et libri S. Augustino temere adscripti refutatio* [11]). Liber primus nonaginta haereses antiquiores refert; secundus commentationem exhibet de Praedestinatione S. Augustini nomine

---

5) ib. T. X. Append. col. 163. 198. 207. 214.

6) ibid. Append. col. 171. — Adde *S. Coelestini* Papae pro Prospero et Hilario *Epist. De gratia Christi;* inter Opp. *Joann. Cassiani* ex rec. Alard. *Gazaei.* (Lips. 1733. f.) p. 644—647.

7) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. VII. p. 177—184.

8) ibid. T. VIII. p. 105.

9) in Opp. S. August. ed. *Maurin.* T. X. Append.

10) in Opp. S. Leonis M. ed. *Ballerin.* T. II. p. 661.

11) in *Galland.* Biblioth. PP. T. X. p. 355.

inscriptam sed ita compositam, ut gratiae divinae cum libero hominis arbitrio conciliandae difficultas ad extremum agitata videatur; tertio deinde libro haec doctrina, quae Praedestinatianorum fuisse dicitur, refutatur. — *S. Fausti Regiensis Epistola ad Lucidum presbyterum*, quem ab errore Praedestinatianorum revocare studet; et Ejusdem *De gratia Dei et humanae mentis libero arbitrio libri II*, quibus et Pelagii et eorum, qui cum Lucido Presbytero Augustinianae doctrinae modum excedunt, sententias solide reprobavit [12]). —

§. 173. Huc item spectant controversiae de Praedestinatione, quas seculo medio IX *Gotteschalcus* Saxo, primum Fuldensis deinde Orbacensis monachus, commovit. Duplicem, quam is praetendit, eamqne absolutam praedestinationem sive electorum ad vitam sive reproborum ad mortem strenue impugnarunt *Rabanus Maurus* Archiepiscopus Moguntinus in *Epistola De praedestinatione adv. Gothescalcum* [1]); *Hincmarus* Archiepiscopus Rhemensis in *Libro de Praedestinatione Dei et libero arbitrio* [2]); *Pardulus* Laudunensis Episcopus in *Epist. ad Amolonem; Amolo* Ep. Lugdunensis in *Libro Sententt. Augustini de Praedest. et libero arbitrio*, nec non in *Epist. ad Godeschalcum; Joannes Erigena* in *Libro de divina praedestinatione contra Godeschalcum* ad instantiam Hincmari scripto ita tamen, ut non omnino vitiis careret. Golteschalco autem patrocinati sunt *Lupus Servatus*, Abbas Ferrierensis, in *Epistt.* (CXXVIII) *ad Carolum Calvum* regem et (Ep. CXXIX) *ad Hincmarum*, nec non in *libro suo De tribus quaestionibus; Anonymus* (quem *Remigium* Amolonis in Ecclesia Lugdunensi successorem plerique esse putant) auctor *Libri de tribus epistolis* (sc. Hincmari et Parduli ad Amolonem et Epist. Rabani ad Nothingum) et alterius libelli *De tenenda veritate Scripturae; Ra-*

12) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. VIII. p. 524.

1) ed. *Sirmond.* Paris. 1647. 8., et in Ej. Opp. T. II. p. 1289.

2) in Ej. Opp. omn. ed. *Sirmond.* Par. 1643. II. f.

tramnus, Corbeiensis monachus, in *Libb. II de Praedestinatione*; *Florus* Diac. Lugdunensis in *Sermone s. Lib. contra Joannem Scotum*; *Prudentius* Episc. Tricassinus in *Epist. ad Hincmarum et Pardulum*, et in *Lib. De praedest. contra Joannem Scotum*; hi omnes ita a parte steterunt Gotteschalci, ut ejus sententias mitius interpretari niterentur, et maxime Joannis Erigenae minus aptam refutationem impugnarent. Horum omnium Scripta, quae huc pertinent, in unum collecta extant [3]).

ꝭ) *Contra Nestorianos et Eutychianos.*

aa) *Scriptores graeci.*

§. 174. Contra *Theodorum Mopsvestenum* [1]) et *Nestorium* [2]), qui negata unione personali solam moralem naturarum in Christo unionem ideoque duas in eodem personas statuerunt; nec non adversus *Eutychetem* [3]) et Monophysitas omnino, qui unam tantum in Christo post adunationem admiserunt naturam, variae Patrum refutationes evulgatae sunt, et a Scriptoribus graecis imprimis *S. Cyrilli Alexandrini Adversus Nestorii blasphemias contradictionum Libri V*, quibus ejus haeresin egregie refellit; *Explanatio XII Capitulorum*, in quo opusculo postulantibus in Ephesina Synodo Patribus sejunctim anathematismi singuli adversus Nestorii errores referuntur, et cuilibet declaratio sive explicatio adjungitur; *Liber de Trinitate*, in quo de duabus in Christo naturis copiose

3) in Gilb. *Maugin*. Vett. Auctt., qui seculo IX de Praedestinatione et Gratia scripserunt, Opp. et Fragmm. Paris. 1650. II. 4.

1) *Theodori Mopsvest*. Fragmenta in *Harduini* Actt. Concill. et Episc. decrr. (Paris. 1715. XII. f.) T. III. col. 1. sq.; et in *Galland*. Biblioth. PP. T. XII. p. 690.

2) *Nestorii* Homiliae in M. *Mercatoris* Opp. ed. *Garnerii* (Paris. 1673. f.) P. II. p. 5. sq.; *Ejusd*. Opp. aliorum fragmm. in Opp. *S. Cyrilli* ex ed. Auberti.

3) *Breviculus historiae Eutychianistarum*, in *Mansi* Collect. Concil. T. VII. col. 1060. sq.

disserit auctor; *Dialogus (nonus) De eo, quod unus sit Christus* contra Nestorianam haeresin; *Scholia de Unigeniti Incarnatione*, in quibus catechetice dogma contra Nestorium pertractat; et *De incarnatione tractatus brevior*, ubi illius objectionibus respondet; *Apologia pro XII Capitulis, contra Orientales Episcopos*, qui nempe eadem a partibus Nestorii stantes scriptis suis impugnarunt; item *Apologeticus adversus Theodoretum* Cyri episcopum pro iisdem anathematismis; et alius *Apologeticus ad Theodosium imperatorem* in eadem Nestorii causa [4]). — *Theodoti Ancyrani Homilia contra Nestorium;* et Ejusdem *Liber adversus eundem* s. Nestorii ex Scriptura et fide Concilii Nicaeni confutatio [5]). — *S. Procli Laudatio in S. Dei Genitricem Mariam*, Homilia; alia Homilia *De incarnatione Domini Jesu Christi*, utraque haereticorum potissimum erroribus opposita; item *Epistola de Fide*, ad Armeniae episcopos et archimandritas directa [6]). — *Theodoreti Eranistes s. Polymorphus*, sic dictus, quia videlicet haeresis, quam ibi impugnat, ex pluribus Sectariorum principiis quasi emendicata et consarcinata est. Opus hoc quatuor constat partibus s. libris, et in primo Filii divinitatem esse immutabilem, in secundo duas in Christo inconfusas naturas, in tertio Salvatoris divinam naturam fuisse impassibilem demonstrat, in quarto ea, quae tribus his dialogis uberius exposuit, arctius in forma syllogistica constringit, unde liber primus *immutabilis*, secundus *inconfusus* (atque is est, qui maxime huc spectat), tertius *impassibilis*, quartus *Demonstratio per Syllogismos* inscriptus est. Pertinent huc etiam Ejusdem *Fabularum haereticarum* libri *quarti caput* 12 *et* 13. Sunt quidem, qui duodecimum, eoquod Ne-

4) in Ej. Opp. ed. Gent. *Hervet.* T. II. ed. *Auberti.* (Paris. 1638. VI. f.) T. V. et VI. Eadem fere, additis insuper multis aliis, quae huc spectant monumentis, gr. et lat. extant in *Mansi* Coll. Conc. T. V. col. 1—422.

5) in *Galland.* Biblioth. vett. PP. T. IX.

6) in Ej. Opp. ed. *Riccardi.* Rom. 1630. 4.

storius ibi acrius vituperatur, tanquam supposititium rejiciunt; nos autem ab Leontii Byzantini Photiique testimoniis, qui caput istud Theodoreto diserte tribuunt, non esse recedendum putavimus, cum praesertim adversariorum argumenta rem minime conficiant. Praeterea Ejusdem commemorandi sunt *Libri XXVII variarum propositionum* (adversus Eutychianos), quos in compendio Photius refert et Theodoreto attribuit; sed sex priores perierunt exceptis iis, quae in Pentalogio Theodoreti existunt fragmenta, reliqui vero testante Mario Mercatore probabilius *Eutherium Tyanensem* auctorem habent. Supra dictis adde sis libellum, qui inscribitur Theodoreti *Reprehensio XII anathematismorum s. capitum Cyrilli*, ubi causam Nestorii tuetur et in Cyrillum invehit, quod mentem Nestorii minus recte sit assequutus ac proposuerit [7]). — *Joannis Maxentii* Scythopolitani (c. a. 520) Capitula s. *Anathematismi contra Nestorianos*, et Ejusdem *Dialogi contra Nestorium libri II* ad Theophilum [8]). — *Ephraëmi Alexandrini Adversus Monophysitas*, opus deperditum exceptis iis, quae Photius excerpta memoriae nostrae prodidit [9]). — *Justini Siculi Expositio rectae confessionis*, olim S. Justino Martyri tributa, a Ceilliero autem huic Siculo restituta, in qua de Trinitate deque Incarnatione Verbi adversus Nestorii et Eutychetis errores disputatur [10]), et in priori quidem libro *De Trinitate* satis scite et catholice, secus in altero *De Incarnatione*, ubi auctor nonnihil hallucinatus (ne dicam impie locutus) est. — *Leontii Byzantini Contra Nestorium et Eutychen Libri III*, qui nunc latine tantum extant; et Ejusdem *Dubitationes hypotheticae et definitiones adv. Eutychianos*, s. eos, qui negant esse in Christo post unionem duas veras naturas,

7) in Ej. Opp. ed. Jo. Lud. *Schulze* (et Noesselt). T. IV. P. I. p. 1. sq., P. II. p. 1054; T. V. P. I. p. 1. sq., P. II. p. 1113.

8) in Biblioth. max. PP. *Lugdun.* T. IX. p. 537. 546.

9) *Photii* Bibl. Codd. CCXXVIII. CCXXIX.

10) in *S. Justini* Mart. Opp. ed. *Maurin.* Append. P. I. p. 450.

latine tantum ex interpretatione Fr. Turriani servatae [11]. — *Timothei* Presb. Constantinop. *De iis, qui ab Haereticis ad Ecclesiam accedunt;* Libellus ad historiam Monophysitarum concernens [12]. — *S. Anastasii Sinaitae* Ὁδηγός i. e. Dux viae adversus Acephalos [13]. — *Eulogii Alexandrini Capp. VII de duabus naturis Domini Deique Salvatoris nostri* [14]. Extant Ejusdem et alia *fragmenta*, quae Photius nobis servavit [15]. — *Theodori Abucarae De unione et incarnatione* [16]. — *S. Joannis Damasc. Libellus contra Acephalos* (Jacobitas), in quo duas et inconfusas in Christo esse naturas exponit; Ejusdem *Institutio elementaris* introductionis instar ad dogmata, quae tribus sequentibus libris continentur, intelligenda, jam enim sequitur Tractatus *de natura composita contra Acephalos* (Monophysitas); alius *(adversus Monotheletas)* in quo obiter et de duabus in Christo naturis et una hypothasi adv. Monophysitas disserit; deinde alius *Adversus exosam Deo Nestorianorum haeresin* [17].

bb) *Latini.*

§. 175. *Leporii*, Monachi in Gallia, *Libellus emendationis s. satisfactionis ad Episcopos Galliae*, quo, postquam a S. Augustino a Pelagiana et (quae ab ea derivari solet) Nestoriana haeresi revocatus est, cum erroris pristinae detestatione catholicam fidem confitetur [1]. — S.

11) in H. *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage*. T. I. p. 535—596; et Biblioth. PP. max. *Lugdun.* T. IX. p. 674. 721.

12) in *Combefisii* Auctar. nov. (Par. 1648. f.) T. II.

13) gr. et lat. in J. *Gretseri* Opp. (Ratisbon. 1740. f.) T. XIV, p. 2. sq.; lat. tantum ex versione Gretseri in Bibl. PP. Lugdun. T. IX. p. 810—857.

14) in *S. Maximi* Opp. ed. *Combefisii* (Paris. 1674. II. f.) T. II.

15) *Photii* Biblioth. Codd. CCXXV. sqq.

16) in *Galland.* Biblioth. PP. T. XIII.

17) in Ej. Opp. ed. Mich. *le Quien*. T. I. p. 397—427. 514—572.

1) in *Marii Mercatoris* Opp. ed. *Garnerii*. P. I. p. 224. sq. et in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. VII. p. 1—4.

Joannis Cassiani De incarnatione Christi libri VII contra Nestorianos errores, quos refutare studet adjectis multorum Patrum cum graecorum tum latinorum argumentis [2]). — *Marii Mercatoris Refutatio Symboli Theodori Mopsvesteni* s. expositio pravae fidei Theodori; *Comparatio dogmatum Pauli Samosateni et Nestorii*, quibus auctor e pluribus Nestorii Sermonibus excerpta et *Epistolas* nonnullas *Ejusdem ad Cyrillum et Cyrilli ad Nestorium*, aliaque hue pertinentia adjecit; item *Contradictiones adversus anathematismos Nestorii* i. e. Nestorii Anathematismi XII totidem S. Cyrilli anathematismis oppositi, a M. Mercatore in latinam linguam translati addita singulis refutatione [3]). — *Capreoli* Episcopi Carthaginensis *De una Christi Dei et Hominis persona, contra Nestorium* Epistolae duae cum tertiae fragmento [4]). — *S. Petri Chrysologi Epistola ad Eutychetem Archimandritam*, qua eum ab errore abducere et ad veram doctrinam amplectendam commovere adnisus est [5]). — *S. Prosperi Aquit. Epitaphium Nestorianae et Pelagianae haereseos, Elegia* [6]). — *S. Leonis M. Epistola ad Flavianum*, De Christi una Persona et duabus naturis secundum principia ss. Scripturae et Traditionis exposita. Ejusdem *Epistola ad Leonem Augustum* [7]). Sufficiat enim ex ingenti numero Epistolarum, quas in hac causa emisit s. Pontifex, hasce duas attulisse, quippe quae ceteris plenius catholicum dogma adversus istos haereticos explicant atque propugnant. — *S. Felicis III.* Papae *Epistola ad Petrum Fullonem* ex Synodo Romana, qua eum monet, ut resi-

---

2) in Ej. Opp. ed. Alardi *Gazaei*. p. 679. sq.

3) in Ej. Opp. ed. *Garnerius*. Paris. 1673. emend. Steph. *Baluze*. Par. 1684. 8.; et in *Gallandii* Biblioth. PP. T. VIII. p. 615. sq.

4) in *Galland*. Bibl. PP. T. IX. p. 490. sq.

5) in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. VII. p. 979.

6) in Ej. Opp. ed. *Le Brun* et *Mangeant* p. 198.

7) in Ej. Opp. ed. *Ballerinorum* Epist. XXVIII. et Epist. CLXV; utraque etiam gr. lat. in *Mansi* Coll. Concil. T. V. col. 1368. T. VI. col. 349.

piscat; *alia ad eundem*, qua deponitur et anathematizatur; item *Tractatus*, in quo, quae pro Acacio afferebantur, refellit; eumque, ut juste et rite damnatum, ita nonnisi canonice restituendum ostendit [8]. Alias Ejusdem Epistolas silentio praetermisimus. — *S. Fausti Regiensis Epistola ad Gratium Diaconum*, qua Nestorii errores tranquille et ingenioso sermone impugnat [9]. — *S. Gelasii Papae De duabus in Christo naturis contra Eutychetem et Nestorium* [10]; qua quidem liber, a Gennadio eximie laudatus, plurimorum DD. VV. judicio (non tamen sine ulla contraditione) Gelasio adcensetur. — *Vigilii Tapsensis Adversus Nestorium et Eutychetem Libri V* pro defensione Synodi Chalcedonensis, firmata argumentis e S. Scripturae et SS. Patrum locis petitis [11]. — *Severini Boëthii Adversus Eutychen et Nestorium de duabus naturis et una persona Christi Liber* ad Joannem Diaconum Romanum scriptus, in quo pravam utriusque haeretici doctrinam impugnat [12]. — *Fulgentii Ferrandi Epist. ad Anatolium Diac. Rom.* De duabus in Christo naturis, et quod unus de Trinitate natus passusque dici possit [13]. — His a nobis recensitis libris addesis *Fulgentii Ferrandi, Facundi, Rustici et Liberati*, quae de continuatis Monophysitarum erroribus agunt, opera infra (§. 177.) memorata. — Pleraque veterum latinorum Scriptorum opera, quae de una persona et duabus in Christo naturis agunt, in unum collecta edidit Jos. *Simlerus* Tigur. 1572. fol.

l) *Adversus Origenistas et pro trium Capitulorum defensione.*

§. 176. De *Origenis* orthodoxia multa disputata,

8) in *Mansi* Coll. Conc. T. VII. col. 1037. sqq.
9) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. VIII. p. 553—555.
10) ibid. T. VIII. p. 699—707.
11) ibid. T. VIII. p. 722—743.
12) in Ej. Opp. ed. Loriti *Glareani*. Basil. 1570. f.
13) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. IX. p. 202—509.

variaque et diversa post ejus obitum judicia promulgata sunt. Primus ejus doctrinam *impugnavit S. Methodius* Tyri Episcopus in *Libro de Resurrectione* [1]); item in commentatione *De Pythonissa adversus Origenem*, cujus libri nihil ad nos pervenit. Contra *S. Pamphilus apologiam* pro eo scribere aggressus est, quam *Eusebius Caesareensis* absolvit ediditque cum inscriptione: *Pamphili Martyris Apologia pro Origene libri VI*; sed hi quoque temporis injuria perierunt exceptis nonnullis fragmentis [2]) et toto libro I, qui a Rufino in latinum translatus hodiedum extat [3]). Idem *Rufinus* aliud Origenis opus *De Principiis* latine vertens S. Hieronymum in certamen provocavit. Quum is enim in praefatione istius operis figuratis laudibus Origenis sectatorem se satis aperte indicasset, Hieronymus accuratiorem ejusdem libri περὶ ἀρχῶν versionem adornatam Romam misit. Quod aegre ferens Rufinus pro defensione sua *Apologiam pro se ad Anastasium Papam* [4]) obtulit, qua se ob interpretationem librorum Origenis purgare studuit edita simul fidei suae professione, et evulgatis aliis *Duobus libris invectivarum in Hieronymum* [5]). Qua re commotus *S. Hieronymus* scripsit *Apologeticos adversus Rufinum Libros tres* [6]), quibus contra criminationes istius se defendit et Rufini Apologiam impugnat. Notanda sunt praeterea Ejusdem *Epistola ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani*, potissimi tunc in Oriente Origenis fautoris, cujus cuniculos in propugnandis erroribus subvertit; *Epistola ad Theophilum adversus eundem*, in qua suam interpretationem latinam Origenis adversus querimonias Joannis Hierosolymitani defendit; *De erroribus Origenis Epistola ad Pamma-*

1) Ext. fragmm. apud *S. Epiphan.* in Haeres. LXIV et *Photii* Cod. CCXXXIV.

2) in *Photii* Bibl. Cod. CXVIII.

3) in *Origenis* Opp. ed. Car. (et Vinc.) *de la Rue.* T. IV.

4) in *Coustantii* Epp. RR. Pontiff. ed. *Schoenemann.* p. 478.

5) in *S. Hieronymi* Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 350—461.

6) ibid. col. 349—473.

chium et Oceanum, a quibus exstimulatus Origenis errores prodit, ostendens frustra eum defendi ab iis, qui suam haeresin illius praetextu tueri studuerint; *Epistola duae ad Theophilum*, ubi collaudat ejus prudentiam, cujus industria ac lenitate victa est Origenistarum factio; *Epistola ad Pammachium et Marcellam*, quibus nuntiat iterum Theophili Alexandrini opera Origenem damnatum; *Epistola ad Avitum*, ubi de erroribus Origenis in libris De Principiis indicat, quae sint illic impie dicta, hoc scilicet curans, ne aut periret liber, aut cum pernicie legeretur [7]. — His S. Hieronymi Epistolis in editione Maurina additae sunt etiam *Theophili* Alexandrini *Epistolae ad Hieronymum*; una, in qua nuntiat, victos et explosos ac damnatos esse Origenistas; altera, ubi monet, ut eos etiam, qui clam Origenem sequantur, ejiciat [8]. — Supersunt etiam quae huc spectant S. *Epiphanii Epistolae*, altera *ad Hieronymum*, quae haeresin damnatam nuntiat; altera *ad Joannem Hierosolymitanum* [9]; item S. *Anastasii I.* Papae *Ad Joannem Hierosolymitanum super nomine Rufini* Epistola responsoria ad quaestionem, utrum Rufinus ob versos istos e Graeco libros Origenis damnandus esset; et Ejusdem alia *Ad Simplicium Mediolanensem Episcopum*, cui studium Theophili Alexandrini ac vigilantiam pro exstirpanda haeresi collandans nuntiat, a se quoque Origenianis erroribus inflictum esse anathema [10]. — Accedunt S. *Augustini Contra Priscillianistas et Origenistas liber ad Orosium*, in quo S. Doctor imprimis Origenistarum errores de natura et praeexistentia animae et poenis damnatorum, quod non sint aeternae, refellit [11]. — *Theodori Scythopolitani Libellus de erroribus Origenis*,

7) Epp. XXXVIII. XXXIX. XLI. LIX. LXI. LXXXVII. XCIV; ibid. col. 306. 334. 341. 597. 689. 760.

8) Epp. LX. LXII, ibid. col. 598. 599.

9) Ej. Opp. ed. *Petavii* T. II. p. 312—317. et in Opp. *S. Hieronym.* ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 599. 822.

10) in *Coustant.* Epistt. RR. Pontiff. ed. *Schoenemanni* p. 485. 493.

11) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. VIII. col. 611.

quem scripsit, postquam ab erroribus istis resipuit, quos ipse antea acriter sectatus erat [12]).

§. **177.** Sed non ita multo post quam deferbuerat aestus iste, nova *lites Origenianae* per haeresin damnandam *Monophysitarum* incrementa acceperunt, et aliam eamque longe acriorem *de tribus Capitulis* utpote Nestorianismo faventibus controversiam pepererunt. Sub hoc nomine intelliguntur *Theodori Mopsvesteni* scripta [1]), *Theodoreti* Reprehensio XII anathematismorum S. Cyrilli contra Nestorium [2]), et *Ibae Edesseni* Epistola ad Marin Persam [3]). De his viris et eorum libris actum esse in *Concilio Constantinopolitano II* seu *oecumenicorum quinto* [4]) constat. In actis autem hujus synodi ex recensione *Mansiana* insunt etiam *Vigilii Papae Epistola ad universam Ecclesiam*, Epistola *contra Rusticum Diaconum et Sebastianum*, et Epistola *Clericorum Italiae* etc.; porro, quae maxime ad hanc causam concernunt, *Vigilii Constitutum* [5]), quo quidem Theodori Mopsvesteni scripta tanquam erronea proscribuntur, ipse vero auctor non damnatur, nec in causa Theodoreti et Ibae quidquam innovatur; item Ejus *Epistola ad Eutychium* [6]), ubi decreta Synodi, quibus tria Capitula damnata sunt, exilio fractus approbavit. Subjunguntur praeterea *Justiniani* imperatoris *Epistola ad Concilium oecumenicum V* [7]), cui insertum est fragmentum *Judicati* a *Vigilio* emissi [8]); nec non *Epistola ad Mennam adversus impium Origenem*; et *Confessio rectae fidei*

12) in *Gallandii* Biblioth. PP. T. XI.

1) Fragmm. *Theodori* vd. §. 174. not. 1. — Cf. *Le Bret* De Fragmm. Theodori Mopsvest. Tubing. 1790. 4.

2) in Ej. Opp. ed. *Schulze*. T. V. P. I. p. 1 sq.

3) in Actt. Conc. Chalcedon. (*Mansi* Coll. Concil. T. VI. et VII) Actio X. ib. T. VII. col. 203.

4) in *Mansi* Coll. Conc. T. IX. col. 375.

5) ibid. T. IX. col. 61. sq. et 457. sq.

6) ibid. col. 187.

7) ibid. col. 178.

8) ibid. col. 181.

Justiniani adversus tria Capitula [9]). Inprimis autem hic commemoranda sunt, quae Episcopi Ecclesiae Africanae pro defendenda Synodi Chalcedonensis auctoritate, quam damnatis tribus Capitulis labefactari arbitrabantur, memoriae prodiderunt: *Fulgentii Ferrandi Epistola ad Pelagium et Anatolium Diaconos Romanos de duabus in Christo naturis; pro Epistola Ibae Edesseni, tribusque capitulis* Conc. Chalcedonensis, adv. Acephalos [10]); *Rustici* Diaconi Rom. *Disputatio adv. Acephalos* Monophysitarum in forma Dialogi [11]), cujus tamen nonnulla perierunt; *Pontiani* Episc. Afric. *Epistola ad Justinianum imperatorem* pro defensione trium capitulorum [12]); *Facundi* Hermianensis Episcopi *Pro defensione trium Capitulorum Concilii Chalcedonensis Libri XII* ad Justinianum imperatorem, in quibus primo suam fidem exponit, deinde Nestorianam et Eutychianam haeresin impugnat, Theodoreti vero et Ibae orthodoxiam demonstrare et Theodorum Mopsvestenum a criminationibus defendere conatur; cum his libris alii duo connexi sunt, *Liber contra Mucianum Scholasticum* et *Epistola fidei catholicae in defensione trium Capitulorum* [13]); *Liberati* Diaconi Carthagin. *Breviarium causae Nestorianorum et Eutychianorum*, quod opus historicum ita composuit, ut se simul scriptorem dogmaticum et trium Capitulorum defensorem praeberet [14]).

m) *Adversus Monotheletas.*

§. 178. Monophysitarum haeresis novis de una aut duplici in Christo voluntate certaminibus ansam praebuit. Huic novae Monotheletarum haeresi opponuntur: *S. So-*

9) ibid. col. 487. 537.

10) in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. XI. p. 361.; in Bibl. PP. *Lugdun.* T. IX. p. 515.

11) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. X. p. 351—382.

12) in *Baronii* Annal. ad a. 546. §. 52.

13) in *Galland.* Bibl. PP. T. XI. p. 665. sqq.; in Bibl. PP. *Lugd.* T. X. p. 1. 109.

14) in *Galland.* Bibl. T. XII. p. 125. sq. et *Mansi* T. IX. col. 660.

phronii Patriarchae Hierosolymitani *Epistola synodica de haeresibus adversus* Patriarchas *Cyrum* Alexandrinum et *Sergium* Constantinopolitanum [1]); item RR. Pontificum *Joannis IV.* et *Martini I Epistolae.* — *S. Maximi* Abbatis et Confessoris *Disputatio cum Pyrrho* depulso Patriarcha monotheletico habita [2]); Ejusdem *De duabus in Christo naturis* capita decem [3]). — *S. Anastasii* in monasterio ad S. Euthymium in Palaestina Abbatis *Epistola ad Monachos Calaritanos adversus Monotheletas; S. Anastasii* Presbyteri et Apocrisiarii Romani *Epistola ad Theodosium* Presbyterum Gangrensem; et *Anastasii* R. E. Bibliothecario *Collectanea* i. e variae Epistolae et Relationes de Monotheletarum erroribus congestae [4]). — *S. Joannis Damasceni De duabus in Christo voluntatibus et operationibus*, atque obiter de duabus naturis et una hypostasi [5]).

n) *Contra Iconomachos.*

§. 179. Iconoclastis eorumque erroribus et turbis in Constantinopolitano Graecorum imperio sub Leone Isau-

---

1) in *Harduini* Actt. Concill. et Epp. Decrett. T. III. col. 1257; ubi non solum Acta Synodi *Romanae* ao. 649 convocatae (ibid. col. 626—946) et in his imperatorum *Heraclii Ecthesis* (col. 791) et *Constantis II Typus* (col. 828); sed etiam Acta *Concilii oecum. VI* et ea quidem graece cum duabus latt. versionibus (col. 1034—1644) et in his *Sergii* Patriarchae Epistola ad Honorium Papam et *Honorii* ad Sergium responsoria (col. 1311) et alia, quae huc spectant, obveniunt. Eadem *Acta* Synodalia et *Caesarea Edicta* cum omnibus ea de re scriptis tam Haereticorum Patriarcharum *Cyri* Alex. et *Sergii* Constant., quam *S. Sophronii* et RR. PP. *Honorii, Joannis IV, Martini I* Epistolis exhibentur etiam in *Mansi* Coll. Concill. T. X et XI.

2) in *Mansi* Coll. Conc. T. X. col. 709.

3) in *Combefisii* Auctario nov. T. II. Haec atque alia Ejusdem contra Monotheletas et Acephalos continentur in *S. Maximi* Opp. omn. ed. *Combefisii*, Paris. 1675. II. f.

4) ed. Jac. *Sirmond.* Paris. 1620. 8; insunt etiam *utriusque Anastasii supradicti* Epistolae.

5) in Ej. Opp. ed. Mich. *le Quien.* T. I. p. 529—554.

rico obortis scripta opposita sunt: *S. Germani* Patriarchae Constantinopolitani *Epistolae* tres; *S. Gregorii II* Papae *Epistolae*, una *ad Germanum*, duae *ad Leonem Isauricum* imperatorem [1]). — *Ioannis Hierosolymitani Narratio de origine motuum Iconoclasticorum* [2]). — *Nicephori* Constantinopolitani Patriarchae *Contra Iconomachos Opuscula IV*, quorum primum continet XII capita adversus principes apostasiae de incarnatione Christi, secundum autem X Demonstrationes syllogisticas de differentia imaginis Christi et Crucis, tertium de Cherubinis a Mose factis, quartum denique fragmentum aliquod ex libro ejus De ss. Imaginibus [3]); Ejusdem *Disputatio cum Leone Armenico*, et *Confessio fidei ad S. Leonem III Papam* [4]). — *S. Theodori Studitae Epistolae*, quae de Iconomachia tractant; *Liber dogmaticus contra Iconomachos; De ss. Imaginum cultu et veneratione* Sermo; *Oratio in adorationem pretiosae et vivificae crucis etc.* [5]). — *S. Joann. Damasceni De ss. Imaginibus Orationes III* adversus eos, qui imagines calumniantur [6]).

§. **180.** Etiam in *regno Francorum* quaestio de cultu Sanctorum imaginum aliquamdiu agitata est. Nota satis est *Synodus Francofordiensis* ao. 794 habita [1]), cujus *can.* 2 dereto Concilii Nicaeni II interveniente facti errore

1) Haec aliaque huc spectantia unacum Actis *Conciliabuli ao.* 754 ab Iconoclastis evocati, atque Actis *Synodi Nicaenae II ao.* 787 celebratae adisis in *Harduini* Actt. Conc. T. IV. col. 1 sqq.; et in *Mansi* Coll. Conc. T. XII. col. 951, T. XIII. col. 1. sq.; ubi (T. XII. col. 1055. sq. T. XIII. col. 759. etiam *Hadriani* Papae Epistolae ad Constantinum et Irenen, ad Tarasium Patriarcham, ad Carolum M. etc. leguntur.

2) gr. et lat. in Gallandii Biblioth. T. XIII.

3) in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnagii* T. II. P. II. p. 4. sq.; lat. tantum in Bibl. SS. PP. max. *Lugdun.* T. XIV. p. 88—97.

4) in *Combefisii* Origg. et rerum Constantinopp. Manipul. Paris. 1664. 4.

5) in *Sirmondi* Opp. (Venet. 1728. V. f.) T. V.

6) in Ej. Opp. ed. *le Quien.* T. 1. p. 307—390.

1) in *Harduini* Actt. Conc. T. IV. col. 865.

repugnabat, episcopis nempe vitiosa Actorum hujus concilii versione et usurpato ibi aequivoco *adorationis* nomine deceptis. Eandem erroneam sententiam propugnant, qui paulo post sub Caroli M. nomine prodierunt *Libri Carolini* vulgo dicti seu *Augusta Concilii Nicaeni II censura*[2]). — Hanc solide quidem refutavit *Hadriani I Papae Liber pro defensione septimae Synodi et responsio ad librum missum a Carolo M. ex concilio Francofordiensi*[3]); sed flectere animos nondum potuit. Neque enim secius in collatione Episcoporum, quam Ludovicus Pius ao. 824 *Parisios* convocavit, decretum est, imagines Sanctorum nec esse stulta praesumtione confringendas et ad injuriam Sanctorum abolendas, nec assertione superstitiosa adorandas aut omnino colendas[4]). — Ubi autem *Claudius Taurinensis* episcopus sacras imagines et ipsam Dominicae crucis figuram ex ecclesiis ejecit et conculcavit, scripto etiam ad suam defensionem *Apologetico contra Theodomirum*, Psalmodiensem in dioecesi Nemausiana Abbatem[5]), qui impietatem ejus acriter perstrinxerat; plures deinceps viri religiosi surrexerunt adversus illum, e quorum uberioribus scriptis praecipue nominanda sunt *Theodomiri* supra dicti *Epistola cum adjunctis capitulis*, quorum tenor ex Claudii Apologetico pro se ipso eruitur; — *Jonae* Aurelianensis Episcopi *De cultu Imaginum adversus Claudium Libri III ad Carolum Calvum*[6]); sed is quoque, quamvis universa Iconoclastarum argumenta refellat et in Claudium vehementer animadvertat, tamen omnem imaginum cultum, excepta S. Crucis veneratione, rejecit. Neque aliter sensit *S. Agobardus* Lugdunensis Episcopus *De Imaginibus Sanctorum, contra eorum superstitionem, qui picturis et imaginibus Sanctorum adorationis obsequium*

2) ed Dr. *Heumann*, Hamburg. 1731. 8.
3) gr. et lat. ed. *Rom.* 1612.
4) in *Mansi* Coll. Concill. T. XIV. col. 415.
5) in Biblioth. SS. PP. max. *Lugdun* T. XIV. p. 197.
6) ibid. p. 166.

deferendum putent [7]), in quo libro auctor assumto Decalogi secundo mandato tractat de cultu imaginum a ss. Patribus potissimum argumenta sumens, atque inde docens, Sanctis et Martyribus honorem quidem, religionem vero soli Deo deberi; unde solum Deum, neque Angelos neque Sanctos ullo religionis cultu adorandos; imagines et statuas Sanctorum causa historiae et memoriae, non religionis esse; atque adeo (in quo a vero lapsus est) nullam in ecclesia imaginem depingendam, nullum esse simulacrum erigendum. Rectius demum ac penitus Catholicae Ecclesiae mentem de veneratione Sanctorum et imaginum cultu prosecuti sunt *Dungalus*, Scotus, ad S. Dionysii Monachus et Trivii Ticini Magister, in *Libro responsionum adversus Claudii Taurinensis perversas sententias* ad Ludovicum (Pium) imperatorem ejusque filium Lotharium Augustum [8]); *Walafridus Strabo*, Augiae-Divitis Abbas, in opere suo *De rebus ecclesiasticis* [9]), c. 8; *Hincmarus Rhemensis*, et reliqui Scriptores.

o) *Adversus Adoptianos.*

§. 181. Contra eam, quae sub finem seculi VIII orta est, haeresin Adoptianorum a *Felice Urgellitano* in Narbonensi provincia Episcopo et *Elipando* Archiepiscopo et Primate Toletano disseminatam in lucem prodierunt *Beati* Presbyteri Astorgani et *Etherii* Uxamensis Episcopi *De adoptione Filii Dei adversus Elipandum Libri II* [1]); — *Paulini* Aquilejensis Patriarchae *Sacrosyllabus* s. De sanctissima Trinitate adv. Felicem et Elipandum, et Ejusdem *Libri III contra eundem Felicem* Urgellitanum [2]); — *Alcuini De Trinitate*, contra Felicem supra dictum libellus; Ejusdem *Adversus Felicem libri VII;*

---

7) ib. p. 286.
8) ib. p. 199.
9) ib. T. XV. p. 185.
1) in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage*, T. II. P. I. p. 297—375.
2) in Ej. Opp. ed. c. nott. *Madrisii*, Venet. 1737. f.

Adversus Elipandum libri IV, unacum Epistolis Elipandi [3]; — S. *Agobardi* Lugdun. Episcopi *Adversus dogma Felicis Urgellensis*, ad Ludovicum Pium liber, quo haeretici commenta funditus evertit cum S. Scripturae tum Patrum auctoritate [4]. Condemnata est haec haeresis ab *Hadriano* Papa missa *ad Episcopos Hispaniae Epistola*, nec minus in convocata per Carolum M. *Synodo Francofordiensi* ao. 794 habita [5].

p) *Adversus Pachasium Radbertum et Berengarium.*

§. 182. Seculo IX inter Latinos de modo praesentiae Corporis et Sanguinis Christi in S. *Eucharistia* exortas esse controversias, omnes norunt. Sed neque Paschasius, qui hujus certaminis ansam dedit; neque impugnatores ejus circa substantiam dogmatis et summam fidei a catholica Ecclesia aberrarunt, sed in loquendi *modo* duntaxat dissenserunt. *Paschasius Radbertus* Corbejensis O. S. Benedicti Abbas in libro *De Corpore et Sanguine Domini in Eucharistia* [1]) exposuit, corpus Christi in sacramento non aliud esse, quam quod de Virgine natum, in cruce passum et a mortuis resuscitatum est. Quae sententia multis minus probata fuit, qui scilicet duplex Christi corpus discernentes, aliud quidem naturale, aliud esse sacramentale affirmabant, ideoque corpus eucharisticum naturaliter quidem idem, quam quod de Virgine natum, sed specialiter diversum esse. Sic *Anonymus* quidam in Libro qui inscribitur *Dicta cujusdam sapientis de corpore et sanguine Domini* [2]). — Idem videtur sensisse *Herigerus* magister Leodiensis, cujus tamen *Liber adv.*

---

3) in Ej. Opp. ed. *Frobenii*. T. I. Vol. II. p. 757 — 992.
4) in Biblioth. ss. PP. *Lugdun*. T. XIV. p. 243.
5) Epistola Hadriani et Actt. Synod. in *Mansi* Coll. Concill. T. XIII, col. 863 sq.
1) in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. XIV. p. 729.
2) in *Mabillonii* Actt. SS. Ord. S. Bened. Secl. IV. T. I. p. 591.

Paschasium interiit. — *Amalarius* Metensis Episcopus in *Responsione de Corp. et Sangu. Domini* [3]) triplex Christi corpus discernit, et ignominioso Stercoranistarum nomine lacessitus, imo a *Drepanio Floro* Lugdunensi Magistro, cujus etiamnunc extat *Epistola adv. Amalarium* [4]), haereticae pravitatis accusatus est. In eandem Stercoranismi suspicionem incurrit *Rabanus Maurus* ob ambiguam, quam ea de re consultus dederat responsionem; sed opusculum istud non amplius superest. Accedunt porro alii, qui *De Corpore et Sanguine Domini* scripserunt, *Haymo* Episcopus Halberstadiensis [5]); *Ratherius* Veronensis Episcopus [6]); *Gerbertus*, postea Sylvester II Pontifex Rom. [7]). Et hi omnes, quod ad S. Transsubstantiationis *dogma* attinet, catholicam fidem, licet *verbis* nonnunquam minus adaequatis, tuebantur, uno fortasse excepto libro *De corpore et Sanguine Domini*, quem multi tunc temporis *Joanni Erigenae* tribuerunt, recentiores autem longe potiori jure *Ratramno* Corbejensi Monacho accensent [8]). Huic enim libro utique nonnulla insunt, quae errorem sapiunt.

§. **183.** Sed aperta *haeresis* de hoc sacrosancto dogmate ineunte demum seculo XI a *Berengario* Turonensi enata est [1]). Hujus enim sententia, quam et Eusebius Bruno, Episcopus Andegaviensis, aliquamdiu secutus est, prorsus haeretica fuit, panis nempe et vini substantiam etiam post consecrationem perseverare audacter contendens. Ad istam haeresin propulsandam scripta sunt *Lanfranci*

3) in *D'Acherii* Specileg. ed. De la *Barre*. T. III. p. 330.

4) in *Martene* et *Durand*. Vett. Scriptt. amplissima Collect. T. IX. p. 367.

5) in *D'Acherii* Specileg. T. I. p. 42.

6) ibid. T. I. p. 375.

7) in *Pezii* Thesaur. Anecdott. noviss. T. I. P. II. col. 133—146.

8) ed. Jac. *Boileau*. Paris. 1712. 12.

1) Cf. C. Fr. *Staeudlin* Libri inediti Berengarii adv. Lanfranc. Specimen I—III. Götting. 1815—1823. 4; et *Berengarii Epist. ad Lanfrancum familiaris* (qua eum in suas trahere partes conatus est, quin tamen curatius suam sententiam definiret) ed. *D'Acherius* cum Opp. Lanfranci. Paris. 1648. f.

Archiepiscopi Cantuariensis *De Sacramento Eucharistiae adversus Berengarium liber*; et Ejusdem *Epistola ad Reginaldum Pictavorum urbis Abbatem*, qua S. Hilarium contra Berengarii calumnias defendit, ejusque verba, quae haereticus in pravum sensum tradidit, orthodoxe dicta esse docet [2]); — *Hugonis* Lingonensis Episcopi *Tractatus de corpore et sanguine Christi contra Berengarium*; — *Durandi*, Abbatis Troarnensis, *Liber de corpore et sanguine Christi* contra Berengarium et ejus sectatores, novem partibus (imo capitulis) absolutus; — *Adelmanni*, ex Scholastico Leodiensi Episcopi Brixiensis *De veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistia* ad Berengarium Epistola; — *Guitmundi* Aversani Archiepiscopi *De corporis et sanguinis Christi veritate in Eucharistia Libri III*, interlocutoribus ipso Guitmundo et Rogerio, O. S. B. confratribus; et Ejusdem *De S. Trinitate et Christi humanitate, corporisque ac sanguinis Domini nostri veritate confessio*; — *Theoduini* Leodiensis Episcopi *De corpore et sanguine Domini* contra Brunonem Andegaviensem Episcopum et Berengarium Turonensem Epistola [3]); — *Eusebii Brunonis* supra dicti, postquam ab errore resipuerat, *Epistola ad Berengarium* [4]); — *Algeri* Leodiensis *De sacramento corporis et sanguinis Domini Libri III* [5]). — Denique *historiam* hujus controversiae conscripsit *Anonymus vir*, probabilius O. S. B. monachus in libello c. t. *De Berengarii haeresiarchae damnatione multiplici*. [6]).

q) *Adversus Graecos Schismaticos.*

§. 184. Funestissimi inter graecam et latinam Ec-

---

2) in Biblioth. ss. PP. max. *Lugdun*. T. XIV. p. 763. 824.

3) ibid. T. XIV. p. 417. 420. 438. 440. 531.

4) ed. Fr. de *Roye* in Vita, haeres. et poenitentia Berengarii. Andegav. 1656. 4.

5) unac. *Lanfranci*, *Guitmundi* et aliorum Scriptis hac de re junctim editis ab Jo. *Vlimerio*, Lovan. 1561. 8; item in Biblioth. PP. *Lugdun*. T. XXI. p. 251 — 293.

6) in Bibl. PP. *Lugdun*. T. XIV. p. 835. sq.

clesiam Schismatis auctores *Photium* exstitisse ac *Caerularium*, et potissimam illius causam, quam praetendebant, particulam *Filioque* fuisse novimus. Huic novo, quod Spiritus sanctus a solo Patre processerit, errori ceterisque Graecorum adversus Occidentales objectionibus refutandis inserviunt *Theodulphi* Episcopi Aurelianensis *De Spiritu Sancto ad Carolum M. Liber*, quo quaestionem in Concilio Aquisgranensi ao. 809 habito ventilatam, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere docet, maximeque ex SS. Athanasii, Hilarii, Ambrosii, Cyrilli, Augustini, Fulgentii, Leonis, Gregorii M. aliorumque Patrum sententiis probat [1]); — *Ratramni* Corbejensis *Contra opposita Graecorum libri IV*; — et *Aeneae* Parisiensis Episcopi *Adversus decem objectiones Graecorum* [2]), quas *Photius* adversus Occidentales in *Epistolis communicatoriis ad Patriarchas et Episcopos Orientalis Ecclesiae* datis exposuerat [3]); — *S. Nicolai I., S. Hadriani II., Joannis VIII.*, cett. RR. Pontificum in hac causa scriptae *Epistolae*, item *Metrophanis* Smyrnensis Episcopi *Ad Manuelem Patritium Epistola* [4]); — *S. Leonis* IX. Papae *Epistolae ad Michaelem Caerularium* et *Leonem Achridanum* et *ad Constantinum Monomachum* [5]); — *Humberti* Cardinalis *Libri adversus Michaelem Patriarcham et Nicetam Pectoratum* (unacum *Michaelis Caerularii* Patriarchae Constantinopolitani et *Leonis* Episcopi Achridani *Epistola ad Joannem Tranensem* in Apulia Episcopum, nec non *Nicetae Pectorati* Monachi *Libello contra Latinos*); item *Brevis et succincta commemoratio eorum, quae gesserunt Apocrisarii* S. Rom. et Apost. Sedis in regia urbe, et qualiter anathematizarunt Michaëlem cum sequacibus

1) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XIV. p. 15.

2) in *D'Achery* Specileg. (ed. nov. de la Barre.) T. I. p. 63—112. 116—149.

3) in *Photii* Epistoll. ed. a Rich. *Montacutio*, Londini 1651. f.

4) unac. Actis Synodorum, ao. 869 et 879 hab. in *Mansi* Collect. Concill. T. XV. XVI. XVII.

5) ibid. T. XIX. p. 625. sq.

suis [6]); — *Petri Patriarchae* Antiocheni *Epistolae II ad Michaelem Caerularium et ad Dominicum Graduensem* (unacum Ejusdem *Michaelis Epistolis duabus ad Petrum Antiochenum;* et *Dominici* Archiepiscopi Graduensis *Epistola ad eundem*) [7]). — *S. Anselmi* Cantuariensis *De processione Spiritus Sancti contra Graecos* [8]). — *Hugonis Eteriani De haeresibus, quas in Latinos Graeci devolvunt, Libri tres* [9]), ad Alexandrum III. Rom. Pontificem. — *Hugonis a S. Caro Quod Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedat aequaliter* [10]), Libellus s. Expositio fidei de Graecorum schismate, cujus causa ipse legatus ao. 1233 Constantinopolim missus fuerat.

r) *Contra Petrobrusianos etc. Waldenses et Albigenses.*

§. 185. Post Paullicianos seu recentiores, quos vocant, Manichaeos (§. 163.) novi passim surrexerunt in Occidente haeretici, *Petrobrusiani, Henriciani, alii,* de quorum erroribus praecipue agunt *Erwini* (Evervini) Steinfeldiensis Ordinis Praemonstratensium Praepositi *Epistola ad S. Bernardum,* qua eum de Haereticorum turbis certiorem facit [1]); — *S. Bernardi* Claraevallensis Abbatis *Epistolae* plures ad diversos, praesertim Ep. CCXLI *ad Ildefonsum Comitem S. Aegidii* [2]); — *Petri Venerabilis* Abbatis Cluniacensis *Contra Henricianorum et Petrobrusiano-*

6) Quae cuncta exhibentur in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage.* T. III. P. I. p. 281. sq.; it. in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. XVIII. p. 389—417.

7) Extant isthaec omnia in Jo. Bapt. *Cotelerii* Monumentt. Eccl. graec. T. II. p. 135. sqq.

8) in Ej. Opp. ed. *Gerberon.* p. 49—62.

9) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XXII. p. 1199—1260.

10) ed. in Abrah. *Bzovii* Annal. eccl. (Colon. 1617. f.) ad ao. 1233. §. 2.

1) in *S. Bernardi* Opp. ex ed. *Mabillonii* Vol. II. (T. I.) col. 1490.

2) in Ej. Opp. ed. *Mabill.* ibid. col. 238.

rum haereses Liber [3]); — *Egberti* Schoenaugiensis O. S. B. Monachi *Liber adversus haereses*, seu Sermones XIII adv. Catharos et Manichaeos [4]); — Contra *Waldensium* sectam antiquis sacris inimicam directa sunt *Alani Insulani* Autissidorensis Episcopi *Libri II de fide contra Waldenses*, *Albigenses* etc. [5]). — *Epp. et Decrett.* RR. Pontificum *Alexandri III.* et *Lucii III*, quorum alter in Concilio *Lateran. III* (ao. 1179) c. 27; alter in Conc. *Veronensi* (ao. 1184) Waldenses eorumque Sectatores Catharos etc. unacum defensoribus et fautoribus anathemati subjecit [6]). — *Ebrardi* Bethuniensis in Flandria *Liber contra Waldenses; Bernardi* monasterii Calidi-Fontis Abbatis Ord. Praemonstratensium *Adversus Waldensium sectam tractatus*, Lucio III R. P. dedicatus; et *Ermengardi* cujusdam cetera nihil noti Scriptoris *Opusculum contra Haereticos* [7]), ad cujus finem nonnulla desunt. — *Reineri Sachonis*, primo Waldensium antesignani, deinde iis desertis Ordini Praedicatorum adscripti et Haereticorum inquisitoris generalis *Summa de Catharis et Leonistis seu Pauperibus de Lugduno* [8]); Ejusdem *Liber adversus Waldenses* [9]). — *Monetae* Cremonensis O. Praedicatorum Monachi *Libri V adversus Catharos et Waldenses* [10]). — Adversus alios seculo XII et XIII in Gallia meridionali grassantes *Albigensium* errores, in quorum impugnationem fideique defensionem *S. Dominicus* novem annos fervide incubuit, extant *Innocentii III.* R. P. *Epistolae* plures praesertim libri IX *Epistt.* 26—29., libri X *Ep.* 49., al. [11]); — *Honorii III.* R. P. *Epistolae*

8) in Biblioth. SS. PP. *Lugdun.* T. XXII. p. 1033—1080.

4) ibid. T. XXIII. p. 601.

5) in Car. de *Visch* Biblioth. Scriptt. Ord. Cisterc. Colon. 1656. 4.

6) in *Mansi* Collect. Concil. T. XXII. col. 211. 488.

7) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XXIV. p. 1525—1615.

8) in *Martene* et *Durand.* Thesaur. Anecdott. nov. T. V. 1761. sq.

9) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XXV. p. 262.

10) ed. Aug. *Ricchini.* Rom. 1743. f.

11) unac. Actt. Conc. Lateran. IV. (ao. 1215) in *Mansi* Coll. Conc. T. XXII. col. 986.

nonnullae *ad Ludovicum Galliae regem*[12]); — *Gregorii IX* Papae *Capitula contra Patarenos* et *Epist. ad Priorem Ordinis Praedicatorum in Lombardia*[13]); — *Lucae Tudensis* Episcopi *De altera vita fideique controversiis adversus Albigensium errores libri III*[14]).

2. Censura Patrum polemicae eruditionis.

§. 196. SS. Patrum monumenta adversariis opposita permultum nobis *utilitatis* adferre, si rite et curate legantur, quilibet fatebitur, qui in istis probe versatus fuerit. Praebent ea lucem in rebus, quae ad SS. *Scripturarum* interpretationem, ad *Traditionis* dogmata cognoscenda, ad *historiam* sacram, ad alias sanctioris doctrinae disciplinas pertinent. Nec tamen infitiandum est, eosdem in confutandis adversariis, si *methodum* dicendi et ratiocinandi *argumenta* respicias, interdum peccasse. Verum ad isthaec singularia, quae tanquam vitiosa in Patrum scriptis polemicis notantur, cum ejusdem fere generis sint, atque illa menda et errores, qui illis tum circa interpretationem Sacrarum literarum, tum quoad expositionem dogmatum a nonnullis objiciuntur, non opus est respondere fusius, quia jam supra ea de re verba fecimus; et, si qui forte vere deliquerint, talibus delictis eorum *auctoritatem* neque infringi neque subverti posse jam inde patet, quod Patres seorsim spectati pro norma credendorum et agendorum minime adsumantur, et errantibus uno alterove salva tamen et incolumis stet religionis nostrae veritas. *Duo* sunt inprimis, quae a novatoribus objici solent et acriter vituperari in ss. Patribus, primum videlicet, quod in haereticorum erroribus refellendis nil *aeque*, nil *moderate* disputent, nec *captiosas et sophisticas* disserendi argutias dedig-

12) in *Du Chesne* Francc. Scriptt. T. V. p. 857.

13) in *Mansi* Coll. Conc. T. XXIII. col. 74; ibid. et Capp. Conc. *Tolosani* (ao. 1229) quae huc pertinent, col. 194; et Concil. *Tarracon.* col. 329.

14) ed. *Gretseri.* Ingolst. 1613. 4.

neantur, sed incredibili animi *impatientia et furore* abrepti id unice agunt, ut prostrato adversario victoriam reportent; secundum, quod in probanda dogmatum veritate novam invenerint rationem disputandi, cum nimirum adversariis suis *Praescriptionem* et *Traditionem* opponant. Quae utraque objectio quam sit iniqua, atque ita composita, ut fucum faciant imperitioribus, facile vident eruditi. Eequis enim Patribus vitio vertet, si regulam fidei *unam omnino et solam immobilem et irreformabilem* esse credentes veritatem unice ex *orthodoxia* ecclesiastica metiantur; et eam, quam ipsi edocti sunt et firmiter tenuerunt, veritatem ceu unam et solam, utpote non ab hominibus *inventam* sed *divinitus datam* cum pertinacia propugnent, ne latum quidem unguem cedere parati? Quis jure reprehendet eos, si adversariorum argutiis et subdola disputandi ratione irreti et ad incitas redacti, *iisdem* armis, *arte scilicet dialectica*, inimicos pertierint ac profligaverint? Quid, quod ipse D. *Paulus* in Epistolis ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est, a S. *Hieronymo* laudatur, quod arte quadam polemica sit usus! *Videbitis eum*, ait, *in testimoniis, quae sumit e V. T., quam artifex, quam prudens sit dissimulator ejus, quae agit, . . haeret in causa, capit omne, quod tetigerit; tergum vertit ut superet; fugam simulat, ut occidat*. Catholicorum semper fuit et hodiedum fides ac persuasio haec est, *unam esse veritatem*, *unam* a Christo revelatam *religionem eamque catholicam*, et extra eam neque veritatem ullam neque salutem. Fuit illa Patrum cum Haereticis *dimicatio ad internecionem usque* agitata; aut enim feriendum fuit aut cadendum. Hoc quaeso memineris, et si quis in Haereticorum debellatione nimius et obstinatior forte fuerit, habebis eum excusatum.

§. 187. Altera vero non minus injusta objectio attinet argumentum *Praescriptionis*, quo Patres usi sunt, ubi nempe haereticis antiquitatem verae religionis opponentes jam ex eo, quod illi nova tradant dogmata, haec falsa esse atque erronea demonstrant. Qua quidem nes-

cio an nulla sit argumentatio pro defendenda catholica fide gravior et rationi magis consentanea. Prima fuit et est hodie quaestio, *penes quem* sit religionis doctrinae veritas. Veritatem autem errore *antiquiorem* esse, omnibus certum est. Ergo id primum, ut cum *Tertulliano* loquar, id solum disputandum est, quibus competat *fides ipsa*, *a quo*, et *quando*, et *a quibus* sit tradita disciplina christiana. Ubi enim apparuerit esse antiquitatem doctrinae apostolicae, illic veritas. Nos cum *apostolicis* ecclesiis communicamus, eoquod nulla nobis nova ideoque diversa doctrina est. Hoc primum est *criterium veritatis* et Catho licorum quasi domestica lex, qua *plenam* nobis et *solam* christianae veritatis possessionem tuemur exclusis omnibus novatoribus, quos eo ipso, quod sint *novae doctrinae sectatores*, antiquae et apostolicae fidei regulam amisisse jure censemus. Sic *Irenaeus*, *Tertullianus*, reliqui recte argumentati sunt. — His dictis opus non est, ut in alia objectione cum priore connexa diutius immoremur. *Vincentium Lirenensem* inprimis petunt obtrectatores, quoniam is peculiari studio *Traditionem* Ecclesiae catholicae tanquam certissimam controversiarum normam optimamque Haereticos refellendi rationem commendat. Sed supra jam satis hac de re dictum est. Legant Novatores, quid sentiant Patres, non unus *Vincentius* sed prope *omnes*, quotquot a primordiis Ecclesiae Patres exstiterunt. Ceterum Vincentium ad scribendum *Commonitorium*, quod pro catholicae fidei antiquitate et universalitate adversus profanas omnium haereticorum novationes exaravit, adductum atque exstimulatum esse *odio in S. Augustinum*, *Vossius* 1), *Rivetus* 2), *Norisius* 3) nemini persuadebunt, qui S. Augu-

---

1) G. J. *Vossii* Historia de controversiis, quas Pelagius ejusque reliquiae moverunt, libri VII; ed. G. Vossii (Amstelód. 1655. 4.) Lib. I. c. 10.

2) Andr. *Riveti* Critici sacri Libb. IV, (Genev. 1690. 8.) Lib. IV. c. 24.

3) Henr. *Norisii* Historia Pelagiana etc. (Patav. 1673. f.) Lib. II. c. 11.

stinum non dissimilem de *Traditione* sententiam propugnasse pluribus locis cognoverit.

IV. Eruditio Patrum in theologia morali et ascetica.

§. 188. SS. Patres sunt item praestantissimi *doctrinae morum christianae* magistri verbis simul et exemplis docendo. Cujus generis praecepta moralia fere *ubivis* in scriptis suis tractarunt, in *Homiliis* et *Sermonibus*, quorum argumenta pleraque fidelium mores concernunt; in operibus *exegeticis*, in quibus saepissime S. Codicis effata ad sanctioris vitae studium traxerunt; in scriptis *dogmaticis*, ubi dogmate aliquo exposito non raro ad moralia digressi sunt; in *historiis sacris* et *vitis Sanctorum*, in quibus item persaepe exhibitis eorum exemplis lectores vel auditores ad sectandam virtutem excitarunt. Atque hanc morum doctrinam beatissimi Patres ex genuinis s. Scripturae et apostolicae Traditionis fontibus hauserunt, et methodo solida et fidelium captui accommodata tradiderunt, non solum *generalia* sed etiam *singularia* doctrinae moralis capita explanantes, ac de virtutibus et vitiis christiani hominis omnino, nec non de officiis singulorum ordinum et cujuslibet sexus et aetatis hominum in specie disserentes. Neque in hoc solo acquieverunt, quod ea Evangelii *praecepta moralia* docerent, quae omnibus fidelibus sunt observanda, sed etiam *consilia evangelica* commendantes ad eminentiorem vitae sanctitatem non paucos evexerunt, ita ut abdicatis rebus omnibus, et in perpetua virginitate degentes perfectiorem vivendi normam amplecterentur viri *Anachoretae*, *Monachi*, nec non feminae *Virgines*, vel *Viduae Deo sacratae* et *Sanctimoniales*.

1. Monumenta Patrum.

a. Moralia.

aa. Patrum Graecorum.

§. 189. *S. Barnabas* in *Epistola* sua (c. 18. 19. 20.) *bonorum* et *malorum operum* quasi catalogum texuit [1]. — *S. Hermae Pastor* multa ac praeclara in libro II, qui inscribitur *Mandata*, exhibet: de *confidentia* in Deum, de *Eleemosyna*, de *fugiendo mendacio*, de *Patientia*, de *Deo timendo*, de *oratione* ut fiat assidue et sine haesitatione, de *non contristando Spiritum Dei*, de *Dei mandatis* quod non sint impossibilia, de *Diabolo non metuendo credentibus* (Mandd. 1—3. 5. 7. 9—12.); item in libro III, cui titulus *Similitudines*, de vero *Jejunio ac ejus mercede*, de *fructibus dignis* a poenitentibus faciendis, de *Poenitentia et Eleemosyna* (Simill. 5. 7. 10.), et aliis similibus [2]. — *S. Clemens Romanus Christianorum officia* paucis complectitur paene omnia, in specie vero *caritatis* quasi characteres praeclare depingit, et *humilitatem* christianam egregie commendat in *Epist. I. ad Corinth.* c. 16—21. 49. 50; al. [3]), — inprims autem *Castitatem* laudibus ornat in *Epistolis duabus ad Virgines* [4]. — *S. Ignatii Epistolae septem genuinae* [5] refertae sunt *praeceptis moralibus*, speciatim de *Fide* et *Caritate* (Epist. ad Ephes. c. 9. 14.), de *publicae Orationis* virtute atque utilitate (ib. c. 4. 5. 13.), de *Virginitate* atque *Matrimonio* (Ep. ad Polycarp. c. 5.). — *S. Polycarpi Epistola ad Philippenses* [6] proponit officia *Uxoribus* et *Viduatis*, *Diaconis*, *Presbyteris* (c. 4—7.) additis *generalibus* ad fidelem populum admonitionibus (c. 8—11.). — *S. Justinus* in

---

1) in C. Jos. *Hefele* Opp. PP. Apostoll. p. 25—29.
2) ibid. p. 157. sqq.
3) ibid. p. 29. sqq.
4) in Dom. *Mansi* Collect. Concill. T. I. col. 144—157.
5) *Hefele* PP. Apost. Opp. p. 77—116.
6) ibid. p. 117—125.

Apologiis [7]), dum Christianos defendit, ad probandam eorum innocentiam argumentum sumit ex *sanctitate* quam sectentur, atque ita illustria *exempla* ad imitationem nobis ante oculos ponit, dicens de *castitate*, de *caritate in omnes* et *liberalitate in pauperes*, de *patientia*, de *vitando jurejurando*, de *obedientia regibus praestanda* (Apolog. I c. 10. 14—18.), deque *animi constantia in persecutionibus* (Apol. II. c. 11. 12.). — *S. Irenaeus* in opere *Adversus haereses* [8]), quamquam semper fere contra haereticos dimicaverit, qui praecipue *fidei* dogmata impugnaverant, tamen *non pauca*, quae *ad mores* spectant, e. gr. de *fidei vi et efficacia*, de *libertate christiana*, de *necessitate et excellentia caritatis*, de *praecepto dilectionis*, de *obedientia erga principes et potestates terrae* etc. disserit in lib. III. c. 20; Lib. IV. c. 1. nr. 5, c. 5. nr. 5, c. 12. nr. 4. 5, c. 13. nr. 2. 3, c. 16. nr. 3. 4.; Lib. V. c. 10. nr. 1. 2, c. 24. nr. 2. 3. al. — *Clemens Alexandrinus* in libris III *Paedagogi* [9]), praesertim libro II multa de *sanctiori vita* amplectenda docet; in libris VIII *Stromatum* [10]) praecepta de moribus et vita recte instituenda exponit; et in libello *Quis dives salvetur* [11]) materiam piarum meditationum praebet. — Inprimis autem hoc loco laudandus est *S. Athanasius;* ex ejus enim potissimum scriptis Remig. *Ceillier* praeclarissimum *theologiae moralis quasi compendium* excerptum exhibet in *Apologie de la Morale des Pères de l'Eglise*, Paris. 1718. 4. — Pertinent huc praeterea *S. Ephraemi Syri Sermones* permulti e. gr. De *virtutibus et vitiis*, ad *eversionem superbiae*, de *compunctione animi*, de *timore Dei*, ad correctionem eorum, *qui vitiose vivunt*, de *animi passionibus*, de *oratione in*

---

7) ed. J. W. J. *Braun*. Bonn. 1830. 8.
8) ed. *Massuet*. Paris. 1710. fol.
9) in Ej. Opp. ed. *Potter*. p. 97—312.
10) ibid. p. 315—935.
11) ibid. p. 935—961. Separ. edit. c. Comment. C. *Segaar*. Traject. 1816. 8.; item in usum scholarum ed. H. *Olshausen*, Regiomont. 1831. 8.

tentatione, quomodo quis *humilitatem* sibi comparet [12]); De *recta vivendi ratione; de patientia*, de *morbo linguae* et *pravis affectibus* [13]); De *caritate*, de *oratione*, de *amore pauperum*, *de non mirandis rebus hisce caducis*, *de non scandalizando proximo*, *de vera renunciatione*, *de his qui animas ad impudicitiam pelliciunt*, *de abstinendo a cupiditatibus carnalibus*, *de continentia*, *de virginitate*, *de recordatione mortis*, *de perfectione hominis*, *de ebrietate fugienda*, al. [14]). — *S. Basilii Homiliae* (1. 2. 4. 6—11. 14. 15. 20.) duae de *jejunio*, alia de *gratiarum actione*, de *avaritia*, homilia dicta *tempore famis et siccitatis*, adversus eos qui *irascuntur*, de *invidia*, in *ebriosos*, de *fide*, de *humilitate*, cet. [15]). Ejusdem *Ethica s. Moralia*, regulis tradita, quibus veluti summa doctrinae christianae de moribus continetur, ac singula effata S. Scripturae testimoniis comprobantur [16]). Cf. etiam *Sermones XXIV* ethicos a *Simeone Magistro* ex libris Basilii excerptos, De virtute et vitio, de caritate in Deum et proximum, de eleemosyna, de divitiis et paupertate, de avaritia, de peccato, de poenitentia, de oratione, de jejunio, de morte cett. [17]). — *S. Macarii senioris Scripta* [18]), quae prope omnia ad *doctrinam moralem* spectant. Praeter Homilias alia quoque reliquit opuscula, velut *De custodia cordis, de perfectione Spiritus, de oratione, de potentia et discretione mentis, de caritate, de libertate mentis;* quibus libris vir sanctus ipse vitae sanctiori totus deditus studia omnimodae virtutis aliis quoque diligentissime commendavit. — *S. Gregorii Nysseni Liber de Vita Moysis*,

12) in Ej. Opp. gr.-lat. ed. *Assemanni*, T. I. Orat. 1. 2. 7. 8. 10. 22. 31.

13) ibid. T. II., Oratt. 5. 7. 14.

14) ib. T. III. Oratt. 4. 6. 7. 11. 13. 14. 20—23. 24. 30. 50. 76.

15) in Ej. Opp. ed. *Garnier*. T. II. p. 1. sqq.

16) ibid. p. 234—318.

17) ibid. T. III. Append. p. 469—652.

18) Opp. Ejus ed. *Pritius*. Lips. 1699. II. 8. Versionem *german.* adornav. *Nic. Casseder*. Bamberg. 1819. II. 8.

quam mystice enarrat, ut habeat occasionem, perfectae vitae exemplum Christianis praescribendi; item *Sermones V de Oratione dominica*, Sermm. VIII de *octo Beatitudinibus* [19]); Duae oratt. *de Pauperibus amandis et benignitate complectenda*, oratio contra *Usurarios*, *Ad eos qui acerbe judicant;* porro *De Poenitentia*, oratio in principium *Jejunii*, alia contra *Fornicatores* seu in illud „Qui fornicatur, in proprium corpus peccat" [20]); item Orat. *De scopo christiano*, *adv. eos qui castigationem aegre ferunt* [21]); de *Virginitate*, aliaque plura in Ejusdem *Opp. asceticis* recensita. — *S. Joannis Chrysostomi* ingens numerus est *Homiliarum*, quae *ethica* argumenta tractant, maxime *Eclogae* ex diversis homiliis [22]); item libri duo de *Compunctione cordis*, libri III de *Providentia Dei*, Liber de *Virginitate*, et *Ad viduam juniorem* libri II, in quibus de castitate praeclare disserit [23]). — *S. Isidori Pelusiotae Epistolae*, quarum pars magna de iis agit, quae ad mores formandos vitamque recte instituendam magno usui esse possunt [24]). — *S. Nili De oratione* quomodo fiat et quae in illa vitentur, institutio per CXLVII capitula s. sententias tractata; Ejusdem *Adversus vitia Oratiunculae VIII* (de gula, luxuria, avaritia, ira, tristitia, acedia, inani gloria, superbia); et alii totidem sermones *De octo vitiosis cogitationibus* eodem ordine absoluti [25]). — *S. Joannis Damasceni* De ss. *Jejuniis* Epist., Ejusdem *De octo vitiis* seu spiritibus nequitiae, item *De vir-*

---

19) in Ej. Opp. ed. *Morelli*. T. I. p. 167—257. 712—836.

20) ibid. T. II. p. 49. 132. 138. 146. 165. 247. 260.

21) ibid. T. III. p. 298. 311.

22) in Ej. Opp. ed. *Montfauc*. T. XII. 6. Homill. 1—48. *Novae Eclogae* quinquaginta duae, gr. c. comment. ed. C. Fr. de *Matthaei*, Mosq. et Lips. 1807. 8.

23) in Ej. Opp. ed. *Montfauc*. T. I. Tractt. 4. 5. 6.

24) ex. rec. *Billii* c. brev. descript. *Rittershusii* in Biblioth. max. *Lugdun*. T. VII. p. 499. sq., gr. et lat. ed. Andr. *Schottus*, Francf. 1629. f.

25) in Bibl. PP. max. *Lugdun*. T. VII. p. 1151. 1170. 1174.

tutibus ac vitiis [26]). — *Philippi Solitarii Dioptra s. Regula rei Christianae*, hortatu Dionysii Mitylen. Metropolitae quatuor libris per dialogum explicata et ad Callinicum Monachum directa [27]).

bb. Latinorum.

§. 190. In monumentis *Latinorum* moralibus praecipue memorantur *Tertulliani De spectaculis*, ut ab Ethnicorum ludis abstineant Christiani; *Ad martyres*, apologia de Martyrii gloria; *Scorpiace* s. De bono martyrii, qui est in contemtores Martyrii libellus; *De Idololatria*, in quo libro hujus criminis gravitatem docet; *De oratione*, ubi egregie de oratione Dominica exponit, variasque ingerit reflexiones morales; *De Patientia*, praestantissima Christiani Jesum Christum imitantis virtute; *De cultu feminarum* adhortatio ad sexum muliebrem de vanitate vestium contemnenda; *Ad uxorem libri II*, De vitae celebis praestantia et christiani matrimonii virtutibus [1]). — *S. Cypriani De habitu virginum*, ne vestimentis superbiant speciosis; *De mortalitate*, quo libro ostendit, nihil esse, quod Christianus mortem timeat; *De opere et eleemosynis*, exhortatio, qua ostendit, remunerationem inde nobis ex bono opere operato successuram; *De bono patientiae* ac *De zelo et livore*, ut scilicet illam teneant, hunc vero procul evitent; *De disciplina et bono pudicitiae* [2]); alia. Etenim in *Epistolis* quoque nonnulla obveniunt ejusdem argumenti, quae praecepta de moribus bene formandis exhibent. — *Commodiani Instructiones adversus gentium deos* (§. 158.) seu potius hujus poëmatis *Epilogus*, sc. Instruct. XLVI—LXXX, quibus ad pios

26) in Ej. Opp. ed. M. *le Quien*. T. I. p. 499—514.

27) lat. ex vers. Jac. *Pontani*. S. J. et c. nott. Jac. *Gretseri* in Bibl. PP. max. *Lugdun*. T. XXI. p. 553—618.

1) in Ej. Opp. ed. *Giraldi*. p. 72—160. 129—172. 487—500.

2) in Ej. Opp. ad edit. *Maurin*. rec. *Oberthür*. T. I. p. 308—323. 412—496; T. II. p. 147—157.

mores induendos, ad assiduam orationem mutuamque dilectionem hortatur, singulaque feminis christianis et clericis praecepta struit. — *S. Zenonis Veronensis* Sermones varii: *De justitia*, *De pudicitia*, *De continentia*, *De avaritia*, *De patientia*, alia hujus generis [3]). — *S. Ambrosii* permulti ethici argumenti libri e sermonibus viva voce primum habitis compositi, e. gr. *De bono mortis*, ostendens exitum ex hac terrestri conditione nonnisi introitum esse ad beatiorem vitam; *De Jacob et vita beata libri II*, quorum prior praecepta ad virtutem et perfectionem christianam amplectendam, posterior autem applicationem ab exemplo Jacob deductam continet; *De fuga seculi*, ad Neophytos cohortatio, ut vitia et illecebras hujus mundi vitantes altiora petant; *De Josepho Patriarcha*, quem velut castitatis atque aliarum virtutum exemplar ad imitandum fidelibus proponit; *De benedictionibus Patriarcharum*, sc. Expositio mystica benedictionum, quibus Jacob moribundus filiis suis benedixit; *De Elia et Jejunio*, abstinentiae laudem et commendationem praedicans; *De Nabuthe Jezraelita*, ubi introducto regis Achab et Nabuthis inopis exemplo avaritiam et pauperum oppressionem severe castigat; *De Tobia*, quo libro usurarum pravitatem condemnat; *De interpellatione Job et David*, libri IV, quibus utriusque de hominum miseriis et vi peccati, de fortuna improborum et justorum infortunio querelas repetit; *Apologia Prophetae David* ad Theodosium Augustum, qua adhibito Davidis exemplo ostendit, bonis operibus et poenitentia luenda esse hominum delicta [4]). — *S. Hieronymi Epistola LII ad Lucinium*, exhortatio ad piam vitam; *Ep. XC ad Rusticum* De poenitentia; *Ep. XCII ad Julianum*, in rebus adversis consolatio; *Ep. C ad Castrucium*, similis fere argumenti [5]); aliae Epp. et commentt.

3) ed. Petr. et Hieron. *Ballerini*. Veron. 1739. 4.

4) in Ej. Opp. ed. Cardin. *Fel. de Monte Alto*. T. I. et II. col. 293. 311. 351. 367. 399. 519. 543. 546. 569. 603.

5) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. II. col. 576. 734. 750. 801; in ed. *Vallarsi* T. I.

de custodia Virginitatis, de Viduitate servanda cett., quae melius infra inter ascetica recensentur. — S. *Augustini Liber De vita beata*, quam reponit in cognitione Dei; *Libri II De ordine*, ubi agit de providentia divina, cui omnia subsunt; *Libri II Soliloquiorum*, quae sunt exercitia pietatis; *De Magistro*, dialogus, quo probat Deum esse magistrum, qui nos intus veritatem doceat; *Libri II De moribus catholicae Ecclesiae* (et de moribus Manichaeorum), quorum prior, qui huc spectat, velut compendium doctrinae moralis complectitur, et fundamenti loco ponit, solum Deum esse animae nostrae summum bonum et supra omnia hoc nomine amandum; varias autem virtutes nihil esse aliud, quam diversos ejusdem amoris modos [6]). Ejusdem *Speculum* i. e. collectio locorum S. Scripturae, qui praecepta moralia continent; *De sermone Domini in monte secundum Matth.* V—VII, Libri II itidem praeceptis et considerationibus moralibus contexti [7]); porro *Libb. De Fide et Operibus*, in quibus maxime inculcatur, fidem non posse operibus carere; *De fide, spe et caritate* s. *Enchiridion* ad Laurentium, ubi praeter fidei dogmata etiam de iis agitur, quae salutis causa sint agenda; *De agone christiano*, quomodo contra insidias diabolicas pugnandum sit; *De continentia*, quo libello docet, qua ratione affectus mali sint refrenandi; *De bono conjugali*, in quo matrimonium bonum esse contendit, docetque quando et cur ineatur; *Liber de sancta Virginitate*, quam Dei donum esse nec subsistere sine humilitate dicit; *De bono Viduitatis* ad Julianam, quam monet, nuptias non quidem damnandas, tamen coelibatum esse conjugio praeferendum; *De conjugiis adulterinis*, ubi de matrimonii indissolubilitate disserit, et exponit, neque viro conjugis adulterae post divortium aliam ducere licere; *De mendacio*, et alius libellus *Contra Mendacium*, ubi disserit an sit licitum in quibusdam casibus mentiri; *De opere Monachorum*, quo

6) in Ej. Opp. ed. *Maur.* T. I. col. 297. 315. 355. 541. 687.
7) ibid. T. III. P. I. col. 681; P. II. col. 165.

otiosos monachos ad laborandum incitare studet; *Liber De Patientia*, quam virtutem Christianis maxime commendat; *De disciplina christiana liber*, in quo exponit quid sit christiane vivere [8]). Accedunt Ejusdem varii *Sermones* ethici argumenti, quorum catalogum texere non in animo est, cum sit eorum ingens multitudo (cf. §. 206.); singulatim autem hic memoranda est ejus *De quatuor virtutibus caritatis* commentatio e Florentino codice eruta a Fontano [9]). — **Pelagii** *De pie vivendi ratione* Epistola ad Celantiam, olim S. Hieronymo, Paulino, Sulpicio Severo, aliis perperam tributa [10]). — **Nicetae** Daciae Episcopi *Ad lapsam Virginem* [11]), qui libellus antea S. Hieronymo, a nonnullis autem aeque falso S. Ambrosio accensitus est. — **Fastidii** Episcopi *De vita christiana* et *De viduitate servanda*, quae opuscula duo olim in unum connexa S. Augustino perperam tributa sunt [12]). — **S. Maximi Taurinensis** opera non pauca habent, quae huc pertinent, et partim in *Homiliis* de diversis, partim in *Sermonibus*, partim in *Tractatibus* quos scripsit, exhibentur, e. gr. De non timendis hostibus carnalibus, De gratiis post cibum Deo agendis, de Poenitentia, de Avaritia, de Eleemosynis, de Hospitalitate, De timore Dei et correctione linguarum, De fraterna correptione, De castitatis studio, cett [13]). — **S. Joannis Cassiani** *De institutis coenobiorum* (libb. XII) libri *octo posteriores*, qui continent expositiones morales *De remediis octo principalium vitiorum* (gastrimargiae, fornicationis, philargyriae, irae, tristitiae, acediae, cenodoxiae et superbiae), cujus opusculi lectionem S. Benedictus et Gregorius M. maxime

8) ibid. T. VI. col. 165. 195. 245. 297. 319. 341. 369. 387. 419. 447. 475. 515. 533.

9) in Novv. Eruditt. Deliec. s. *Biblioth. vett. Anecdd.* (Florent. 1793. 8.) T. III. pr.

10) ed. Jo. Sal. *Semler*. Hal. Magdeb. 1775. 8.

11) in S. Hieronym. Opp. ed. *Vallarsi*. T. IX. p. 178. sq.

12) in S. August. Opp. ed. *Maur*. T. VI. Append. col. 183.

13) in Ej. Opp. ed. Bruno *Bruni*. Rom. 1784. f.

commendarunt [14]). Multa etiam in Ejusdem *Collationibus* (§. 192.) insunt, quae praecepta moralia tractant; puta *De sapientia christiana*, *De voluptatibus*, *De renunciatione seculi*, *De morte Sanctorum*, *De oratione*, *De castitate*, cett. — *S. Petri Chrysologi Sermones*, quorum plerique singulos Evangelii textus exponunt additis moralibus meditationibus [15]). — *Valeriani* monachi et episcopi Cemelensis *Homiliae*, quarum pars aliqua in festa Sanctorum, maxima vero pro moribus conformandis conscripta est [16]). — *Salviani De Providentia* s. *De gubernatione Dei et de justo ac praesenti ejus judicio libri VIII*, quibus flagitiosos et impios homines ad poenitentiam incitare et commovere conatur; *Adversus avaritiam libri IV*, sub ficto Timothei nomine editi, in quibus avaritiam omnium vitiorum gravissimum maximeque detestabile esse docet; praeterea multa etiam in *Epistolis* ejus, quae ad vitam moresque spectant, continentur [17]). — *S. Leonis M. Sermones* non pauci, in quibus res morales pertractat, ac de virtutibus vitiisque multum, inprimis de Eleemosynis, de Jejunio, disserit, praeterea in *dogmaticis* quoque sermonibus paene cunctis morales reflexiones ad aedificationem, institutionem atque emendationem fidelium compositas ingerit aut annectit. Extat etiam sub ejus nomine tractatus s. *Epistola ad Demetriadem*, in qua exponitur de humilitate christiana [18]); sed de auctore, utrum Leo sit, an Prosper Aquitanicus, an alius illius temporis ambigitur. — *Antonini Honorati* Afric. Episcopi *Epistola ad labores pro Christo ferendos exhortatoria* ad Arcadium quendam in solatium scripta, cum in persecutione Vandalica ob Christi fidem exilio mulctatus esset [19]). — *S. Ennodii*

---

14) in Ej. Opp. ed. Al. *Gazaeus*. (Lips. 1733. f.) p. 74—210.
15) ed. P. Seb. *Pauli*. Venet. 1750. f.
16) in Andr. *Gallandii* Biblioth. PP. T. X. p. 123. sqq.
17) in Ej. Opp. ed. Steph. *Baluze*, Par. 1669. 8.
18) in Ej. Opp. ed. *Ballerinorum* (Venet. 1755. III. f.) T. I.
19) ed. in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. VIII. p. 655. sqq.

Paraenesis didascalica ad adolescentes duos, quos ad virtutem amplectendam adhortatur[20]. — *Fulgentii Ferrandi De septem regulis innocentiae*, opusculum paraeneticum continens praestantissimas vitae christianae regulas[21]. — *S. Caesarii Arelatensis Sermones* varii, qui huc possunt referri e magno numero eorum, qui hic illic editi sed nondum collecti sunt, cum valde difficile sit genuinos discernere a suppositititiis (cf. §. 206.) — *S. Martini Bracarensis De differentiis quatuor virtutum* seu Formula honestae vitae, in quo libello de quatuor virtutibus cardinalibus exponit[22]; ejusdem alii tractatus duo *De moribus* et *De paupertate*[23]. Sed hi omnes ex *Senecae* gentilis philosophi scriptis compilati sunt libri atque inde olim saepe sub hujus nomine evulgati. — *S. Gregorii M. Expositio in Job* seu *Moralium libri XXXV*, qui ad preces Leandri Hispalensis scripti praestantissima vitae morumque praecepta continent, et quasi pro promtuario rerum moralium haberi possunt[24a]. — Hoc opus postea *S. Odo* Cluniacensis Abbas in angustius redegit, et curatius sensus mysticos ac morales ubique lectionis causa compendio subjecit[24b]. — *S. Isidori Hispalensis Libri sententiarum tres*, magnam partem ex Gregorii M. libris Moralium nec non ex scriptis Augustini aliorumque excerpti eo animo, ut tanquam compendium cum ethicum tum dogmaticum inservire possint. Huc spectant Ejusdem *Soliloquia*, libellus contemplationis in forma monologica, quo quomodo a vitiis caveant, illecebras mundi vitent, peccata lugeant, et ad aeterna praemia perveniant, breviter et exacte docet; item *De conflictu vitiorum et virtutum*, similis argumenti libellus, de quo certatur, num

20) in Ej. Opp. ed. *Sirmond.* Paris. 1611. 8.

21) in Ej. Opp. ed. Fr. *Chifflet.* Divion. 1649. 4. Bibl. PP. *Lugdun.* T. IX. 494.

22) ed. in Bibl. max. *Lugdun.* T. X. p. 382—385.

23) ibid. et seorsim ed. a *Lodegar. a Queron.* Paris. 1556. 4.

24 a) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. I. col. 1. sqq. — 24 b) in Bibl. PP. *Lugd.* T. XVII. p. 316—456.

Isidori sit an Autperti Monachi O. S. Bened. de Seculo octavo [25]). — *S. Columbani Instructiones XVI*, i. e. Exhortationes christianae totidem capitibus absolutae et ad Monachos suos directae, ut ad pietatis et perfectionis studium eos excitaret; Ejusdem *De octo principalibus vitiis* [26]). — *Althelmi* Sherburnensis in Anglia Episcopi *De laude Virginum* carmine heroico; et *De octo principalibus vitiis* eodem metro [27]. — *S. Bedae Scintillae* i. e. Compilatio Proverbiorum moralium e S. Scriptura et Ecclesiae Patribus collecta et in octoginta titulos digesta. Huc spectant etiam Ejus *Homiliae*, quae maximam partem virtutis ac pietatis studio excitando inserviunt [28]); nec non Ejusdem *Expositio in Pentateuchum* (vd. §. 122.), ob multas, quae ibi occurrunt, reflexiones morales. — *S. Anselmi* Cantuar. *Homiliae s. Exhortationes ad contemtum temporalium et desiderium aeternorum*; Ejusd. *Liber meditationum*, quibus ad timorem et amorem Dei exstimulat [29]). — *Hugonis de S. Victore Institutiones in Decalogum*; *De laude Caritatis*; *De modo orandi*, alia [30]). — *S. Bernardi De gradibus humilitatis et superbiae liber*, ad instantiam Godofredi Prioris Claraevallensis ac postea Episcopi Lingonensis conscriptus, cum retractatione in eundem librum; item *De diligendo Deo* ad Haymericum S. R. E. Cardinalem liber, in quo exponitur, cur et quomodo diligendus sit Deus, simulque origo, gradus et obligatio hujus amoris declaratur [31]); porro *Sermones varii*, velut *De fallacia et brevitate vitae praesentis*; *De obedientia, patientia et sapientia*; *De primordiis, mediis et novissimis*; *De septem donis S. Spiritus et contra septem vitia*; *De triplici custodia, manus, linguae, cordis*; *De*

25) in Ej. Opp. ed. *Arevali*. T. V et VI.
26) in Ej. Opp ed Patr. *Flemingo*. Lovan. 1667. f.
27) in Bibl. max. *Lugdun*. T. XIII. p. 3. 19.
28) in Ej. Opp. (*Colon*. 1688. VIII. f.) T. VII. col. 370.
29) in Ej. Opp. ed. *Gerberon*. P. II. p. 190. 202.
30) in Ej. Opp. ed. *Rotomag*. T. II.
31) in Ej. Opp. ed. *Mabillon*. Vol. I. (T. II.) col. 563. 587.

verbo Domini: „*Omnis qui se exaltat etc.*" (Luc XVIII. 14.); Duo Sermm. *De verbis Apostoli*: „*Non est regnum Dei esca et potus*" (Rom. XIV. 17.); *De verbis lib. Sapientiae*: „*Justum deduxit Dominus per vias rectas*" (Sap. X. 10); *De quadruplici debito; de quatuor modis orandi; De subjectione voluntatis; de ingratitudine;* alii non pauci [32]). — *Innocentii III De contemtu mundi libb. VIII; De Eleemosyna* lib. unus; unus item *De laude caritatis;* tres *De veneratione Sanctorum* [33]). — *Petri Blaesensis* Tractatus tres: *De amicitia christiana; De charitate Dei; De utilitate tribulationum* [34]). — *Guilielmi Parisiensis* varia Scripta moralia e. gr. *Summa virtutum; Summa vitiorum; De bono et malo; De operibus virtutis; De remediis tentationum*, cett. [35]). — *S. Bonaventurae* Lib. *de quatuor virtutibus cardinalibus; De tribus ternariis peccatorum; De pugna Spiritus adv. septem vitia capitalia; collatio de contemtu seculi* [36]); Ejusdem Liber *De regimine animae; De septem gradibus contemplationis;* formula aurea *De gradibus virtutum;* alia [37]); Item *De compositione hominis exterioris et interioris reformatione; De vitiis et eorum remediis;* cett. [38]) — *S. Thomae Aquin. Commentaria in libros X Ethicorum* (Aristotelis), aliaque multa hujus argumenti in reliquis ejusdem scriptis dispersa [39]). — *S. Petri* Monachi, posthac *Coelestini* nomine V. Papae *Opuscula plura*, praesertim Opusc. I, quod inscribitur De virtutibus, ubi de donis Spiritus Sancti, de Beatitudinibus, de virtutibus theologicis, cardinalibus, aliis disseritur; Opusc. II, quod de vitiis ac peccatis agit; Opusc. III et IV, quibus de hominis et humanarum rerum

32) ibid. Vol. I. (T. III.) col. 1089. sq.
33) in Ej. Opp. ed. *Venet*. 1578. 4.
34) in Biblioth. PP. *Lugdun*. T. XXIV. p. 1209—1248.
35) in Ej. Opp. ed. *Paris*. T. I et II.
36) in Ej. Opp. ed. *Jo. de Augustinis* et *Jo. Illuminat*. T. IV.
37) ibid. T. V.
38) ibid. T. IX.
39) in Ej. Opp. (ed. *Rom*. 1570. XVIII. f.) T. V.

vanitate et de vita pro diverso status et conditionis genere bene instruenda exponitur [40]).

b. Ascetica.

aa. Graecorum Patrum.

§. 191. Multum *ascetici* generis continet *Clementis Alexandrini Stromatum liber VII* [1a]); in quo vitam religiosam hominis vere christiani, quem perfectum *Gnosticum* dicit, in conjunctione sua cum Deo describit. — Proprie autem huc pertinent jam *S. Clementis Rom. Duae ad Virgines epistolae* (§. 189.) in quibus totum paene sermonem de Virginitatis praestantia et coelebis vitae laudibus contexuit. — *S. Methodii Convivium decem Virginum s. Symposion* qui liber X Orationes, praestantissima item Virginitatis encomia in forma Dialogi, continet [1b]). — *S. Antonii* Anachoretae *Regula* Monachis praescripta, et *S. Pachomii* Abbatis *Regula Monachorum*, quam ipse unacum SS. *Oriesio* et *Theodoro* discipulis suis conscripsit; nec non ejusdem Pachomii *altera* ab antecedente plane diversa, quae primum aegyptiace scripta, deinde in graecam, et ab Hieronymo in latinam linguam translata est [2]). — *S. Jacobi Nisibeni Dissertatio de Ascetis*, unacum Sermonibus ejus syriace scriptis evulgata [3]). — *S. Arsenii Doctrina et exhortatio ad Monachos*, a Combefisio primum evulgata [4]). — *S. Athanasii Vita Antonii Abbatis* [5]). — *S. Basilii* Magni *Ascetica*, quae praeviam *asceticae vitae institutionem*, plures ejusdem argumenti

---

40) in Biblioth. PP. max. *Lugd.* XXV. p. 770—802.

1a) in Opp. omn. ed. *Potteri.* p. 828. sqq. — 1b) in *Combefisii* ed. Opp. SS. Amphilochii, Methodii et Andrae, Par. 1644. f.

2) in Luc. *Holstenii* Cod. Regull. Monasticarum ex rec. Mariani *Brockii*, (Aug. Vind. 1759. VI. f.) T. I. p. 3—6. 22—47.

3) ed. Nic. Mariae *Antonelli* S. R. E. Cardin. Rom. 1756. f.

4) in *Gallandii* Biblioth. PP. T. VII.

5) in Ej. Opp. ed. *Heidelberg.* T. II. col. 445; ed. *Montfauc.* T. I. P. II.

sermones de renunciatione secali et spirituali perfectione, *regulasque* fusius per quaestiones et responsiones tractatas continent [6]). — *S. Ephraemi Syri* opuscula plura, e. gr. *Sermo asceticus; De virtute et consilio, de vita spirituali;* uterque ad monachum novitium [7]); item *Sermones paraenetici* ad monachos Aegyptios; *de perfectione monachi; paraenesis ad Ascetas* [8]); porro *de solitariis et anachoretis*, alia [9]). — *S. Gregorii Nysseni De virginitate Oratio* s. Epistola exhortatoria; alia *de perfectione* ad Olympium monachum [10]). — *S. Macarii Aegyptii* s. Senioris *Opuscula ascetica VII* [11]), — *SS. Serapionis, Macarii* Aegyptii, *Paphnutii* et alterius *Macarii Regula; S. Macarii* Alexandrini *Regula ad Monachos;* *Regula Orientalis* i. e. ex Patrum orientalium regulis a *Vigilio* Diacono collecta [12]). — *S. Joannis Chrysostomi Adversus vitae monasticae impugnatores libri III,* et *De comparatione regis et monachi liber,* in quo veri monachi beatudinem regia felicitate longe majorem exhibet [13]). — *Evagrii* Monachi *Sententiae ad eos, qui in coenobiis et xenodochiis habitant fratres,* et Ejusdem *Sententiae ad Virgines* [14]). — *S. Joannis Climaci Scala Paradisi* s. de perfectione monastica ad Abbatem Raithuensem; item *Epistola* (seu liber) *ad religiosum Pastorem* [15]). — *S. Nili Capita paraenetica* i. e. CCXXIX Sententiunculae morales et asceticae; *Liber asceticus* proprie dictus; *Ad Monachos institutio,* et alia ejusdem generis brevior *Ad juniores monachos;* porro *Epistolae* per-

---

6) in Ej. Opp. ed. *Garnerii.* T. II. p. 199. 318.
7) in Ej. Opp. graeco-lat. ed. *Assemanni* T. I. 5. 24. 28.
8) ibid. T. II. 6. 21. 27.
9) ibid. T. III. (syr.-latt.) 9.
10) in Ej. Opp. ed. *Morelli.* T. III. p. 111. 113. 275.
11) in Ej. Opp. ed. Ge. *Pritii.* Lips. 1699. (1714) 8.
12) in *Holstenii* Cod. Regull. T. I. p. 6—9. 18—22. 60—65.
13) in Ej. Opp. ed. *Montfauc.* T. I. p. 44—121.
14) in *Holsten.* Cod. Regg. T. I. p. 465—469.
15) in Ej. Opp. ed. Matth. *Raderus.* p. 1. 461.

multae ad diversos, praesertim Monachos et Ascetas [16]. — S. *Joannis Damasceni Sermones* aliquot *ascetici* [17]. — S. *Theodori Studitae Capita IV de vita ascetica* [18]. — Ceterum videsis *Petri Possini Thesaur. ascet.* q. e. Syntagma opusculorum octodecim a graecis olim Patribus de re ascetica scriptorum, Paris. 1684. 4.

bb. Latinorum.

§. 192. S. *Hilarii Pict. Epistola ad Abram filiam*, qua eam hortatur, ut Christum unicum sibi in vita Sponsum eligat [1]. — S. *Ambrosii De institutione virginis ad Eusebium*, in quo B. V. Mariae virginitatem probans simul de consecratione virginis Deo dicatae loquitur; simile encomium continet ejusdem *Exhortatio virginitatis*, et *De virginitate liber unus*; his addenda est *In Susannam lapsam objurgatio*, ubi de virginis consecratae lapsu et publica injuncta poenitentia agit; inprimis *De virginibus ad Marcellinam sororem libri III*, in quibus tanto se effudit eloquio, ut quidquid ad laudes Virginum pertinet, exquisierit, expresserit, ordinaverit; postremo *De Viduis*, quo libro viduitatem prae secundis nuptiis commendat [2]. — Huc possunt referri etiam *Rufini Historia eremitica* seu *Vitae Patrum libri X*, sanctorum nempe triginta trium Eremitarum vitas continentes [3]. — S. *Hieronymi Vita S. Pauli* primi eremitae, *S. Hilarionis* monachi Palaestinensis, et *S. Malchi* monachi captivi Syriaci [4]; Ejusdem Epist. XVIII ad Eustochium *De custodia virginitatis; Liber adv. Helvidium*, qui virginitatem conjugali vitae prae-

---

16) in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. II. p. 1147. sqq.
17) in Ej. Opp. ed. *le Quien.* T. II.
18) in Petri *Possini.* Thes. ascet. Par. 1684. 4.
1) in Ej. Opp. ad edit. Maur. cur. *Oberthür.* T. IV. p. 1—33.
2) in Ej. Opp. ed. a *Monte-Alto.* T. IV. col. 415. 433. 445. 449. 457. 497.
3) ed. stud. Herib. *Rosweydi*, Antwerp. 1615. f.
4) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 68—96.

ferendam negavit; *Libri II adv. Jovinianum*, qui similiter agunt de virginitatis praestantia prae conjugali conditione; *Epist. XXX ad Pammachium* s. liber Apologeticus pro libris quos contra Jovinianum scripserat; *Epist. XLVII ad Furiam* de viduitate servanda; *Epist. LXXXV ad Salvinam* ejusdem argumenti [5]); item *Ep. V ad Heliodorum* De laude vitae solitariae; *Ep. XXXIV ad Nepotianum*, Institutio Clerici et Monachi; *Ep. XLIX ad Paulinum*, s. norma Monachorum, quid ipsis fugiendum sit, quid sectandum; *Ep. XCV ad Rusticum monachum* De vita monastica optime instituenda [6]). — S. *Augustini* Epist. CIX seu *Liber de sancta Virginitate*, regulam Sanctimonialibus praescriptam continens, quam ad Sororem suam miserat [7]). Ex hac Augustini Epistola vera, quae nunc observatur, *Augustinianorum regula* quatuor et viginti articulos comprehendens confecta est. — S. *Paulini Nol.* Exhortatio ad Monachos *De ponitentia* [8]). — S. *Joannis Cassiani De institutis coenobiorum libri XII* [9]), rogante Castore Episcopo Aptae Juliae conscripti; sed, quae huc pertinent, potissimum sunt *quatuor libri priores*, quibus institutiones monasteriorum orientalium, vitae methodi ibi inductae, et regulae monasticae describuntur, reliqui vero de octo principalibus non solum monachalis sed christianae omnino vitae vitiis agunt. Ejusdem porro *XXIV Collationes Patrum* [10]) ascetici potissimum argumenti, de Sapientia christiana, de renunciatione seculi, de morte Sanctorum, de perfectione, de castitate, cett.; continent quasi Enchiridion locupletissimum, quo Monachos ad perfectissimam vitam instituit, et, quae ipse hac de re sentit, in forma dialogica quasi ex ore celeberrimorum Doctorum et Anacho-

5) ibid. col. 27. 129. 144. 230. 554. 663.
6) ibid. col. 6. 257. 563. 769.
7) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. VI. col. 341.
8) in Luc. *Holstenii* Cod. Regularum. T. I. p. 494.
9) in Ej. Opp. ed. Al. *Gazaeus.* p. 1—210.
10) ibid. p. 215—631.

retarum orientalium profert. — *Fastidii* Episcopi *De viduitate servanda*, qui libellus unacum alio quodam, cui titulus *De vita christiana ad Fatalem* in unum contortus diu sub S. Augustini nomine circumferebatur, donec Luc. Holstenius eum denuo edidit [11]), atque auctori vero restituit. — *S. Eucherii* opuscula quaedam *ascetica*, velut *De laude eremi* ad S. Hilarium Arelatensem; item *De contemtu mundi*, epistola paraenetica ad Valerianum; nec non *Exhortatio ad Monachos* et *Admonitio ad Virgines* [12]). — *S. Fausti* Regienses *Sermones sex adhortatorii* ad Monachos Lerinenses, cum *duabus aliis* admonitionibus, quarum tamen altera, an genuina sit subdubitatur [13]). — *Juliani Pomerii De vita contemplativa Libri III*, qui semper Clericis maxime commendati sunt a recentioribus Patribus [14]). — *S. Aviti Poëmatum* Liber sextus, *de laude Virginitatis* ad Fuscinam sororem virginem Deo sacratam [15]). — *S. Benedicti Regula ad Monachos Cassinenses* toto orbe celebrata [16]). — *S. Caesarii* Arelatensis *Regula Monachorum*; item *Regula pro Virginibus*, et Ejusdem *Exhortatio ad Sanctimoniales* similiter ascetici argumenti [17]). — *Aureliani* Arelatensis *Instituta Regulae ad Monachos et ad Virgines*, maxime ex supradictis SS. Benedicti et Caesarii Regulis desumta [18]). — *S. Leandri* Hispalensis *Libellus ad Florentinam sororem* s. Regula pro Sanctimonialibus capita XXI continens [19]). — *Eutropii* Episcopi Hispani *De octo vitiis ad Monachos*;

11) ed. Rom. 1683. 8.

12) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. VI. p. 822. sq.; et in *Holsten.* Cod. Regg. T. I. p. 478—480. 481.

13) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. VIII. p. 545. sqq.

14) in *S. Prosperi* Aquit. Opp. (sed perperam huic attributi), ed. *Le Brun* et *Mangeant*. Paris. 1711. fol.

15) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. IX. p. 621.

16) in L. *Holstenii* Cod. Regg. T. I. p. 111—136.

17) ibid. p. 145—147. 352—366.

18) ibid. p. 147—155. 368—375.

19) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XII. p. 999.

et aliud Ejusdem opusculum *De districtione Monachorum et ruina monasticorum* [20]). — *S. Isidori* Hispalensis *Regula monachorum*, XXI capita complectens, ad Monachos coenobii Honoriani ab ipso conditi, ut ad severiorem disciplinam eos revocaret [21]). — *S. Columbani Regula monastica*, X capita continens et proxime pro monachis coenobii Bobbiensis sibi subditis conscripta [22]). — *S. Donati* Episcopi Vesontini *Regula ad Virgines* i. e. Sanctimoniales monasterii a matre sua Flavia ibidem conditi; item *Commonitorium ad Monachos* SS. *Pauli et Stephani*, quod pariter nihil aliud est quam regula quaedam monastica; utramque S. Benedictus Anianensis in suum Codicem Regularum (§. 193.) recepit [23]). — *S. Fructuosi* Monachi, deinde Archiepiscopi Bracarensis *Duae regulae monasticae;* altera XXV capita complectens ad monachos suos Complutenses, altera communis pro reliquis ejusdem Ordinis monasteriis consignata [24]). — *S. Chrodegangi* Metensis Episcopi *Regula pro Canonicis regularibus* [25]). — *Althelmi* (Adelmi, Adelhelmi) Sherburnensis in Britannia episcopi *De laude Virginum* liber unus, carmine heroico; *De octo principalibus vitiis* eodem carminis genere liber; et Ejusdem *De laudibus virginitatis* sermone soluto tractatus [26]). —

§. **193.** A seculo octavo deinceps commemoratu maxime digna sunt *S. Benedicti Anianensis Codex regularum* tam occidentalium quam orientalium Ordinum monasticorum [1]); Ejusdem *Capitula de disciplina monastica* [2]), — *Smaragdi*, O. S. B. Monachi, *Diadema mo-*

20) ibid. T. XXVII. p. 480. 482.
21) in *Holstenii* Cod. Regg. T. I. p. 186—198.
22) ibid. p. 166—179.
23) ibid. p. 375—398.
24) ibid. p. 198—220.
25) ibid. T. II. p. 93—109.
26) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XIII. p. 1—50.
1) ed. Luc. *Holstenii.* Rom. 1661. Paris. 1663. 4; et saep.
2) in (Marqu. *Hergott.*) Vet. disciplina monast. Paris. 1726. 4.

nachorum, opusculum (ut auctor ipse paucis praefatur) ad id potissimum serviens, ut perfectorum monachorum corda demulceat, et ad desiderium coelestis patriae erigat; infirmorum autem corda confirmet, et ad emendationem perducat [3]). — S. *Odonis*, Abbatis Cluniacensis O. S. B., *Collationum libri III*, de hujus vitae afflictionibus, tentationibus, ac perversitate pravorum; de iis, qui divinam servitutem aspernantes vanae gloriae se dedicant [4]). — *Lanfranci Constitutiones* s. sui ordinis consuetudines [5]). — S. *Anselmi Meditationes* XXI diversi argumenti [6]). — S. *Norberti* Ord. Praemonstratens. fundatoris *Sermo adhortatorius ad fratres* [7]). — *S. Petri Mauritii*, Abbatis Cluniacensis, *Statuta congregationis Cluniacensis*, capitulis LXXVI contenta [8]). — *Hugonis Victorini Expositio in regulam S. Augustini*; Ejusdem *De institutione Novitiorum*; *De meditatione* libellus; *De vanitate mundi* libri IV, alia [9]). — *S. Bernardi*, Abb. Claraevallensis, permultae *Epistolae ascetici generis*, de vocatione, statu et virtutibus Religiosorum ad Abbates et Sanctimoniales, quas Mabillonius in elencho Opp. S. Bernardi praefixo pro argumenti qualitate selegit; item Ejus *Apologia de vita et moribus Religiosorum* [10]). — *Richardi Victorini* Opuscula mystica et *ascetica*, De exterminatione mali et promotione boni; De eruditione interioris hominis libri III, Benjamin minor et major sic dictus s. praeparatio ad contemplationem et libri V de Gratia; item De gradibus caritatis, alia [11]). — *Alberti*, Episcopi Vercel-

---

3) in Biblioth. PP. *Lugdun*. T. XVI. p. 1305—1342.

4) ibid. T. XVII. p. 272—313.

5) in L. *Holstenii* Cod. Regg. ed. Brockii (Aug. Vind. 1759.) T. II. p. 343—385.

6) in Ej. Opp. ed. *Gerberon*. p. 202—247.

7) in Biblioth. PP. *Lugdun*. T. XXI. p. 118.

8) ibid. T. XXII. p. 1132.

9) in Ej. Opp. ed. *Rothomag*. T. II.

10) in Ej. Opp. ed. *Mabill*. Vol. I. T. I. col. 104; T. II. col. 530.

11) in Ej. Opp. ed. *Venet*. T. I.

lensis et dein Patriarchae Hierosol. in part. infid., *Regula monastica Ord. Carmelitarum* ab Honorio III. R. P. approbata et a Gregorio IX. confirmata, quae XVI Articulis digesta diuturnas preces, rigidissimum jejunium, perpetuam ab esu carnium abstinentiam, solitudinem, silentium etc. praescribit [12]). — *S. Dominici Regula pro fratribus Praedicatoribus* ab Honorio III. sancita [13]). — *S. Francisci Seraphici Regulae* tres, una et ea bipartita pro *Fratribus Minoribus* ab Innocentio III. et Honorio III. RR. PP. confirmata; altera pro *Clarissis Sanctimonialibus* ab Innocentio IV. sancita; tertia pro *Tertiariis* s. fratribus de poenitentia a Nicolao IV. approbata; Ejusdem *Collationes monasticae* ad Fratres [14]). — *Humberti* de Romanis, Ord. Praedicatorum Praepositi generalis, *Expositio super Regulam D. Augustini;* Ejusdem *De tribus votis substantialibus religionis* etc. Epistola, quam per totum ordinem ad singulas provincias emisit; et *Speculum Religiosorum* s. institutionis vitae spiritualis libri VI [15]). — *S. Petri, Coelestini V.* Papae, *Liber asceticus*, qui est quintus communi ordine digestus cum inscriptione *De sententiis PP. Eremitarum*, in quo de fuga et contemtu mundi, deque Monachi clausura, paupertate, obedientia, silentio, abstinentia, labore, patientia, poenitentia, humilitate, oratione, contemplatione cett. disseritur [16]). — *S. Bonaventurae Speculum* animae; *De perfectione* vitae ad Sorores; *Exercitia* spiritualia [17]); Expositio *Regulae fratrum Minorum* [18]); *Regula Novitiorum* et *Speculum disci-*

12) in Pr. *Stellarti* Fundamentt. ed. Regg. omnium Ordd. monast (Duaci 1626. 4.) p. 460.

13) in *Holstenii* Cod. Regg. T. V. p. 1—219.

14) in Ej. Opp. ed. J. de la *Haye*, Paris. 1641. Pedepont. 1739. f.) p. 1—50.

15) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XXV. p. 567—754.

16) ibid. T. XXV. p. 802—813.

17) in Ej. Opp. ed. *Fratt. O. Minor.* Venett. T. IV; ed. *Rom.* 1588. T. VII. opusc. 3. 11. et T. VIII. op. 8.

18) ibid. ed. Venet. T. III., ed. *Rom.* T. VIII. op. 9.

plinae; alia[19]). — Posterioris operis quasi uberior expositio est *Davidis de Augusta*, Ordinis S. Francisci Monachi, *Formula Novitiorum* s. Epistola, quam Ratisbonam Novitiis tanquam medullam evangelicae perfectionis pro eorum informatione misit. Opus hoc tribus peculiaribus libris continetur, quorum primus inscribitur *De exterioris hominis reformatione*, capp. XLI; secundus *De interioris hominis reformatione*, capp. LXI; tertius *De septem processibus religiosi status*, capp. LIII complectens[20]).

2. Disquisitio critica de ss. Patrum eruditione morali.

§. 194. Quid de *morali* Patrum Ecclesiae theologia sit statuendum, qua in aestimatione illa haberi debeat, quaestio est, superiori seculo vehementer agitata. Hujus controversiae ansam dedit Calvinista Jo. *Barbeyracus Professor jur. Lausodum postea Groningae*, quum opusculum Samuel. *Pufendorfii De jure naturae et gentium* (Amstelod. 1706.) in linguam Gallicam transtulisset, et praemissa a se praefatione, in qua inter alia de Patrum doctrina morali copiosius exposuerat, iterum in lucem edidisset[1]). Contra hujus libri praefationem calamos strinxerunt Remig. *Ceillierus O. S. B. Monachus*[2]), et Jo. Franc. *Buddeus* eruditissimus Lutheranus[3]). Hanc censuram non ferens *Barbeyracus* novum in lucem emisit librum[4]); ipso vero Ceilliero, ut qui isto libro maxime petebatur, novam sui defensionem detrectante alii

19) ibid ed.. Venet. T. X., *Rom.* T. VIII. op. 2. 3.

20) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XXV. p. 869—936.

1) Le droit de la nature et des gens, Amstelod. 1712. 4.

2) Apologie de la Morale des Pères de l'Eglise contre les injustes accusations du Ms. Jean Barbeyrac, Paris. 1718. 4.

3) Isagoge hist. theol. ad theologiam universam, (Lips. 1727. II. 4.) Lib. II. c. 4., in nott. ad §§. 4. 5. p. 629.

4) Traité de la Morale des Pères de l'Eglise où en défendant un article de la préface sur Pufendorf etc. Amstelod. 1728. 4.

VV. DD. adversus Barbeyracum surrexerunt, ejusque cum priorem, quam diximus, praefationem tum posteriorem tractatum perstrinxerunt, praesertim *Damianus Romae caussarum patronus Neapolitanus* [5]) *Griffinus* [6]), *Fassonus* [7]), Dan. *Tobenz Prof. theol. dogm. in litt. Universit. Vindobonensi* [8]), denique Jo. Bpt. *Micheletti* [9]).

§. **195.** Post tanta tantorum virorum conamina nos pauca habemus adjicere ut ostendamus, *Barbeyraci*, J. P. *Milleri* aliorumque recentiorum censuram esse partim injustam, partim aequo vehementiorem; et *injustam* quidem, inquam, quia multas doctrinas a Patribus propugnatas, quae sunt *orthodoxae*, pro *falsis* habent Protestantes, imo adeo non paucas sententias in Patribus se reperisse *erroneas* dicant quidem, quas *nullibi* tamen Patres revera tradiderunt. Primum autem ss. Patribus in vitium vertitur, quod nonnulli *cum contemtu matrimonii vitam coelebem ac solitariam perpetuamque virginitatem* summo opere commendarint. Testes adferunt Tertullianum, SS. Ambrosium et Hieronymum, quorum libri jam ex inscriptionibus satis superque virginitatis studium declarent. Sed quod ad locos *Tertulliani* adlatos (Lib. I ad uxor. c. 3; De Exhort. castitatis c. 3.) attinet, in posteriore, quum ex libro desumtus sit, quem *post* defectionem suam scripsit, non est, quod diutius insistamus; prior autem locus sanctitatem *matrimonii* utique tuetur, sed a secundis tantum ineundis nuptiis uxorem avertere conatur rigidissimis fortasse expressionibus, minime vero ita, ut eas tanquam *illicitas* vetaret omnino. *Hieronymus* autem et *Ambrosius*, dum virginitatem laudant, summisque elogiis com-

5) Della Morale de SS. Padri apolog. Neap. 1756. 8.

6) De PP. eloquentia in morum institutione tradenda adv. Barbeyracum, Bonon. 1762. 8.

7) De morali PP. doctrina adv. librum Jo. Barbeyraci, Liburn. 1767. 4.

8) Examen tractatus Barbeyraci de doctr. morali PP. Eccl., Vienn. 1785. 8.

9) Apologia de ss. Padri contr. Barbeyrac. Neapol. 1790. II. 8.

mendant, *salva tamen matrimonii reverentia*; nihil profecto aliud faciunt, quam quod *Christus* et *Apostoli* satis innuunt, statum virgineum conjugali potiorem esse.

§. **196.** Altera criminatio circa *secundas nuptias* versatur, quas Patres nonnulli plane reprobare videantur. Dicunt enim adversarii, *S. Athenagoram* in Legatione pro Christianis §. 33. *honestum adulterium* eas vocitare; *Clementem* autem *Alexandrinum* lib. III Strom. p. 548. (ed. Potteri) easdem haud convenire dicere *perfectioni* evangelicae; a *Tertulliano* item in libro de Monogamia secunda vota *prorsus* damnari; *S. Hieronymum* in Epistola ad Ageruchiam de monogamia (Ep. XCI. ed. Maur. T. IV. P. II. col. 740. sq.) *iniquissime* hac de re sentire. Atvero quibus *Athenagoras* usus est locutionibus, easdem aut certe similes in aliis quoque Patribus invenire est, quos credidisse secundas nuptias *licere* non potest dubitari; imo ipsi *gentiles* easdem ignominiosis nonnunquam titulis onerabant, quemadmodum *Valerius Maximus* iteratum conjugium legitimae cujusdam intemperantiae signum visum esse Romanis dicit, quamquam nemo sibi persuadeat, tale quid a Romanis verum adulterium creditum esse aut fornicationem. Cf. *Tacit.* De morib. German. c. 6; *Pausan.* Corinth. II. c. 21; *Diodori Siculi* XII. c. 12. Mysticum et ideale potius, quam reale, adulterium in secundis nuptiis reprehendit, easque tanquam *nulla lege vetitas* agnoscit, quod secus non occulto sed *manifesto* vitio laborassent. Excessiva igitur expressionis arguitur, erroris accusari non potest. *Clemens Alex.* autem l. l. nihil aliud voluit significare, quam majoris perfectionis obstaculum secundas nuptias esse. Alibi ipse Clemens eas *plene* permittit dicens: *Mulier est alligata, quamdiu vivit ejus vir; si autem mortuus fuerit, libera est ut nubat alteri, modo in Domino* (Stromat. Lib. III. c. 17.).. *Nam hic quoque* (qui secundum inierit matrimonium) *non peccat ex testamento, non enim lege prohibitus est; non implet autem summam illam vitae perfectionem, quae agitur in Evangelio* (ibid. c. 12.). De *Tertulliani* libro supra laudato constat,

eum *post lapsum* demum confectum esse. Quamdiu enim a parte *Catholicorum* stabat, secundas nuptias, licet animo minus aequo erga illas afficeretur, tamen *permissas* eas aperte contendit dicens: *Mulier defuncto viro libera est, cui vult nubat, tantum in Domino* (Ad uxorem II. 2.). *S. Hieronymus* denique non malum quidem, sed majoris perfectionis impedimentum esse iteratum matrimonium recte judicavit. Nec mirum, si secundis nuptiis *gravior* aliquanto illic scripserit, ubi toto animo ad statum *virginitatis* adhortari voluit. Quam longe autem alias abfuerit, ut eas damnaret, facile apparet. Idem enim alibi: *Nos*, ait, *secundas nuptias non tam appetimus quam concedimus Paulo jubente* (I. Tim. V.) *ut viduae adolescentulae nubant* (Ep. ad Marcellam, XXVII ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 64.); et rursus: *Aperiant aures obtrectatores mei, et videant, me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino* (Apologet. ad Pammach. Ep. XXX. ed. Maur. T. IV. P. II. col. 232.); imo illum Tertulliani librum *de monogamia*, quo secundas nuptias damnavit, *haereticum* appellat et *Apostolo contradicentem*. Ad haec exempla alia multa suppeditant, quibus secundas nuptias plene permissas esse apparet. Cf. *Hermae* Past. Mand. IV. c. 4; *S. Cyrilli* Hierosol. Catech. VI; *S. Ambrosii* De viduis c. 11. §. 68; *S. Epiphanii* Ancorat. c. 21; *S. Augustini* Contra adversarium leg. et Proph. Lib. II. c. 36, et De civitate Dei Lib. XVI. c. 34; *Theodoreti* Comment. in Ep. I. Corinth. c. 7. Itaque, ut ad certa principia totam hanc doctrinam reducamus, id erit monendum, Ecclesiam veterem iterata matrimonia omnino *permisisse;* multos tamen primaevae Ecclesiae Patrum iis non *favisse*, non quasi illicita credidissent, sed quia *majori perfectioni* obicem ponere, aut libidinis potius quam prolium causa iniri putarunt; denique quosdam Patres *excessivis* quodammodo et *rigidioribus*, quam par erat, de iis *expressionibus* usos fuisse.

§. 197. Alia objectio adversus doctrinam moralem ss. Patrum allata ad *Jusjurandum* spectat, scilicet quod

Christianis omnino non esse licitum quidam Patres pronuntiarint; alia ad *bellum et militiam*, quae prorsus rejiciantur tanquam inhonesta; alia rursus ad *usuras*, quas item indiscriminatim plurimi damnaverint. Quod autem primum est ad *jusjurandum*, si *Clemens Alex.* in Paedagog. Lib. III. c. 11. (p. 199. ed. Potteri): *Jusjurandum*, ait, *rerum causa, quae venduntur, absit;* si *S. Epiphanius* in Haeres. LIX (p. 217. ed. Petavii) non oportere jurare dicit, *neque cum mendacio neque in veritate, sed dicere Etiam Etiam, aut Non Non;* si *Theodoretus* in Epitom. divv. decrett. c. 16. (T. IV. p. 436. ed. Schulze): *Vetus lex*, inquit, *mendacium prohibet; nova vero etiam jusjurandum;* — equidem non video, ubi ista diligentius et in contextu repetam, quid inde aliud jure possit erui, quam quod non solum *in rerum venditione* jusjurandum (utpote saepissime cum *temeritate* et *perjurio* conjunctum) procul absit, sed etiam in aliis rebus recte prohibeatur, iis videlicet, in quibus nulla jurandi urgeat *necessitas*. De his enim utique scriptum est: *Non assumes nomen Domini in vanum!* — Non minus injuste arguuntur Patres primaevae Ecclesiae, quod stipendia mereri et *militiae* muneribus fungi fidelibus interdixerint. Nemo enim non videt, quot et quanta tunc temporis Christianis in militia occurrerint *pericula salutis*, pericula relapsus in idololatriam, quum nimirum Romanis cum ducibus tum militibus *immolationum*, *sacrificiorum*, *asperitatis* et *injustiae* necessitas imponeretur. Merito igitur hortati sunt *Tertullianus* De idololatria c. 19., *Origenes* Lib. VIII contra Celsum (p. 425. ed. de la Rue), aliique, ne *sua sponte* fideles signa sequerentur, militiaeque stipendia mererentur. Idem vero *Tertullianus* multis locis aperte dicit, *Christianum a cingulo militari adsumendo lege quidem non prohiberi;* e. gr. Apologet. c. 37. 42; De corona militis c. 11; cett. — Denique ob *usurarum* prohibitiones si qui sunt, qui Patres accusaverint, mirarer utique, nisi satis dudum constaret, eis, quibus in aliquem invehi propositum est, familiare quidquam esse, omnia corradere, quae vel levissi-

mam erroris speciem habere videantur. Profecto enim S. *Ambrosius* in libro de Tobia (opp. ed. Monte Alti p. 546.); *Chrysostomus* Homil. in Matth. (T. VII. ed. Montfaucon. p. 573.) usuram acerbissime perstringunt, idque omni jure fecerunt docentes, quanta sit illa pestis humani generis, quam atrox malum et execrabile. *Modicas* quidem ab *opulentis* debito more accipere usuras, hodie non damnatur; sed quam Patres damnant, eam intellexerunt *impiam a foeneratoribus exagitatam.* Ceterum de his, quae modo diximus, si quis rectius sentire velit, illud attendendum est, Patres Ecclesiae in eo totis viribus laborasse, ut ad *summam*, quam possent, vitae morumque *sanctitatem* eveherent Christianos. Et perfectiori aliquando statu regni Dei in hoc terrarum orbe introducto nonne putas, *nullum* neque *jusjurandi*, neque *belli gerendi*, neque *usurarum* omnino locum esse?

§. 198. Neque solum multa ut fidei ita morum quoque dogmata a Patribus *bene quidem tradita*, ab adversariis autem *male intellecta*, iniquiorem saepe interpretationem experiuntur; sed etiam non paucae doctrinae a Patribus adoptatae *tanquam falsae* rejiciuntur, quae *orthodoxae* sunt. Sic e. gr. Jo. Ge. *Walch*, Jenensis olim theologus, vir cetera modestissimus, in Bibliotheca patristica (ed. Danz. Jenae 1834. 8.) p. 688. sq. non ad mentem *D. Augustini* videtur exposuisse assertum illud, quod legitur in Ejus Epist. CLIII. ad Macedonium T. II. ed. Maurin. col. 534): *Male possidet, qui male utitur.* Quam sententiam iste non solum in se falsam dicit sed etiam turbulentam sive ita comparatam, ut ad tranquillitatem publicam turbandam parare viam possit. Quod equidem non video, cum S. Praesul eum, qui male rebus saecularibus utatur, *morali* quidem lege male item possidere dicat, minime vero, ut male utens suis rebus spolietur moneat, sed statim subjungat, *civili* jure hanc iniquitatem male utentium tolerari. Idem S. *Cyprianum* increpat, quod *liberalitatem* erga pauperes *nimis* commendet, *eleemosynis* vim *meriti* tribuat; in eundem autem Cyprianum

aliosque veteres Ecclesiae Patres invehit, quod de *martyrio* ita verba faciant, ut illi *salutarem vim* ad peccata delenda atque expianda concedant, et illud *Baptismum secundum* s. *Baptismum Sanguinis* adpellent. Atqui utramque sententiam pia mater *Ecclesia* religiose tenet et tenendam proponit. Et de priori dogmate docet, quod ille S. Martyr tam praeclare exponit dicens: *Non haberet, quid fragilitatis humanae infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens justitiae et operibus misericordiae ostensis viam quandam tuendae salutis aperiret, ut sordes eleemosynis abluamus.* De opere et Eleemos. (p. 476. ed. Baluz.). *Ostenditur* (sc. Eccles. III. 30.), *quia, sicut lavacro aquae salutaris Gehennae ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operationibus justis delictorum flamma sopitur.* Oratio domin. (p. 477. ed. Baluz.). Alteram autem de Martyrio sententiam idem *S. Cyprianus* in Epist. LXXIII. (p. 278. ed. l.) sic habet: *Nec privantur Baptismi sacramento, qui baptizantur gloriosissimo et maximo Sanguinis baptismo, de quo et Dominus dicebat, habere se aliud baptisma baptizari* ... Idem de Oration. Domin. (p. 212. ed. l.): *Quale*, inquit, *delictum est, quod nec baptismo Sanguinis potest ablui? quale crimen, quod Martyrio non potest expiari?* Similis locus legitur in Exhortat. martyrii (p. 262. ed. l.). Et eandem sententiam profitetur *Origenes* in Comment. in Matth. (Ej. Opp. ed De la Rue, T. III. p. 718.) dicens: *Remissionem peccatorum recipit itidem, qui martyrii baptisma perfert. Martyrium sane recte Baptisma dici potest; peccata autem ei remitti, qui martyrium patitur, liquet ex Matth.* X. 32. Haec utique doctrina tempore isto omnibus Christianis jam *communis* fuit, resque tam cognita et pervulgata extitit, ut eam vel *Gentiles* non ignorarent, quod satis elucet ex actis martyrii *SS. Perpetuae* ac *Felicitatis.* Submotis igitur his aliisque ejusdem generis criminationibus circa morum doctrinam a Patribus propugnatam paucissima sane remanebunt, quae aliquo jure possint atque debeant tanquam erronea dimitti. Et in his

paucis, quos aut *incuria* fecit, aut *humana* parum cavit natura, lapsibus, cum praesertim aliis innumeris et maxime egregiis doctrinis compensentur, omnem veniam SS. Patres optimo jure merentur. Nec audiendi sunt, qui cum Joanne *Caramuele* doctrinam morum non ex *antiquis* Patribus sed e Scriptoribus *recentioribus* hauriendam putarunt, quae sententia jam dudum in comitiis generalibus ad *S. Germani* castellum ao. 1700 hab. a Clero Gallicano solenniter ceu *temeraria*, *perniciosa et erronea* proscripta est.

Patrum eruditio in theologia pastorali.

1. Scripta quae huc spectant.

§. **199.** Non minus magna sunt SS. Patrum merita de *theologia pastorali*. Praeclare enim docebant, quomodo potissimum Ecclesiae pastores omnem sollicitudinem curamque spiritualem cum in se ipsi, tum in commissum sibi gregem habeant, ut in suam et ceterorum fidelium salutem Ecclesiam Christi amplificent. Atque in his imprimis commemorandi sunt: *S. Ignatius* Antioch., qui scripsit *Epistolam ad Polycarpum*, qua huic saluberrima dedit monita ad gregem suum rite dirigendum [1]); — *S. Cyprianus*, inter cujus LXXXI Epistolas, quas ad diversos direxit, duae praesertim huc spectant, *Epist. V ad Clerum Carthag.* et *Epist. LXII* (al. IV.) *ad Pompon.*; haec de disciplina agit, qua in virgines Deo dicatas, si castitatem violassent, animadverti debeat; in illa autem praecepta dat clero suo, qua ratione tempore persecutionis officio ac munere suo fungantur [2]); — *S. Ambrosius*, qui luculentissimum opus, ab Augustino et Cassiodoro maxime commendatum, exaravit: *De officiis ministrorum Libb. III*, quibus ss. Ordinibus initiandos clericos

1) in *Hefele*. PP. apost. Opp. p. 113—117.
2) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 16. 181.

accurate ac sollicite instituit de officiis suscepti muneris [3]; — *S. Gregorius Naz.*, qui simile opusculum reliquit c. t. Apologeticus, alias c. inscriptione *De officio Episcoporum liber*, in quo quae Sacerdotis professio sit docet, et qualem Episcopum esse debeat [4]; — *S. Joannis Chrysost.*, cujus item *Libri VI de Sacerdotio* de qualitatibus Episcopi etc. agunt [5]; — *S. Hieronymus* maxime ob *Epist. ad Nepotianum* (Ep. XXXIV, ed. Maur.), quam scripsit de vita Clericorum et Monachorum [6]; — *S. Gregorius M.*, qui paulo postquam in Cathedram S. Petri evectus est, scripsit *librum Regulae pastoralis* ad Joannem Episcopum Ravennatem; opus quadripartitum, quo praeclare exponit primum de requisitis virtutibus et qualitatibus eorum, qui ad clericatum accedunt; deinde de officiis pastoris, quomodo munere sacerdotali fungi debeat; tum praesertim qua ratione gregem sibi commissum erudiat, in doctrina christiana instituat, et ad salutem animarum dirigat; denique ut sibi ipse clerus caveat, ne verbis suis aut factis glorietur, sed coram Deo in humilitate agat [7]; — Huc item pertinent *Theodulphi Aurelianensis* Episcopi *Capitula ad Presbyteros parochiae suae* s. Instructionale, quomodo subditarum plebium profectum curare debeant, et de dignitate sacerdotali [8]; — *S. Bernardi Libri V de consideratione ad Eugenium III.* Rom. Pontificem, discipulum quondam S. Bernardi; in quibus quid Pontifex in se et subditis suis; quid in iis, qui circa et supra ipsum sunt, Deum videlicet et Angelos considerare debeat, proponit. Extat Ejusdem etiam *Tractatus de moribus et officio Episcoporum* ad Henricum Senonensem Archipraesulem [9].

3) in Ej. Opp. ed. *Monte Alto*. T. IV. col. 1. sqq.

4) in Ej. Opp. ed. *Billi*. T. I. p. 1—46.

5) in Ej. Opp. ed. *Montfauc*. T. I. p. 362—436. Versio *german*. ab Ign. *Ritter*. Berol. 1821. 8.

6) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV. P. II. col. 257.

7) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. II. col. 1—120.

8) in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. XIV. p. 2. sq.

9) in Ej. Opp. ed. *Mabillon*. Vol. I. (T. II.) col. 413—480.

§. 200. Sunt autem, in quibus *pastorale munus* potissimum versatur, tum *ritus* et actus sacri, tum *praedicatio* verbi divini, tum *gubernatio* morum fidelium. Et definitus quidem cultum divinum externum communiter obeundi modus s. *Liturgia* modum administrandi Sacramenta et in specie ritum offerendi sacrificium Missae respicit. Ad *praedicationem* autem divinam quod attinet, nova religionem docendi forma cum Christianismo demum in medium prolata est, *homiletica* nempe et *catechetica;* de utroque genere Patres singulariter meriti sunt. Iidem denique in scriptis suis res *disciplinares* pertractant, ut ex iis maxime veteris Ecclesiae disciplina possit hauriri.

a. *Scripta liturgica.*

§. 201. De ritibus in administratione *Sacramentorum* et sacrificio *Missae* observandis agunt praecipue *S. Justinus Martyr* in Apolog. I. c. 67., ubi ritus liturgicos sacrificii *Missae* deinceps recenset [1]); — *S. Irenaeus* adv. Haeres. Lib. IV. c. 18. §. 1. 2. tres sacrificii incruenti partes distinguens, *Oblationem*, *Consecrationem* et *Communionem* [2]); — *Tertullianus* in Libro de Corona militis c. 3., in quo s. *Eucharistiam* esse verum *sacrificium* ostendit, singulas liturgiae *partes* dinumerans, praesertim quod istae oblationes etiam pro defunctis, pro natalitiis annua die factae fuerint, quod de manu sacerdotis populus eam acceperit et nonnisi jejunus [3]); — *S. Cyprianus* in *Epist. LXIII ad Caecilium* De sacramento Dominici calicis, ubi de institutione, fine, materia et forma sacrificii *Missae* praeclare exponit [4]); et alibi, offerri illud oportere docet quotidie (Ep. LIV. p. 172.);— *S. Basilius* in *Epistola ad Caesariam* [5]); — *S. Opta-*

1) in Ej. Opp. ed. *Marani*. p. 86.
2) in Ej. Opp. ed. *Massuet*. p. 250.
3) in Ej. Opp. ed. *Rigalt*. (Venet. 1744.) p. 100.
4) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 185—196.
5) in Ej. Opp. ed. *Garnerii* T. III. p. 186.

tus Milev. in libro VI. de Schismate Donatistarum [6]; — *S. Cyrillus Hieros.* in *Catechesibus mystagogicis* [7]; et in prima quidem explicat *abrenuntiationes* Satanae, quae in baptismo observari solent, et quarum vim accuratissime ac dilucide exponit; in secunda describit *caeremonias*, quae in ipso baptisterio peraguntur; tertia agit de s. chrismate *Confirmationis*; quarta de *Eucharistiae* sacramento; quinta ac praecipua quae huc spectat singulas *sacrificii incruenti* partes illustrat, et communicandi ritus ac modum exponit. — *S. Ambrosius* in libro *de Mysteriis*, in quo de tribus maxime sacramentis, Baptismo, Confirmatione, et Eucharistia luculenter disserit [8]. — *S. Augustinus* in multis libris de ritu offerendi sacrificium *missae* exponit, velut in *Epist. ad Januarium*, in qua docet, quid agendum in variis ecclesiarum moribus de sacramentis, festis diebus, jejunio et Eucharistia; in *Epist. ad Paullinam*, ubi paucis expressus legitur Missae canon, qualis nunc etiam a nobis adhibetur; in *Epist. ad Vitalem* [9]; in lib. XXI. c. 24. *De civitate Dei* [10] etc. Idem permulta habet de ritibus in *Sacramentis* administrandis e. gr. in Tract. XLIV et CXVIII in *Joannem*, in libro *De fide et operibus*, in lib. *De peccatorum meritis et remissione* etc. — *S. Gelasius* scripsisse dicitur Sacramentarium, diuque aliud ejusdem generis opusculum *S. Leoni Magno* attributum est. Sed istud *Sacramentarium* seu *Codex Sacramentorum vetus Romanae Ecclesiae*, quem S. Leonis esse perperam putabant, verosimilius opus est cujusdam *presbyteri Romani* cetera parum noti, quem seculo V ad finem vergente vixisse probabile est; sane is *antiquissimus* est Romanae Ecclesiae *Codex liturgicus* [11].

6) in Ej. Opp. ed. L. Ell. *Du Pin.* p. 91. sq.

7) in Ej. Opp. ed. *Toutée.* p. 306—332.

8) in Ej. Opp. ed. a *Monte Alto.* T. IV. col. 343. sq.

9) in Ej. Epp. ed. *Maurin.* T. II. Epist. LIV. col. 124; Epist. CXLIX. col. 509; Epist. CCXVII. col. 799.

10) ibid. T. VII. col. 641.

11) in Ant. *Muratorii* Liturg. Rom. vet. (Venet. 1748. f.) T., p. 289; item in Opp. S. Leonis M. ed. a *Ballerinis* T. II.

Similiter *Sacramentarium Gelasianum* seu *S. Gelasii Codex liturgicus* in ea certe, qua nunc extat forma a Gelasio non venit; is enim prima quidem ejusdem fundamenta jecisse, sed multa posthac ab aliena manu addita videntur [12]). — *S. Gregorius M.* in libro I Registri (Regesti) seu Epistolarum, *Ep. XLIII ad Leandrum* [13]); in *Lib. Sacramentorum* [14]), ubi imprimis canon Missae legitur totus fere idem, quo nunc universa Ecclesia latina utitur. Nonnulla tamen a posteriori manu addita videntur, quae in editione Maurina in appendice seorsim collecta leguntur [15]). Hujus generis sunt Ejusdem *Benedictionale* seu liber formularum pro variis benedictionibus, quibus Ecclesia utitur; *Liber Antiphonarius*, et alius cum inscriptione *Liber responsalis* s. *Antiphonarius* i. e. Collectio cantuum ecclesiasticorum, quae alternatim a Sacerdote et choro cantantur [16]).

§. 202. Alius et uberior liber ritualis Ecclesiae Romanae *ex tempore Gregorii M.* est *Ordo Romanus*, qui continet ritus Ecclesiae non solum communes sed singulares etiam in consecratione Episcoporum, benedictione Regum, dedicatione Ecclesiarum etc. observandos [1]). — Hunc librum proxime excipiunt *S. Isidori Hispal. De ecclesiasticis officiis Libri II*, quorum alter de origine officiorum, rituum, ceremoniarum; alter de origine ministrorum et variis, quae iis incumbunt, officiis agunt [2]). — *Alcuini Liber de divinis officiis* [3]); *Amalarii Meten-*

---

12) in Liturg. Rom. vet. T. I. p. 485. sq.; et separat. ed. a Jos. M. *Tomasio*, Rom. 1681. 4.

13) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. II. col. 486.

14) ibid. T. III. P. I. col. 1. sqq.

15) ibid. T. III. Append. p. 241. sqq.

16) ibid. T. III. P. I. col. 622. 664. 734.

1) in Melch. *Hittorp.* De divinis catholicae Ecclesiae officiis ac ministris varii vetustiorum aliquot Ecclesiae Patrum et Scriptorum libri. Paris. 1624. f.

2) ibid.

3) ibid.

sis De ecclesiasticis officiis libri IV ad Ludovicum Pium [4]; — *Rabani Mauri Libri III de institutione clericorum et ceremoniis Ecclesiae* ad Heistulphum Archiepiscopum [5]; — *Theodulphi* Aurelianensis Episcopi *De ordine Baptismi*, liber ad Magnum Senonensem [6], postquam nempe Carolus M. ao. 811 ad Archiepiscopos regni Francorum decretum emisit, ut instruerent Sacerdotes Dei et plebes sibi commissas de Baptismi sacramento, cur infans primo Catechumenus fiat, et quid sit catechumenus; quid scrutinium; quae Symboli interpretatio; quid sit renuntiatio Satanae; quae ejus opera et pompae; cur infans insuffletur et exorcizetur; cur salem accipiat; quare tangantur nares, pectus ungatur oleo; cur scapulae signentur et pectus; cur alba veste induatur, et sacro chrismate caput ungatur, etc. — Ejusdem fere et argumenti et dispositionis est *Jesse*, Episcopi Ambianensis *Epistola catechistica ad Clerum* [7]. — His addendi sunt *Flori* Diaconi Lugdunensis *De actione Missarum liber*, maxime e ss. Patrum sententiis, imprimis SS. Cypriani, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Aviti, Gregorii M., Isidori, Bedae collectus, quo non tam verba sed ipsius mysterii ratio et actus exponuntur; et commendatur, qua nempe fide celebrandum et pietate sit amplectendum [8]; — *Remigii* O. S. B. Monachi Autissidorensis, sive (ut nonnullorum sententia fert) *Alcuini Expositio de celebratione Missae*, ex veterum Patrum sententiis et auctoritatibus confirmata [9]; — *Hugonis* a S. Victore *Libri III de Ceremoniis*, de *Sacramentis*, de *Officiis ecclesiasticis* [10]; — *Honorii Augustodunensis Gemma animae s. De divinis officiis* et antiquo ritu missarum, de horis canonicis, de totius anni solennitatibus

4) ibid.
5) ibid.
6) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XIV. p. 8. sq.
7) ibid. T. XIV. p. 67. sq.
8) ibid. T. XV. p. 62—83.
9) ibid. T. XVI. p. 952—961.
10) in Ej. Opp. ed. *Rotomag.* T. III.

etc. libri quatuor [11]); — *S. Brunonis Signini De Sacramentis, Mysteriis atque ecclesiasticis ritibus* opusculum ad Gualterum Magalensem Episcopum [12]); — *Hildeberti*, Archiep. Turonensis, *Expositio S. Missae*, versibus elegicis descripta [13]); — *Odonis*, Abbatis Tornacensis, deinde Episcopi Cameracensis, *Expositio s. canonis missae* [14]); — *Ruperti Tuitiensis De divinis officiis* libri undecim [15]); — *S. Petri Mauritii*, Abbatis Cluniacensis *Nucleus de sacrificio Missae* [16]); — *Cencii* S. R. E. Cardinalis ac postea Papae *(Honorii III.) Ceremoniale Romanum*, in Museo Italico [17]), ubi et ceteri antiqui libri rituales S. Rom. Ecclesiae cum commentario praevio in *Ordinem Romanum* leguntur; — *S. Bonaventurae Expositio Missae*, quo opusculo varia de sacrificio Missae quoad liturgiam praecepta ingerit. Annexi sunt alii hujus generis libri *De praeparatione ad Missam*; *de Instructione Sacerdotum ad celebrandam Missam*; *Tabula a celebrantibus Missam consideranda* [18]).

b. Catecheses et Sermones sacri.

aa. Catecheses.

§. **203.** Operam maximam Patres in eo posuerunt, ut junioribus elementa doctrinae vitaeque christianae traderent. Docuerunt in *Scholis catecheticis*, quarum princeps fuit, quae *Alexandriae* floruit, ubi docendi munere functi sunt *Pantaenus*, *Athenagoras*, *Clemens Alexandr.*, *Origenes*, *Heraclas*, *Dionysius Alexandr.*, *Achillas*, *Athenodorus*, *Theognostus*, *Macarius*, *Basilius* aliique

11) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XX. p. 1046—1128.
12) ibid. T. XX. p. 1725—1730.
13) ibid. T. XXI. p. 163—168.
14) ibid. T. XXI. p. 221—227.
15) in Ej. Opp. ed. *Paris.* T. I.
16) in *Hittorp.* lib. supra laud.
17) Jo. *Mabillonii* Museum italicum. Paris. 1724. II. 4.
18) in Ej. Opp. ed. *Venet.* (1751. sq. XIV. 4.) T. VI.

viri doctrinae et vitae laude maxime celebrati [1]). Praeter Alexandriam in aliis quoque oppidis ejusmodi scholae fuerunt. Laudantur enim *Gregorius Thaumat.*, *Gregorius Nazianz.*, *Gregorius Nyss.*, *Cyrillus Hieros.*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Optatus Milev.*, *Augustinus*, alii, qui *Antiochiae*, *Caesareae*, *Hierosolymis*, *Romae*, alibi praeceptorum partes impleverunt. Scripta autem ejusmodi catechetica, quae maximam partem a *Graecis* composita ad nos delata sunt, haec praecipue commemorari merentur: *S. Cyrilli* Hierosolym. *Catecheses XVIII ad Competentes* [2]) seu eos, qui petebant, ut sacri lavacri mysterio initiarentur. Sunt hae catecheses, quae dicuntur ex tempore habitae. Praemittitur autem Procatechesis i. e. quasi ante Catecheses dicta et iisdem audiendis praeparatura. Hanc sequuntur Catechesis prima Illuminandorum s. introductio ad baptismum; catechesis secunda ejusdem tituli, utraque enim continet expositionem Art. IX e symbolo Hierosolymitano *(Credo in unum baptisma in remissionem peccatorum)*. His subjuncta est tertia de ipso Baptismo; quarta de decem dogmatibus summatim agit; quinta de fide, sexta et reliquae deinceps singulos articulos fidei exponunt. Aliae Ejusdem inscribuntur *Catecheses mystagogicae quinque* ad eos, qui recens sunt baptizati [3]); in quibus praecipue de Baptismo et S. Coena agit, atque officia a baptizatis praestanda recenset. — *S. Basilii M. De Baptismo libri II*, quorum prior item officia describit eorum, qui ad sacrum fontem baptismi accedere volunt, aut illum jam acceperunt; posterior autem responsionem ad XIII quaestiones complectitur [4]). Ceterum an genuini sint isti libri etiamnum controvertitur. Tueri nititur Du-

---

1) Multi viri docti de hac celeberrima schola scripserunt, novissime vero Jac. *Matter* Essai hist. sur l'ecole d'Alexandrie. Paris. 1820. II. 8.; et H. E. F. *Guerike*, Commentatio de schola, quae Alexandriae floruit, Halae 1824. 26., II. 8.

2) in Ej. Opp. ed. Aug. *Toutée*. p. 1—303.

3) ibid. p. 306—334.

4) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnier*. T. II. Append. p. 624—674.

pinus; alii vero VV. DD. et in his Combefisius Garnierus, Maranus, meliori ut videtur jure spurios eosdem habent. — S. *Gregorii Naz. Oratio in s. baptisma*, tota fere catechetica, in qua quanta sit baptismi praestantia docet, deinde de variis ritibus in eo adhibitis disserit, postremo capita quaedam fidei christianae recenset [5]). — S. *Gregorii Nyss. Oratio catechetica, magna* quae vulgo dicitur, quadraginta capita complectens, qua inter alia disserit de S. Trinitate, de Christi divinitate, de attributis divinis, de redemtione generis humani, de baptismo, cett. Docendi autem methodum ad eos accommodat, quorum est Catechumenos erudire [6]). — S. *Joannis Chrysostom. Duae Catecheses ad Illuminandos*, ubi de s. Baptismo exponit, aliaque capita catechetica illustrat [7]). — S. *Augustini Liber De catechizandis rudibus*, in cujus parte priori praecepta tradit, qua methodo potissimum doctrinam christianam in ss. Scripturis contentam Catechumeni doceantur; deinde de modo praecipiendi et cohortandi Catechetam instruit, docetque remedia, quibus possit cavere, ne taedium hujus muneris animum occupet; pars autem posterior duos continet Sermones quasi ad exemplum propositos, quomodo sit erudiendus, qui ad Christianorum sacra accedere velit [8]); — et, ut alios taceam, S. *Brunonis Herbipolitani Commentarius in Orationem Dominicam*, in *Symbolum Apostolicum* et in *Athanasianum* per quaestiones et responsiones discipulum inter et magistrum expositus [9]).

bb. Homiliae.

§. 204. Homiliarum autem, quas literis consigna-

5) in Ej. Opp. ed. *Billii*, T. I. p. 637—678.
6) in Ej. Opp. ed. *Morelli*. T. III. p. 43—111.
7) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. II. p. 225—246.
8) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. VI. col. 263—296.
9) in Biblioth. PP. max. *Lugdun*. T. XVIII. p. 343—348.

runt ss. Patres aliique Ecclesiae Scriptores, tanta est multitudo, ut vix ac ne vix quidem fieri possit omnium earum vel nuda dinumeratio. Imo vero non est nostrum, eas quoque recensere orationes, quae *panegyricam* ac propius *oratoriam* habent speciem (§. 94. sq.), sed *sacras* tantum, quas *Homilias* suo tunc demum nato nomine significabant; sermones nempe, qui praeter communes christianae eloquentiae virtutes inprimis rationem ostendunt, qua in explanandis singulis cum fidei tum morum dogmatibus e ss. Scripturis et Traditione petitis usi sint. Et de his iterum, cum ingens eorum numerus nobis suppeditet, *praestantiores* duntaxat, qui scilicet ab eminentioribus Ecclesiae Doctoribus compositi sunt, paucis referre in animo est. Neminem enim historia sacra vel leviter tinctum fugit, ab antiquis Patribus sacros sermones istos, quibus in *Epistolam diei* vel *Evangelium* commentati sunt, absque multa praeparatione et, ut ita dicam, *ex tempore* statim fuisse prolatos. Verum non pauci etiam per otium et summa cum diligentia vel *antea conscripti*, vel *concione dimissa* perfecti limatique sunt, ita ut non pauci vel praestantissimis oratoribus hodiedum quoque exemplo esse possint.

a) Graeci.

§. 205. Ingentem idcirca laudem tulerunt inter *Graecos*: *Origenis Homiliae exegeticae* et Homiliarum fragmenta; et quidem septemdecim in *Genesin*, tredecim in *Exodum*, sedecim in *Leviticum*, duodetriginta in *Numerum*, viginti sex in *Josuam*, novem in librum *Judicum*, omnes ex versione tantum Rufini parum fida; item duae in libros *Regum*, altera in versione Rufini, altera in graeco originali, quam Leo Allatius e Mss. Vaticano edidit; novem in *Psalmos* ab eodem Rufino latine translatae, et fragm. graecum ab Eusebio servatum [1]); porro duae in

1) in Ej. Opp. ed. *De la Rue*. T. II. p. 52—110. 129—179. 184—269. 275—386. 396—457. 458—478. sq.

Canticum Canticorum ex versione S. Hieronymi; novem in *Isaiam* ab eodem latine redditae; viginti et una in *Jeremiam* et duae quidem in sola versione Hieronymi, undeviginti vero in textu originali, e quibus autem duodecim idem Hieronymus in latinam transtulit; porro quatuordecim homiliae in *Ezechielem*, quas idem S. Pater latine reddidit [2]); Ad novum autem testamentum quae spectant, homiliae undequadraginta in *Lucam* similiter ex latinitate Hieronymi; fragmenta in Lucam ex Macarii Chrysocephali orationibus desumta [3]); fragmentum in *Acta Apostolorum* quod graece ex Philocalia excerptum est; et aliud in *Epist. ad Hebraeos* item graecum, ab Eusebio conservatum [4]). — *S. Hippolyti Homilia in Epiphania*, quae una de multis, quas scripserat, adhuc servata est [5]). — *S. Methodii* (cui vulgo quidem, sed vereor ne *perperam*, adscribuntur) *tres homiliae*, una de Simeone et Anna in festo Purificationis B. V. M., altera in Ramos Palmarum, tertia De Cruce et Passione Christi [6]). — *S. Athanasii Sermones* in diversa loca Evangeliorum *Matthaei* et *Lucae*, nec non in *Cant. Canticorum*, item sermo *De Patientia* et Homilia in *Ramos palmarum* [7]). — *Eusebii Emeseni* Homilia de *S. Stephano*, alia in *Joannem Bapt.*, alia de proditione *Judae*, alia rursus in *Diabolum et infernum* [8]), denique alia et ea novissime e duobus Codd. Vindobonensibus eruta *in Parasceves diem* oratio [9]). — Eidem vulgo aliae adcensentur, quae nunc *latine* tantum extant, et quidem *quinquaginta ad populum*,

---

2) ibid. T. III. p. 12—23. 106—124. 124—285. 353—406.

3) ibid. T. III. p. 932—979. 979—983.

4) *Eusebii* Hist. eccl. Lib. VI. c. 25. §. 5., ed. *Zimmermann*. T. I. p. 435.

5) in Ej. Opp. ed. *Fabricii* T. I. p. 261—265.

6) gr.-lat. (unac. S. Amphilochii et Andreae Cretensis Opp.) edit. a Fr. *Combefisio*, Paris. 1644. f.

7) in *Montfaucon*. Collectione nov. PP. et Script. graec., T. II. p. 26—65.

8) ed. Paris. 1547.

9) ed. J. Chr. G. *Augusti*, Bonn. 1820. 4.

et monachos, et aliae *centum quadraginta quinque in Evangelia festosque dies* (edd. in Bibl. PP. Lugdun. T. VI.); verum eadem Homiliarum collectio etiam sub nomine *Eusebii cujusdam Gallicani* circumferebatur, et multae illarum *S. Fausti Regiensis* esse dicuntur. Nobis autem eorum opinio maxime probata est, qui eas esse Rhapsodias variorum auctorum, SS. Eucherii, Fausti, Caesarii, Maximi Taurinensis aliorumque existimaverint. Neque magis constat de aliis *tredecim Homiliis*, quas Jac. Sirmondus (Par. 1643. 8.) sub Eusebii *Caesareensis* nomine edidit, alii vero VV. DD. Eusebio *Emeseno* potius tribuendas esse statuunt, qui num melius viderint, equidem non ausim dicere. — *S. Macarii Aegypt. Homiliae quinquaginta* [10]) varii argumenti. — *S. Cyrilli Hierosol. Homilia in Paralyticum* ad piscinam probaticam jacentem [11]). — *S. Basilii M. Homiliae* non solum exegetica, et novem quidem in *Hexaëmeron* et tredecim in *Psalmos*, quas supra commemoravimus (§. 120.); sed etiam aliae *viginti quatuor*; quarum tamen una, quae inscribitur *Ad adolescentes de lectione librorum gentilium* perperam homiliae nomine recensetur, et alia *In S. Barlaam Martyrem* nihil est nisi abbreviatio majoris sub eodem titulo a *S. Chrysostomo* conscriptae homiliae; cetera de *diversis* materiis agunt, e. gr. de *jejunio*, de *gratiarum actione*, de *avaritia*, in *Divites*, de *fame et siccitate*, quod Deus non sit *auctor malorum*, contra *iram*, contra *invidiam*, de *ebrietate*, de *Baptismo*, de *Fide*, de *Humilitate*, de *contemnendis rebus mundanis*; una est polemica contra *Sabellianos* et *Arianos*; tres maxime exegeticae in *Deuteron. XV.* 9., in initium *Proverbb.*, in initium *Evang. S. Joannis*; quinque in SS. MM. *Julittam, Barlaam, Gordianum, Mamantem* et XL *Martyres* [12]). — *S. Ephraemi Syri*, qui huc spectant, *Sermones* (exceptis

10) in Ej. Opp. ed. *Pritii.* Lips. 1714. II. 8.

11) in Ej. Opp. ed. *Toutée.* p. 306—345.

12) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. II. p. 1—170. In Ejusd. *Basilii*, et *Gregorii Naz., Gregorii Nyss., Jo. Chrysostomi* Homilias selectas notas adjecit Dav. *Hoeschel* Aug. Vindel. 1587. 8.

nimirum mere exegeticis, asceticis, polemicis et funebribus) multi sunt insiti operibus ejus [13]); sed *diversas* ita materias tractant, ut ne recensere quidem eos possimus ob nimiam multitudinem, e. gr. de *compunctione animi* tres, totidem de *judicio et compunctione*, quatuor de *poenitentia;* alii de *passione Salvatoris*, in diem *Parasceves*, in *Eliam* prophetam, in *adventum Domini*, de *resurrectione*, cett. — *S. Gregorii Naz. Orationes* admodum multae ac variae [14]); e. gr. quinque de *theologia*, ubi de S. Trinitate exponit, una de *Baptismo*, duae in *Pascha*, una in novam Dominicam s. *octavam Paschatis*, item in *S. Pentecosten;* atque aliae non paucae ad occasiones varias scriptae, praesertim funebres, panegyricae, asceticae et invectivae. — *S. Gregorii Nysseni Homiliae exegeticae* velut Homiliae s. Tractatus duo in verba: *Faciamus hominem*, totidem in *Psalmorum* inscriptiones; Homiliae octo in *Ecclesiasten* Salomonis, quindecim in *Cantic. Cantt.*, quinque de *oratione Dominica*, octo de *Beatitudinibus* [15]); una in illud Apostoli: *Quando sibi subjecerit omnia;* item Homiliae duae *de pauperibus amandis*, duae *in fornicarios*, totidem in eos *qui acerbe judicant*, una in *Pentecosten*, una *contra Usurarios*, alia *de beneficentia*, Oratio in principium *Jejuniorum* [16]); porro Oratio *in diem natalem Domini*, in *S. Stephanum*, quinque in *S. Pascha et resurrectionem* (quarum tamen secunda et quinta spuriae videntur esse), una in *Ascensionem Domini* [17]); multae denique in laudem *Sanctorum* et *Martyrum* nonnullorum, et Orationes *panegyricae* et *funebres* [18]). — *S. Asterii* Amaseni *Homiliae viginti duae*, de *divite et Lazaro*, adversus *avaritiam*, in festum *Calendarum*, in *Danielem* prophetam et

13) in Ej. Opp. ed. *Assemanni.* T. I—VI.

14) in Ej. Opp. ed. *Billii* T. I. p. 529—717.

15) in Ej. Opp. ed. *Morelli.* T. I. p. 139. 257. 373. 468. 712. 762.

16) ibid. T. II. p. 6. 49. et 188. 129 et 260. 192. et 165. 144. 146. 225. 247.

17) ibid. T. III. p. 339—444.

18) ibid. T. III. p. 479—617.

Susannam, in *coecum a nativitate*, encomium in *ss. Martyres*, in s. martyrem *Phocam*, in ss. apostolos *Petrum et Paulum*, cett. [19]) — *S. Chrysostomi Homiliae*, quarum nonnullas melius commentationes polemico-dogmaticas adversus Judaeos et contra Anomoeos dixeris e. gr. De incomprehensibili (natura Dei), de consubstantiali, quod Deus sit Christus etc. Rectius huc pertinent Homiliae *quatuor* de Lazaro mendico et de divite, *duae* in dictum Apostoli: *De dormientibus autem nolo vos* etc. [20]); Homiliae *viginti et una* ad populum Antiochenum; *tres* de diabolo; *novem* de poenitentia; *aliae*, in natalem Christi, de coemeterio et cruce, duae in proditionem Judae, duae de cruce et latrone, duae de Pentecoste, una de rerurrectione; aliae circiter triginta, vitas et encomium S. Pauli apostoli aliorumque Martyrum et Sanctorum continentes [21]); accedunt Homiliae *exegeticae* plus quam *viginti* in loca diversa s. Scripturae maxime in *Evangelia* et initium *Actuum Apostolorum*; aliae *viginti septem varii argumenti* [22]); Homiliae porro aliae exegeticae *sexaginta septem* in Genesin, sermones *novem* in eandem, homiliae *quinque* de Anna, *tres* de David et Saul, et *sexaginta* circiter in Psalmos (nempe in Ps. IV—XII. XLI. XLIII—XLIX. CVIII—CXVII. CXIX—CL. incl.); *septem* praeterea in Isaiam, *una* in Jeremiae X, 23., *una* in Evang. Joann. V, 19., *una* in II. Timoth. III., atque *aliae* [23]); sequuntur proximis tomis Homiliae *nonaginta* in Matthaeum, in quibus adeo praeclarum veritatum moralium thesaurum exhibuit, ut se ipsum superasse vir maximus videatur; Homiliae *octoginta et octo* in Joannem, quae polemicum quasi characterem spirant, iis maxime servientes, qui in probanda Christi divinitate occupantur; Homiliae *quinque et quin-*

19) in *Combefis*. Auctar. nov. T. I. p. 1—237.
20) in Ej. Opp. ed. *Montfaucon*. T. I. p. 707. sqq.
21) ibid. T. II. tot.
22) ibid. T. III.
23) ibid. T. IV. V. VI.

quaginta in actus Apostolorum, *triginta duae* in S. Pauli epistolam ad Romanos, *quadraginta quatuor* in I. Ep. ad Corinth., quae optimis hujus s. Patris operibus adcensentur; *triginta* item in II. Ep. ad Corinth., *viginti quatuor* in Ep. ad Ephesios, *quindecim* in Ep. ad Philippens., *duodecim* in Ep. ad Coloss., *undecim* in I. Ep. ad Thessal., *quinque* in II. Ep. ad eosdem, *duodeviginti* in I. Ep. ad Timotheum, *decem* in II. Ep. ad eundem, *sex* in Ep. ad Titum, *tres* in Ep. ad Philemonem, *triginta quatuor* in Ep. ad Hebraeos [24]). — *S. Cyrilli Alex. Homiliae paschales* undetriginta, et quatuordecim de *diversis* materiis [25]). — *S. Procli Homiliae viginti* [26]); sed quae decima septima vulgo numeratur in laudem Protomartyris Stephani, verisimilius est Asterii Amaseni. — *Basilii Seleuciensis Orationes quadraginta tres*, quarum septemdecim in Vetus, sex autem et viginti in Novum Test. scripsit [27]). *S. Eulogii Alex.* Homilia in *festum Palmarum* [28]). — *S. Sophronii Hieros.* Episcopi *Orationes aliquot* in natalem Domini, de Angelis, in Exaltationem Crucis, in S. Crucis adorationem [29]). — *S. Anastasii Patriarchae Antiocheni Orationes quinque* dogmatici argumenti, nempe De Trinitate, de Incircumscripto, de incarnatione Christi, de Christi passione et impassibilitate, de Resurrectione [30]). — *S. Anastasii Sinaitae* Oratio de s. *Synaxi* et Homilia (imo vero Expositio) in *Ps. VI.* [31]); item duae *de vitae termino*, et de iis, *qui ex hac vita migrant* [32]). — *S. Andreae Cretensis* Archiepiscopi *Orationes variae*,

---

24) ibid. ibid. T. VII—XII. incl.

25) in Ej. Opp. ed. *Auberti*. T. II.; sed priores editiones, e. gr. Par. 1604. T. II. p. 44. sqq. non plus quam decem continent.

26) in *Combefisii* Auct. nov. T. I. col. 301—468.

27) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. VIII. p. 428—495.

28) ibid. T. XII. p. 48. sq.

29) ibid. T. XII. p. 206. sq.

30) in *Canisii* Lectt. antiqq. ed. *Basnage*. T. I. p. 436—465.

31) ibid. T. I. p. 465—520.

32) in Ang. *Maji* Vett. Scriptt. nov. Coll. Vol. I. P. I. p. 369—372.

in B. V. M. natalem duae, una in Joannis Bapt. decollationem, duae in B. V. Annuntiationem, una in festum Circumcisionis, alia in Christi Transfigurationem, tres in S. Mariae dormitionem, una in Ramos palmarum, duae in s. Crucis exaltationem, et aliae in diversa festa Sanctorum [33]). — *S. Joannis Damasc. Homiliae plures,* de Transfiguratione Domini, in ficum arefactam, in s. Parasceven, in Sabbatum sanctum, duae in Nativitatem B. M. V., tres in Dormitionem gloriossissimae Dei genitricis, in laudem SS. Chrysostomi, Barbarae martyris etc. [34]). — *S. Theodori Studitae Sermones centum triginta quatuor* [35]).

b) Latini.

§. 206. In Ecclesia *latina* maximam de theologia homiletica laudem promeriti sunt: *S. Hilarius Pictavinus,* qui multas homilias s. tractatus exegeticos in ss. Scripturas exaravit, et in Psalmos quidem *septuaginta novem,* in Evangelium autem Matthaei capita *viginti tria* [1]); ad haec accedunt novae homiliae *tres* in Psalmos XV et XXXI et XLI e vetusto codice Hannoniensi erutae [2]). — *S. Zeno Veronensis;* scripsit is homilias s. sermones *quatuor* de Genesi, *tres* de Abraham, *unum* de somnio Jacob, *unum* de Juda Patriarchae; *quindecim* de Exodo, *unum* de Job, *novem* de Psalmis, *sex* in Isaiam, *novem* in Danielem, *unum* de Jona, *unum* de Evang. sec. Joannem, *unum* de Epist. ad Corinth.; *alios multos* cum ethici tum dogmatici argumenti, e. gr. tres de aeterna Filii generatione, totidem de nativitate Christi, unum de Circumcisione, novem de Paschate; nec non de patientia, de pudicitia, de continentia, de justitia, de timore, de avaritia, etc.

33) in Ej. Opp. (una cum ss. Methodii et Amphilochii Opp.) ed. *Combefisii.* Paris. 1644. f. Lat. tant. in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. X. p. 618—685.

34) in Ej. Opp. ed. *Le Quien.* T. II. p. 791—910.

35) lat. in Bibl. PP. *Lugd.* T. XIV.

1) in Ej. Opp. ed. *Oberthür.* T. II. p. 137—619; T. III. p. 1—311.

2) in *Gallandi* Biblioth. vett. PP. T. V. p. 85. sqq.

Complectitur tota collectio, rejectis dubiis spuriisque, *nonaginta et tres genuinos* sermones, et sedecim quidem longiores, septem autem et septuaginta breviores [3]. — *S. Ambrosius*, cui permulta scripta debemus, quorum, quamquam non homiliarum nomine inscribuntur, tamen pleraque ita sunt enata, ut, quos S. Pater *oretenus* in Ecclesia habuit sermones, eos postmodo *literis* quoque consignaverit. Hujus generis est expositio in Hexaëmeron e *novem homiliis* compilata; libri duo de Abraham, et quibus opus isthoc quasi continuatur, de Isaac et anima liber unus, de bono mortis, de fuga seculi, de Jacob et vita beata libri duo ex *sermonibus ad Catechumenos habitis* compositi videntur (cf. §. 121.). Similiter opuscula De Josepho patriarcha, De benedictionibus Patriarcharum, De Elia et jejunio, De Nabuthe Jezraelita, De Tobia, de interpellatione Job et David, omnia e *sermonibus sacris s. homiliis coram populo peroratis* prognata sunt (§. 190.). Sic porro Expositio in Psalmum CXVIII e *viginti* hujusmodi sermonibus elaborata est (cf. §. 121.); item Enarrationes in XII Psalmos (§. eod.) et Expositio Evangelii secundum Lucam libris X (§. 124.) *collectionem homiliarum* continent, quas S. Doctor diversis temporibus primum in Ecclesia recitavit, et postea denuo retractando conscripsit. Eandem originem habuit Ejusdem commentatio De incarnationis Dominicae sacramento (cf. §. 141.). Multas praeterea homilias injuria temporis intercidisse dubium non est; sed sermones sexaginta tres in dies totidem Dominicos habiti [4] ut supposititii merito rejiciuntur. — *S. Gaudentium* auctorem praeseferunt *Paschales sermones X;* nec non De *Paralytico;* In illud: *Nunc judicium est mundi;* In illud: *Pater major me est;* De promissione *Paracleti;* De *Macchabaeis* martyribus; item laudatio *S. Philastrii* praecessoris sui in sede Brixiensi Episcopi [5]. — *S. Hie-*

3) ed. *Ballerini*, Veron. 1739. f.; *Galland.* in Bibl. vett. PP. T. V., p. 109. sq.

4) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. II. Append.

5) unac. S. Philastrii Opp. ed. P. *Galeardus.* Brixiae 1738. f.

ronymus inter alia opera exegetica (cf. §. 124.) multas etiam *Origenis Homilias* e graeca lingua in latinam transtulit, *duas* nempe in Canticum Canticorem, *novem* in visiones Isaiae, *viginti octo* in Jeremiam et Ezechielem, *triginta novem* in Evang. Lucae (§. 205.) — *Rufinus* item multas in latinam transtulit ex *Homiliis Origenis*, eodem §. 205. recensitas. — *S. Chromatius* Aquilejensis scripsit *Homilias* s. Tractatus *duodeviginti* in Evangelii Matthaei c. V. et VI. [6]). — S. *Augustinus*, qui testante S. Possidio Verbum Dei usque ad ipsam suam extremam aegritudinem assidue, alacriter et fortiter, sana mente sanoque consilio in Ecclesia praedicavit, Enarrationes in Psalmos Davidis CL reliquit (cf. §. 121.), quarum nonnullae, ut supra observavimus, in calamum dictatae sunt, pars major ex sermonibus seu *homiliis variis ad fideles in Ecclesia habitis* connexa, formam homileticam praesefert [7]). Idem exaravit Sermonum aliorum ingentem numerum, qui ab editoribus Blampino et Constantio Maurinis in quinque classes distributi inscribuntur: *Sermones de Scripturis centum octoginta tres*, in diversa ss. Scripturae tam V. quam N. T. loca; *Sermones de Tempore octoginta octo*, in diebus festis habiti; *Sermones de Sanctis novem et sexaginta*, in memoriam et honorem Martyrum aliorumque Sanctorum; *Sermones de diversis viginti tres*, certis nempe occasionibus de variis rebus recitati; Sermones *dubii*, de quorum genuinitate non omnino constat. Hisce igitur quinque classibus continentur *trecenti nonaginta quatuor Sermones* [8]); exceptis multis insuper fragmentis, quae *Eugippius* Lucullanensis prope Neapolim Abbas c. a. 550 primum collegit. Alii vero *trecenti* et *septemdecim*, quia pro supposititiis habentur, in Appendicem ejusdem tomi V edit. Maurin. rejecti sunt. Ad genuinos autem supra dictos accesserunt alii *viginti quatuor* Sermones, quos re-

---

6) in *Gallandi* Biblioth. PP. T. VIII. p. 333. sq.
7) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. IV., col. 1. sqq.
8) ibid. T. V. col. 1. sqq.

centiori aevo Michael *Denis* e membranis seculi XII Biblioth. Palat. Vindobon. descripsit [9]); item *Homilia* et alius *Sermo* (cum duabus commentatiunculis De oratione et De quatuor virtutibus caritatis) e Mss. Florentinis studio *Fontani* editi [10]); porro *decem* alii Sermones, quos *Fraja Frangipani* e Codd. Monasterii in Monte Casino eruit [11]); denique *Sermones sexaginta et octo*, quos nunc primum e Mss. Codd. archivii Monte-Casin. et Bibliothecae Florent.-Medicae pervulgavit D. A. B. *Caillau* et D. A. B. *Saint-Yves* [12]). — *S. Maximus Taurinensis* permulta scripsit; sed multa diu in Archivis delituerunt, alia inter Ambrosii et Augustini opera solebant recenseri, donec haec quidem a *Maurinis* diligentius secreta, illa vero a *Mabillonio*, *Marteneo*, *Muratorio* primum eruta, cuncta denique in recentissima editione Romana jussu Pii VI. facta in unum collecta sunt. Sunt igitur *Homiliae centum et septemdecim*, *Sermones centum sedecim* et Tractatus sex, cum appendice, quae *Sermones triginta unum*, *Homilias tres* (et duas Epistolas) continet [13]). — *S. Petrus Chrysologus* s. Latinorum-Chrysostomus cognominatus, a quo *Sermones centum et septuaginta sex* nobis supersunt; in his diversa s. Scripturae loca breviter exponuntur adjectis passim monitis et meditationibus pro ratione diei festivi, qui celebrandus erat [14]). — *S. Eucherius* praeter alia scripta etiam *Homilias aliquot* exaravit [15]); et plures quidem fuisse videntur, quam nunc sunt in manibus nostris, sed magnam earum partem vel periisse, vel sub aliorum nominibus forte circumferri verisimile est. — *Valeria-*

9) ed. Vindobon. 1792. f.

10) in Nov. Erudit. Delicc. s. Biblioth. vett. anecdd. (Florent. 1793. sq. 8.) T. III. p. 1. sq.

11) ed. Rom. 1819. f.

12) ed. Paris. 1836. 8.

13) ed. *Rom.* 1784. f.; in *Galland.* Biblioth. PP. T. IX. p. 349. sq.

14) ed. P. Seb. *Pauli*, Venet. 1750. f.; in Biblioth. SS. PP. *Lugd.* T. VII. p. 844—979.

15) in Ej. Opp. ed. in Biblioth. PP. *Lugd.* T. VI. p. 822. sqq.

nus Monachus Lerinensis deinde Episcop. Cemeles prope Nizzam, sub cujus nomine Goldastius et Sirmondus *viginti Homilias* cum de Martyrum aliorumque Sanctorum laudibus tum maxime de rebus moralibus agentes publici juris fecerunt [16]). — *S. Leo M.* Papa, cui praestantissimos debemus Sermones *nonaginta sex*, de quorum genuinitate nunc nihil dubitationis amplius admittitur; priores quinque in diem *ordinationis* suae, sex proximi de *collectis publicis*, novem alii de *jejunio* decimi mensis, decem de *Christi nativitate*, octo in festo *Epiphaniae*, duodecim in tempus *quadragesimale*, undeviginti de *passione* Domini, quatuor de ejusdem *resurrectione et ascensione*, totidem de festo *Pentecostes*, praeterea plures in dies festos *Apostolorum*, Martyrum cett. conscripti sunt [17]). Alii vero *viginti* in editione a fratribus Ballerinis curata recte inter spuria ablegantur [18]). — *S. Faustus Regiensis* praeter Sermones ad Monachos (cf. §. 192.) aliaque opuscula plures etiam *Homilias* scripsisse videtur e numero earum, quae hodie inter opera *Eusebii Emeseni* latine leguntur [19]). — *S. Fulgentius Ruspensis Sermones decem*, qui nunc extant [20]), exarasse creditur; sed utrum omnes sint genuini a nonnullis subdubitatur. Alios *duos* ejusdem auctoris Luc. *Holstenius* in lucem protraxit [21]). — *S. Alcimi Aviti* Homilia de *Rogationibus* [22]); et altera Ejusdem in *feriam tertiam* de Rogationibus [23]). — *S. Caesario Arelatensi Ducenti et octo Sermones* ab *Oudino* (in Comment. de Scriptt. eccl. T. II. p. 1339) tribuuntur; rectene an perperam, a viris eruditis usque adhuc in me-

---

16) in *Gallandi* Biblioth. PP. T. X. p. 123. sqq.

17) in Ej. Opp. ed. Petr. et Hieron. *Ballerini*. (Venet. 1755—1757. III. f.) T. I. 1. sqq.

18) ibid. T. III.

19) Cf. Histoire *literat. de la France*. T. II. p. 605.

20) in Ej. Opp. ed. Paris. 1684. 4.

21) ibid. p. 664. sq.

22) in Bibl. PP. *Lugdun*. T. IX. p. 591.

23) in *Martene* et *Durandi* Vett. Scriptt. ampliss. Coll. T. V. p. 49.

dio relictum est. Non magis tuta sententia est de genuinitate omnium eorum, qui alibi in lucem emissi sunt, et quorum editio *Basil.* (1558. 4.) *quadraginta;* alios *quadraginta sex* Bibliotheca PP. *Lugd.* (T. VIII. p. 819—861.) habet; et rursus alios *quatuordecim Balluzius* (Paris. 1699. 8.) edidit. Id certe neutiquam a veritate abhorret, jam inter trecentos et septemdecim sermones, qui *S. Augustino* olim falso adcensiti fuerant, plus *centum* S. Caesario merito vindicari posse [24]. — A *Sedato* Baterris in Gallia Episcopo *duae* tantum superstites sunt homiliae, una de Epiphania [25]), altera in festum Circumcisionis [26]). — *S. Gregorius M.* Papa inter alia, quae ad nos pervenerunt, *Homilias in Ezechielem duas et viginti* scripsit, quarum duodecim priores in tria capita se extendunt, reliquae de visione ejusdem prophetae cap. XL exponunt; item *quadraginta Homilias in Evangelia*, e quibus viginti oretenus diebus dominicis aliisque festis ad fideles habitae, ceterae in calamum dictatae sunt [27]). — Etiam *S. Eligio* Novionensi in Gallia Episcopo Homiliae *sedecim*, et *S. Ildephonso* Toletano *duodecim* Sermones tribuuntur; utrique perperam [28]). — Nec de *Sermonibus quindecim*, quos ad *S. Bonifacium* Germaniae apostolum nonnulli referunt [29]), certi quidquam circa genuinitatem evinci potest. — Sub *S. Bedae Venerabilis* nomine *centum quadraginta duae Homiliae* supersunt, quae in sex classes dispescuntur cum inscriptionibus: Homiliae *aestivales de tempore* triginta quinque; *aestivales de Sanctis* tres et triginta; *hiemales de tempore* quindecim; *quadragesimales* viginti duae; *hiemales de Sanctis* sedecim; et Sermones *varii* viginti et unus [30]). Accedunt

24) Histoire *literar. de la France.* T. III. p. 113.
25) in Bibl. PP. *Lugdun.* T. XI. p. 1093. sq.
26) in *S. Augustini* Opp. ed. Maurin. T. V. Append. col. 235. sq.
27) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. I. col. 1173. 1434.
28) Cf. *Dupin* Nouvelle Biblioth. des Auteurs eccl. T. VI. p. 30. 35.
29) ed. in Ed. *Martene* et Urs. *Durand.* Vett. Scriptt. et monumentt. ampliss. Collect. (Paris. 1724—1733. IX. f.) T. IX. p. 187. sq.

Ejusdem *Homiliae undecim*, quas Edm. Martene primum evulgavit [31]). — *Paulus Warnefridi*, Diaconus Aquilej., jussu Caroli M. *homilias in Evangelia de tempore* (maxime ex antiquiorum SS. Patrum scriptis) in usum Clericorum congessit [32]). — *SS. Odonis, Odilonis* aliorumque Abbatum Cluniacensium extant *Sermones varii* in nonnulla festa dominica et Sanctorum [33]). — *Sermones V de oratione Dominica*, quos Luc. D'Achery innixus Cod. Corbejensi *S. Petro Damiani* tribuit, Stephanus de Marces S. Petro, cui facundia sua *Chrysologi* cognomen dedit, adcensendos arbitratus est. Nos, quamquam ipse D'Acherius postmodo hanc opinionem sibi probabiliorem videri testatus est, eique omnino adhaesit in indice generali, tamen, quia nihil rationis protulit, cur suo codici minus fideret, priorem inscriptionem retinere religiosius duximus [34]). — *S. Fulbertus* Carnutensis Episcopus *Sermones* nonnullos, quos habuit ad populum, reliquit e. gr. in B. M. V. nativitatem, in festum Purificationis, contra Judaeos etc. [35]). — *S. Anselmus* quoque nonnulla homiletica scripsit. Praeter enim *sermonem de beatitudine* et *homilias aliquot* in evangelica dicta huc quodammodo pertinet *liber exhortationum* ad contemtum temporalium et desiderium aeternorum [36]). — *S. Ivo* Carnutensis in praecipuos per annum dies festos *Sermones unum et viginti* exaravit [37]). — *S. Bruno Signinus Homilias centum quadraginta quinque* in Evangelia totius anni composuit, quae olim Eusebio Emisseno Gallicano falso

30) in Ej. Opp. (ed. *Collon.* 1688. VIII. f.) T. VII.

31) in *Martene* et *Durandi* Thesaur. nov. Anecdott. (Par. 1717. V. f.) T. V. p. 217. sq.

32) ed. *Colon.* 1576. f.

33) in Mart. *Marrieri* et Andr. *Quercetani* (Du Chesne) Bibliotheca Cluniacens. Paris. 1614. f.

34) in L. *D'Acherii* Specileg. ed. *De la Barre.* T. I. p. 215—221.

35) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XVIII. p. 37. sq.

36) in Ej. Opp. ed. *Gerberon.* p. 155—190.

37) unac. Scriptt. de divinis cath. eccl. officiis ed. Melch. *Hittorp.* Paris. 1624. f.

attributae sunt[38]); cum *tribus* aliis illic omissis et supplemento, quod desideratur in homilia Ejusdem *De passione Domini*[39]). — *Goffridus* Abbas O. S. B. Vindocinensis et S. R. E. Cardinalis scripsit *Sermones undecim*, et quatuor quidem in nativitatem Domini, reliquos in resurrectionem, in ascensionem Christi, in purificationem B. M. V., in quamcunque festivitatem Ejusdem, in festum Mariae Magdalenae, de latrone salvato in cruce, in festum S. Benedicti[40]). — *Hugo a S. Victore* plus *centum* varii argumenti Sermones, *undeviginti* in specie homilias in *Ecclesiasten* reliquit[41]). — *S. Bernardus* multos, quos primum viva voce habuit, deinde literis consignavit sermones, e quibus alii sunt *de tempore*, velut *septem* in dies dominicos Adventus, *sex* in vigiliam Nativitatis, *quinque* in ipsum festum Nativitatis, *unus* in festo Innocentium, *tres* in Circumcisionis die, *tres* in Epiphania, *unus* in ejusdem octava, *duo* in Dominica I post Epiphaniam, *totidem* in Dominica quadragesimae, *septem* in jejunio quadragesimali, *tres* in Dominica Palmarum, *unus* in feria quarta hebdomadis sacrae, *unus* item in Coena Domini, *plures* in festo paschali, *quinque* in die Ascensionis, *tres* in die Pentecostes, *alios* in dies Dominicos post Pentecosten, *quinque* in Dominica I Novembris; *septemdecim* in Psalmum Qui habitat. Alii compositi sunt *Sermones de Sanctis*, et *decem* quidem in diversis festis B. V. M. (in festo Purificationis, Annuntiationis, Assumtionis et Nativitatis), *tres* in festis SS. Apostolorum Petri et Pauli, *quinque* in festo omnium Sanctorum, *sex* in die Dedicationis Ecclesiae, aliique *centum viginti septem* Sermones de *diversis*[42]). — *S. Amadeus*, ex Monacho Cisterciensi Episcopus Lausaniae, De *Maria* Virgine Matre

---

38) in Biblioth. PP. *Lugd.* T. XVIII. p. 686—822.
39) ibid. T. XX. p. 1718. sq.
40) ibid. T. XXI. p. 69—85.
41) in Ej. Opp. (ed. *Rotomag.* 1648. III. f.) T. I. et II.
42) in Ej. Opp. ed. *Mabillon*. Vol. I. T. III. col. 723—1244.

Homilias octo ad posteros transmisit [43]. — *Petrus Cellensis* primum, dein Rhemensis Abbas, ac denique Episcopus Carnutensis Homilias edidit *octo et octoginta*, nimirum sex de adventu Domini, quinque de Nativitate Christi, septem de annuntiatione Dominica, quatuor de Passione, octo de Coena Domini, totidem de Resurrectione, octo item de Assumtione B. M. V., quinque in festum S. Mariae Magdalenae, duas in nativitatem Joannis Baptistae, etc. [44]) — *Petrus Blaesensis*, Archidiaconus Bathoniensis *Sermones sexaginta quinque* reliquit, quos ad varios s. Scripturae textus accommodavit, tres in adventu Domini, unum de B. Andrea, duos in Christi nativitate, totidem in festo Circumcisionis, unum in S. Epiphania, duos in Purificatione B. V. M., quatuor in Quadragesima, duo in Coena Domini, totidem in festo Resurrectionis, unum in Dominica in Albis, unum in die Ascensionis, duo in Pentecostes, duo in festo SS. Apostolorum P. et P., quatuor in Assumtionem B. M. V., octo in festo omnium SS. etc. [45]). — *S. Antonius Paduanus* plures reliquit *Sermones* et eos quidem in Psalmos, item Quadragesimales et dominicales super Evangg. totius anni; qui omnes unacum Sermonibus aliisque opusculis *S. Francisci* Seraphici evulgati sunt [46]). — Jacobus *de Vitriaco Conciones* in Evangelia et Epistolas per annum adornavit [47]). — Accedunt *Guilielmi Parisiensis, Hugonis a S. Caro, Alberti Magni, SS. Thomae Aquin. et Bonaventurae* varii *Sermones* cum de tempore tum de Sanctis.

e. *Leges disciplinares.*

aa. *Graecorum Scriptorum.*

§. **207.** SS. Patres denique in scriptis suis res etiam

43) in Bibl. PP. *Lugd.* T. XX. p. 1262—1278.
44) ibid. T. XXIII. p. 638—754.
45) ibid. T. XXIV. 1077—1152.
46) in *S. Francisci* Assis. et *S. Antonii* Paduani Opp. omn. ed. Jo. de la *Haye*. (Pedeponti 1739. f.) Sect. II. p. 1—365.
47) ed. *Damian. a Ligno*, Antverp. 1575. f.

disciplinares pertractant, nec ullus fere inter eorum opera libellus extat, in quo non aliquid saltem contineatur, quod spectat ad disciplinam ecclesiasticam. *Antiquissima* ejus generis monumenta forent *Canones Apostolorum* vulgo nuncupati [1]); *Libri VIII Constitutionum Apostolicarum* [2]), quae utraque collectio *S. Clementi Rom.* olim tribuebatur; et *S. Dionysii Areopagitae Liber de Hierarchia ecclesiastica* [3]). Sed viris criticis nunc probatum est, e *Canonibus* illis quatuor (aut quinque) et octoginta *nonnullos* quidem ad seculum *secundum* attingere, reliquos autem probabilius, sicut etiam *Constitutiones* istas omnes, *tertio* vel *quarto* imo partim *quinto* demum seculo compilatos esse; neutram vero collectionem, quemadmodum nunc extat, a *S. Clemente* descendisse. Similiter ille Pseudo-*Dionysii* liber absque dubio in *quintum* seculum relegandus est. In *genuinis* autem et iis quidem *graecis*, quae huc spectant, opusculis praecipue memoranda sunt *S. Ignatii* Antioch. *Epistola ad Polycarpum* [4]). — *Origenis De Oratione*, ubi multa, quae ad disciplinam pertinent, disseruit [5]). — *S. Hippolyti* Canon s. *Cyclus paschalis* [6]); paschalis enim computus tunc temporis, quo tot de celebratione Paschatis controversiae movebantur, magni momenti erat. — *S. Anatolii Cyclus paschalis*, cujus magnum fragmentum *Eusebius* in Hist. eccl. VII. 32. intexuit [7]). — *S. Gregorii* Thaumaturgi *Epistola canonica*, in qua canones statuit *decem*, quibus in criminosos poenas decernit [8]); *undecimus* autem,

---

1) in *Cotelerii* ss. PP. apostolicorum Opp. ed. *Clerici*. (Amstolod. 1698. II. f.) T. I. p. 437. sq.

2) ibid. T. I. p. 199. sqq.

3) in Ej. Opp. ed. *Corderii*. (Antverp. 1634. II. f.) T. I. p. 229—437. nov. edit. Ge. Constantini. Venet. 1755. II. f.

4) in *Hefele* PP. apost. Opp. p. 113. sq.

5) in Ej Opp. ed. *De la Rue*. T. I. p. 196—273.

6) in Ej. Opp. ed. *Fabricii*. T. I. p. 38. sq.

7) in *Galland*. Biblioth. PP. T. III. p. 545—558.

8) in Ej. Opp. ed. Gerh. *Vosii*. Mogunt. 1604. 4.

qui in Vossiana editione legitur canon, nullo Cod. mss. exhibetur, sed a posteriori manu additus est. — *S. Dionysii Alex. Epistola canonica*, ad Basilidem Episcopum Libyae scripta, in qua illius quaestiones de disciplina poenitentiae resolvit [9]). Multae aliae Ejusdem hujus generis Epistolae ad Cononem, Thelemydem, Mesurunem etc. episcopos, nec non plures Epistolae paschales temporis injuria perierunt. — *S. Petri Alex.* Episc. et Martyris *Liber de poenitentia* i. e. Canones XV poenitentiales [10]). — *S. Alexandri Alexandrini Epistolae encyclicae tres*, quae hodie extant, una De depositione Arii haeresiarchae, a *Socrate* Scholastico servata [11]); altera ad Alexandrum Constantinop. Episcopum, quam *Theodoretus* memoriae nostrae prodidit [12]); tertia ad Presbyteros et Diaconos Alexandriae directae [13]). — *S. Athanasii Apologia pro fuga*, qua fugam in persecutione licitam ostendit; et Ejusdem *Epistola ad Dracontium*, quem adhortatur, ut ad Ecclesiam suam revertatur, cum fuga ejus scandalosa sit [14]). — *S. Basilii M. Epistolae canonicae tres*, ad Amphilochium Iconiae Episcopum directae, quae octoginta quinque canones disciplinares exhibent [15]). — *S. Gregorii Nysseni Epistola canonica ad Letoium* de canonicis peccatorum remediis [16]). — *S. Cyrilli Alex. Homiliae triginta paschales* (cf. §. 205.), quas per modum Epistolarum ad alias transmisit ecclesias, festum Paschatis in iisdem annuntians, variaque pertractans, quae pertinent ad mores. — *Joannis Jejunatoris Collectio canonum poenitentialium* [17]). — *Joannis Scholastici*

9) in *Galland.* Bibl. PP. T. p. 501—509.
10) c. scholiis Theod. Balsamonis ed. Fronto *Ducaeus*. Paris. 1620. f.
11) *Socrat.* Hist. Eccl. I. 6.
12) *Theodoret.* Hist. Eccl. I. 4.
13) in *Fabricii* Biblioth. graec. ed. *Harles*. T. IX. p. 258.
14) in Opp. ed. *Heidelberg*. T. I. p. 545. 734.
15) in Ej. Opp. ed. Jul. *Garnerius*. T. III. p. 268. 290. 324.
16) in Ej. Opp. *Morelli*. T. II., p. 114—124.
17) in *Fabricii* Biblioth. graec. T. XI. p. 110 sq.

Concordia canonum [18]), quae collectio canones Apostolorum, multa Synodorum (Ancyranae ao. 314, Neocaesareensis 314, Nicaenae I. 425, Antiochenae 332, Sardicensis 344, Gangrensis 355, Laodicenae 372, Constantinopolitanae I. 381, Ephesinae 431, Chalcedonensis 451) decreta et sexaginta octo e S. Basilii tribus Epistolis canonicis excerptas sententias ordine quodam systematico in quinquaginta titulos pro argumenti varietate digestas continet. Sub Ejusdem nomine circumfertur etiam *Nomocanon* [19]) seu Collectio, quae, dum leges imperatorum circa sacra emissas cum legibus ecclesiasticis conjungit, specimen quasi concordiae sacerdotii et imperii exhibet. — *Photii Nomocanon*, ad exemplar Joannis Scholastici concinnatus, et in quatuordecim titulos digestus [20]); quam collectionem postea seculo duodecimo *Joannes Zonaras* [21]) et *Theodorus Balsamon* [22]), celeberrimi Graecorum Canonistae, *commentariis* suis illustrarunt. Nec defuerunt viri docti, qui collectionum istarum Synopses adornabant, qualis est *Simeoni Logothetae* vulgo adcensita *Epitome canonum* [23]); et *incerti* auctoris *Synopsis canonum* [24]), falso *Alexio Aristeno* attributa; is enim eandem c. a. 1160 denuo auctam, scholiisque illustratam edidit.

bb. Latinorum.

a) A Clemente Rom. usque ad Leonem M.

§. **208.** Praeter illos *Scriptores occidentales*, qui aut *singulares tractatus* de disciplina ecclesiastica ediderunt, aut *collectiones canonum Conciliorum* adornarunt,

18) in Henr. *Justelli* Biblioth. vet. jur. can. T. II. p. 499. sqq.

19) ibid. eod. tomo; *Fabricii* Biblioth. graeca. T. II. p. 193.

20) in H. *Justelli* Biblioth. j. c. vet. T. II. p. 815. sqq.

21) Ejus Scholia in Canones Apost. ed. *Paris.* 1558; Commentar. in Decrett. Concill. *ibid.* 1618; Comment. in Epist. canon. ib. 1622.

22) ed. lat. Gent. *Hervet.* Paris. 1561. f.

23) in *Justelli* Bibl. j. c. T. II. p. 710—748.

24) ibid. T. II. p. 673—709.

eximium heic locum assignandum putavimus *Romanorum Pontificum Epistolis* et *Constitutionibus*, quas etiam extra Synodos pro re nata condere solebant. Sed ex ingenti earum multitudine nonnisi eas paucis commemorare in animo est, quae *proprie* ac *prolixius* de re disciplinari statuunt. Ceterum nemo nos reprehenderit, si eos quoque Pontifices, qui ad Graecos *graece* scripserunt, ad *latinos* Patres transtulimus; sic enim facillime, qui in hoc genere scripturae eminent Romani Primates, omnes *uno* quasi conspectu perlustrare poteris. Ita deinceps laudanda sunt: *S. Clementis I.* Rom. Pontif. *Epistola I ad Corinthios*, ad sedandam illic seditionem, qua Presbyteri viri apostolici injuste ab officio dejecti fuerant [1]). — *Tertulliani Liber de Spectaculis*, quae, cum idololatria arctius conjuncta, disciplinae christianae maxime adversari et peccaminosa esse demonstrat; item *De corona militis*, quo libro exemplum practicum ad disciplinam primaevae Ecclesiae pertinens proponit [2]). — *S. Cypriani* plures *epistolae* de re *poenitentiali*, utquae pars disciplinae olim in veteri Ecclesia maximi momenti fuit; item *De habitu Virginum* (sanctimonialium) ad restaurandam severiorem disciplinam; et *Liber de Lapsis* [3]). — *S. Cornelii* Papae *Epp. duae ad Cyprianum* et *una* Ejusdem *ad Fabium Antiochenum*, de schismate Novatiani [4]). — *S. Julii* Papae

1) in Petr. *Coustantii* Epistolis Romanorum Pontificum, cur. *Schoenemanni*, p. 6. sq. In hac optima editione (Goetting. 1796. 8. maj.) leguntur Epistolae *SS. Clementis I., Cornelii, Julii I., Liberii, Damasi, Siricii, Anastasii I., Innocentii I., Zosimi, Bonifacii I., Caelestini I. et Xysti III.*; unacum iis, quae a diversis Ecclesiis et Episcopis cum *ad eosdem* tum ad alios RR. PP., *ad SS. Soterum, Eleutherium, Victorem I., Lucium, Stephanum I., Xystum II., Dionysium, Melchiadem, Sylvestrum I.* directae sunt. *Reliquorum* Pontificum Romanorum Epistolas atque Decreta unacum iis, quae *ad eosdem* scriptae sunt, literis optime exhibet Jo. Dominici *Mansi* Coll. nov. et ampliss. Conciliorum (Florent. et Venet. 1759—1798.) XXXI. f.

2) in Ej. Opp. ed. *Giraldi* (Venet. 1744. f.) p. 72. 103.

3) in Ej. Opp. ed. *Oberthür*. T. I. p. 308. 323.

4) in *Coustant*. RR. PP. Epist. ed. *Schoenemann*. p. 97. sq.

Epist. una *ad Eusebianos*, altera *ad Presbyteros, Diaconos et populum Alexandrinum*, de reditu Athanasii [5]. — *Liberii* Papae Epist. ad *Hosium Cordubensem*, de Vincentii Capuani legatione et lapsu; aliae tres ad *Eusebium Vercell.* et una ad *Constantium imperatorem*, ut concilium pro pace Ecclesiae convocetur; alia *ad catholicos Episcopos Italiae;* aliae *quinque* ad diversos [6]. — *S. Damasi* Papae Epist. *ad Episcopos Illyrici; Expositionis fidei* in concil. Rom. ao. 378 editae et in Orientem transmissae *fragmm.*; Epistola ad *Paulinum Antiochenum*; Epist. Romani Concilii *ad Gratianum et Valentinianum* Impp., ut de religione Pontifex cum consortibus judicaret, et sacerdos nulli unquam profani judicis sententiae facile subjaceret; duae Epist. ad *Acholium Macedoniae* Episcopum in causa Maximi Cynici, cujus ordinatio damnatur; Epistola *synodica* adv. Apollinarium et Timotheum [7]. — *S. Siricii* Papae Epistolae *septem*, una *ad Himerium Episcopum Tarraconensem*, de Arianis non rebaptizandis, ut praeter Pascha et Pentecosten baptisma non celebratur, de Apostatis, quod non liceat alterius sponam in matrimonium sortiri, de his qui acceptam poenitentiam non servaverunt, de Monachis et Virginibus praepositum non servantibus, de Clericis incontinentibus, quales debeant ad clericatum promoveri, de ordinandorum aetate, quod clericus qui secundam uxorem duxerit deponatur, quae feminae cum clericis habitare sinantur, quod poenitens non fiat clericus, cett.; Ejusdem. alia *ad Episcopos Africae*, qualiter ordinandi sint Episcopi, ne Clericus viduam ducat uxorem, ne ad clerum admittatur qui cingulum militiae secularis habuerit, ne ex aliena ecclesia Clericum quis ordinet, de abjectis non suscipiendis ab alia ecclesia, de continentia Sacerdotum ac Levitarum etc.; alia Epist. *ad diversos Episcopos*, ut indignus non praeficiatur Eccle-

5) ibid. p. 210. sq.
6) ibid. p. 265. sq.
7) ibid. p. 319. sq.

siae, ut Ignotis sacerdotium negetur, ut Neophyti vel Laici sacerdotes non fiant; alia rursus *ad diversos Episcopos*, quo Jovinianus ejusque socii damnantur; alia *ad Gallos Episcopos* continens canones nonnullos concilii Romani, de Virginibus Deo dicatis, de eo qui sororem uxoris duxerit, item qui avunculi uxorem in matrimonium duxerit, de ordinatione Clericorum, de Clericis alienis, de Episcopo suos terminos transgrediente etc. [8]). — *S. Ambrosii* Doct. Eccl. *De institutione Virginis* ad Eusebium liber, in quo de consecratione virginis sanctimonialis agit [9]). — *S. Anastasii I.* Papae *Epistolae duae* in causa haeresis Origenianae [10]). — *S. Innocentii I.* Papae Epistola *ad Anysium*, cujus potestatem in Ecclesias Illirici confirmat; Ejusdem *ad Victricium Episc. Rotomagensem*, ut extra conscientiam Metropolitani non ordinetur episcopus, de iis qui ad clerum suscipi nequeunt, et ut clericorum causae a propriis terminentur Episcopis, ut viduam clericus non ducat uxorem, ut si laicus viduam duxerit clericus non fiat, similiter qui secundam duxerit non ordinetur, ut de aliena ecclesia clericum ordinare nullus usurpet, ut non rebaptizentur Novatiani et Montanistae qui ad Ecclesiam veniunt, quod sacerdotes et levitae non coire debeant cum uxoribus, ut ex curialibus clericus non fiat, de virginibus velatis si deviaverint, de virginibus necdum sacratis si deviaverint; Ejusdem Epist. *ad Episcopos in Synodo Toletana*, de dissensione corruptaque disciplina ecclesiarum Hispaniae; alia Epist. *ad Exsuperium Tolosanum*, de incontinentia sacerdotum, de ultima poenitentia, de administratoribus, quod viri cum adulteris uxoribus non conveniant, quod christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnet, quod ii qui intercedente repudio divortium pertulerunt, si se nuptiis aliis junxerint, adulterium comittant, denique qui libri in

---

8) ibid. p. 407. sq.
9) in Ej. Opp. ed. *Monte Alto*. T. IV. col. 415.
10) in *Coustant*. Epp. RR. PP. ed. laud. p. 485.

canone recipiantur; alia *ad Episcopos Macedonas*, ut clericus qui viduam duxerit vel ejectam suum perdat officium, quod non oportebat dici bigamum eum, qui catechumenus habuerit atque amiserit uxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus; de haereticis clericis quomodo debeant reconciliari, de sacrilegis et adulteris in clerum recipi non debere, etc.; alia Ejusdem *ad Decentium Eugubinum Episcopum*, de pacis osculo dando post confecta mysteria, quod baptizati nonnisi ab Episcopo consignari (confirmari oleo sancto) debeant, de jejunio sabbati, de energumenis baptizatis, de oleo infirmorum, etc.; alia *ad Felicem Episc. Nucerinum*, si quis volens se mutilaverit quod clericus fieri nequeat, ut digami ad clerum non admittantur, qui de laicis ad clerum non debeant promoveri, ut in ordinibus conferendis interstitia serventur, etc.; Epist. *ad Maximum et Severum Episcopos*, ut ii, qui in presbyterio filios genuerunt, removeri ab officio debeant; alia *ad Episcopos Apuliae*, quod post poenitentiam nullus ad clerum possit admitti; alia *ad Florentinum Episc. Tiburtinum*, quod in paroecia aliena quidquam inconsulto ipsius episcopo agere non liceat; *aliae* ab eodem in causis haereticorum *Arianorum*, *Pelagianorum*, *Photinianorum* emissae plus quam triginta omnino [11]). — *S. Zosimi* Papae Epist. *ad Hesychium Episcopum Salonitanum*, quod Monachi vel Laici nisi per gradus ecclesiasticos non debeant ad summum sacerdotium pervenire; quod si quis interdicta despexerit, gradus superioris periculo subjacebit; quae in singulis cleri gradibus tempora sint praefixa; Ejusdem *commonitorium ad legatos suos*, de appellationibus Episcoporum ad sedem Romanam; de tractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati fuerunt etc.; alia Epistola *ad Episcopos per Byzacium constitutos* de spretis judiciorum regulis adeo, ut sacerdotes praesentibus laicis judicentur; *aliae* praeterea *duodecim* partim jura Metropolitarum et privilegia specialia con-

11) ibid. p. 496. sqq.

cessa, partim caussam Pelagii et Coelestii haereticorum tractantes [12]). — *S. Bonifacii I.* Papae Epistola *ad Episcopos per Galliam et septem provincias*, de Maximo Valentinae civitatis Episcopo variis criminibus accusato, ut in Synodo provinciali caussa illius discutiatur; *aliaeque septem* ad diversos diversis de rebus agentes [13]). — *S. Coelestini I.* Papae Epistola *ad Episcopos Viennensis et Narbonensis provinciae*, quod non debeant clerici palliis amicti aut praecincti lumbis in Ecclesia ministrare; quod nulli sit ultima poenitentia neganda, quod per gradus ecclesiasticos ad episcopatum debeat perveniri, quod nolentibus clericis et populis nemo episcopus ordinetur, quod ab illicitis sit ordinationibus abstinendum; Ejusdem alia Epist. *ad Episcopos Apuliae et Calabriae*, quod nulli sacerdoti canones liceat ignorare etc.; porro *aliae septemdecim* ad Episcopos Orientis, ad Nestorium, ad Cyrillum Alexandrinum, ad Synodum Ephesinam, ad clerum et plebem CPolitanum, ad Theodosium imperatorem, omnes fere in causa Nestorii [14]). — *S. Xysti III.* Papae Epistolae *octo* ad diversos [15]).

b) A Leone Magno usque ad Hadrianum I.

§. 209. Sequebantur *S. Leonis I.* Papae *permultae* Epistolae [1]), et in his praecipue Epist. CLIX *ad Nicetam Episc. Aquilejensem*, capitula seu excerptiones septem complectens, et Ep. CLXVII *ad Rusticum Narbon. Episcopum* subditis responsionibus ad ejusdem consulta rescriptis [2]). — *S. Hilarii* Papae Epistolae *undecim* et *duo* Decreta; *S. Simplicii* Papae Epistolae decrett. *undeviginti*; *S. Felicis III.* Papae Epistolae *quindecim*, ma-

12) ibid. p. 692. sq.
13) ibid. p. 719. sq.
14) ibid. p. 761. sq.
15) ibid. p. 894. sq.
1) in *Mansi* Coll. Conc. T. V. col. 1211. sq., T. VI. col. 7. sq., T. VII. col. 479. sq.
2) ibid. T. VI. col. 331 et 395.

xime in causa Acacii et Petri Fullonis emissae [3]). — *Lupi Trecensis* Episcopi *De bigamis Clericis* Epistola ad Talasium [4]). — *S. Gelasii I.* Papae Epistolae *quindecim* et aliarum X fragmenta; Ejusdem porro tractatus *De anathematis vinculo*, et *Decreta permulta* [5]). — *S. Anastasii II.* Papae Epistolae *duae* et *unum* Decretum [6]). — *S. Symmachi* Papae *duodecim* Epistolae et *unum* decretum a Gratiano recensitum [7]). — *S. Ennodii* Episcopi Ticinensis *Libellus apologeticus pro synodo Romana IV*, qua Symmachi electio confirmata et regis Odoacris lex ecclesiasticae libertati et Pontificis electioni repugnans abrogata est [8]). — *S. Aviti* Episcopi Viennensis Epistola *ad Senatores urbis Romae* communi Episcoporum Galliae nomine scripta, in qua docet Episcopos culpandos esse, qui in synodum congregati de causa summi Pontificis judicium inferiores susceperint [9]). — *S. Hormisdae* Papae Epistolae *octoginta duae* et Decreta *quinque*; et proxime post eum succedentium RR. Pontificum, *S. Joannis I.* Epistolae *duae*; *S. Felicis IV. sex*; *S. Bonifacii II. duae*; *S. Joannis II. sex*; et *S. Agapeti septem* [10]). — *S. Dionysii Exigui*, Abbatis in urbe Roma, *Collectio nova* [11]). Is enim, qui et *cyclum paschalem* emendavit, et annos a Christi incarnatione computare incipiens aeram christianam vulgarem reddidit, primus adornavit novam et ampliorem collectionem et eam quidem *bipartitam*, in quam primo loco *canones* Apostolorum, tum Nicaenos et reliquarum deinceps Synodorum (Ancyranae, Neocaesareensis, Gangrensis, Antiochenae, Laodicenae et

3) ibid. T. VII. col. 924. 969. 1025.
4) in *Galland.* Biblioth. PP. T. IX.
5) in *Mansi* l. l. T. VIII. col. 1. 88. 126.
6) ibid. T. VIII. col. 188. sq.
7) ibid. col. 208.
8) ibid. col. 271.
9) ibid. col. 293.
10) ibid. col. 383 sq., 603. 658. 731. 794. 846.
11) in *Justelli* Biblioth. jur. can. vet. T. I. p. 101. sq.

Constantinopolitanae) retulit, hisque canones concilii Chalcedonensis, Sardicensis et Africanorum centum et triginta adjunxit; in altera autem parte collectionis, ut ne omisisse videatur quidquam eorum, quae ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, *Epistolas decretales* Pontificum Romanorum SS. Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Coelestini, Gelasii, Leonis, Anastasii excerpsit [12]. — Paulo post *duae aliae*, et altera quidem a *Theodosio* quodam diacono, altera ab alio *nescio quo* viro factae sunt collectiones, quas Ballerini in P. II De antiqq. canonum collectt. c. 9. et 12. secundum Codd. Mss. describit [13]. — *S. Sylverii* Papae Epistolae *duae* cum *uno* decreto [14]. — *Vigilii* Papae Epistolae *quindecim* et decretum *unum* pro confirmatione Synodo V [15]. — *Fulgentii Ferrandi* Carthag. Diaconi *Breviatio canonum* conciliorum cum Graecorum tum Africanorum fere omnium in CCXXXII numeros pro singulis materiis congesta; — *Canones S. Patricio* Archiep. Armaghano adscripti [16]. — *S. Martini Bracarensis* in Lusitania Episcopi *Liber Capitulorum* s. Canones e graecis Synodis collecti, additis quibusdam ex Hispaniae conciliis, quos tamen non integros sed summatim tantum in capitula octoginta quatuor digessit, et quorum priores de Episcopis et Clero statuunt, posteriores vero ea, quae ad Laicos spectant, exhibent [17]. — *Gildae Sapientis* Canones s. *Capitula* selecta in canonum collectione aliqua Hiberniae edita [18a]. — *Nicetae Treviriensis De vigiliis Servorum*, item *De Psalmodiae bono*, nec non *Epist. II.*, una ad Chlodoswintham, altera ad Justinianum [18b]. — RR. Pontifi-

12) ibid. l. l.

13) in *Gallandi* Sylloge Dissertationum de vetustis canonum collectt. (Mogunt. 1790. II. 4.) T. I. p. 403—409. 449—468.

14) in *Mansi* Coll. Conc. T. IX. col. 1.

15) ibid. col. 23. sq., col. 414.

16) ibid. T. VI. p. 466. 521.

17) ibid. T. IX. col. 846. sq.

18 a) in Luc. *D'Acherii* Spccileg. ed. nov. *De la Barre*. T. I. p. 492. sq.

18 b) in *Gallandi* Biblioth. PP. T. XII.

cum *Pelagii I. sedecim, Joannis III. duae, Pelagii II. novem* Epistolae cum duobus decretis [19]). — *S. Gregorii I.* Magni R. P. Epistolarum libri XII, cont. *octingentas octo et quadraginta*, quarum penultima inprimis notatu digna in diversas de jure canonico quaestiones expositio est, quam S. Papa transmisit in Anglo-Saxoniam ad *Augustinum* Abbatem, quem ipse pro se ad praedicandum illuc miserat; adjecta sunt Ejusdem alia *sex decreta*, quae dedit tempore Mauritii, Tiberii et Thodosii imperatorum; nec non Canones a *Gratiano* aliisque postmodu Gregorii I. nomine exhibiti [20]). — *S. Bonifacii IV. Decretum* ex Synodo Rom. ao. 610, unacum *Epist.* ad Ethelbertum regem Anglorum; item Papae *Deusdedit* Epist. *una*, et *Bonifacii V. quatuor* [21]). — *S. Columbani*, Pictorum Apostoli, *Liber poenitentialis* capp. quindecim complectens et poenas singularibus quibusdam Monachorum delictis irrogandas constituens; accedit Ejusdem *De poenitentiarum mensura taxanda* libellus [22]). — *S. Isidori* Hispal. Episcopi *Corpus canonum Hispan.* vulgo dictum, duabus partibus ad normam Dionysii Exigui distributum, quarum pars prior concilia Graeca, concilia octo Carthaginiensia, decem Gallicas synodos et quindecim Hispanicas, unacum capitulis Martini Bracarensis et sententiis concilii Agathensis [23]); pars autem altera Pontificum Romanorum Decreta a S. Siricio usque ad Anastasium, atque alia nonnulla continet [24]). Ex hac collectione bipartita postea ab *incerto* auctore composita est *Epitome systematica* decem librorum, quorum quivis in plures titulos digestus est [25]). — *Honorii I.* Papae Epistolae *novem* cum *uno* decreto, cui ad-

19) in *Mansi* Coll. Conc. T. IX. col. 709. 753. 879.

20) ibid. T. IX. col. 1029. sq. et T. X. col. 1—449.

21) ibid. T. X. col. 564. 536. 549.

22) in Ej. Opp. omn. ed. *Flemingo*, Lovan. 1667. f.; Lib. poenit. item in Luc. *Holstenii* Cod. Regg. monast. T. I. p. 179.

23) ed. s. t. *Collectio canonum Eccl. Hispan.* Matriti 1808. f.

24) ed. s. t. *Epistolae decrett. ac Rescripta RR. Pontiff.* Matriti 1821.

25) in *Mansi* Coll. Conc. T. VIII. col. 1179—1260.

nexae sunt Epistt. *duae* ex collectione Deusdedit Cardinalis, et aliae *quinque* ex Ivone descriptae; item RR. Pontiff. *Joannis IV.* Epistt. *tres*, *Theodori duae* et *S. Martini octodecim*, maxime ad haeresin Monothelitarum spectantes [26]); nec non *S. Vitaliani* Epp. *decem*, *Leonis. II. quinque*, et *Benedicti II. duae* [27]). — *S. Leodegardi* Augustóduni Episcopi *Canones* sexcenti septuaginta [28]). — *Marculfi*, O. S. B. Monachi et Abbatis Burdigaliensis, *Formularum libri duo* ad Landericum Episc. Parisiensem, quibus ordo praescribitur et stylus ecclesiastico-curialis in negotiis pertractandis, et in libro quidem primo quoad jus publicum, in secundo autem circa jus privatum. Hujus generis formulae aliae a *Sirmondo*, *Bignonio*, *Baluzio*, aliisque editae sunt, quas nunc in unum collectas exhibet Ferd. *Walter* Prof. órd. in litt. universit. Marburgensi [29]). Celeberrima autem *Romanae* ecclesiae *Formularum collectio* ab incerto auctore paulo post annum 714 adornatus est cum inscriptione *Liber diurnus*, quo agitur de stylo curiali literarum Papalium ad Imperatorem, Patricios, Exarchas, Cónsules, Reges, Patriarchas etc.; de ordinatione Papae et Episcoporum suburbicaris provinciae, de concedendo Pallio, de administrando Patrimonio ecclesiae Romanae, de variis Privilegiis etc. [30]) — *Cresconii* Africani Episcopi *Concordia canonum*, quae Dionysianae collectionis supra memoratae canones Pontificumque Romanorum decreta, non chronologica serie sed servato materiarum ordine per titulos treecentos divisa continet; sunt autem eorum quinquaginta tantum et duo jam typis exscripta [31]). In fronte illius operis trecenta capitula tanquam *indicem* conscripsit, eaque saepius quasi se-

26) ibid. T. X. col. 577. 681. 702. 785.

27) ibid. T. XI. col. 16. 1050. 1085.

28) ibid. col. 123.

29) *Corpus jur. german. antiq.* (Berol. 1824. III. 8.) T. III. p. 285 — 583.

30) ed. Paul. Jos. *Riegger*. Vindobon. 1762. 8.

31) in Henr. *Justelli* Biblioth. jur. can. vet. T. I. Append. p. XXXIII.

paratum opusculum edita, et *Breviarium canonum Cresconii* apellata sunt [32]). — *S. Theodori* Archiepiscopi Cantuariensis *Capitularia* s. *Canonum epitome*, centum sexaginta et novem capita complectens [33]). Sub ejusdem nomine vulgo circumfertur etiam *Poenitentiale;* sed id, quod nunc nobis suppeditat [34]), nihil est aliud quam compilatio fragmentorum, quae passim in recentioribus collectionibus reperiebantur. — *Gregorii II.* Papae Epistolae *quindecim*, et *Capitulare* datum Martiniano Episcopo, Gregorio Presbytero etc. in Bavariam ablegatis; item *Gregorii III.* Papae Epistolae *septem* et *Excerptum* e Patrum dictis canonumque sententiis de diversis criminibus et eorum remediis [35]). Sed iste liber poenitentialis absque dubio a *recentiore* aliquo exaratus est, et nono ad finem vergente aut decimo demum seculo prodiisse videtur. — Sub *S. Bedae* Venerabilis nomine duo extant opera, quae ad rem poenitentialem pertinent, ut quae pars disciplinae tunc temporis maxime vigebat, nempe *Canones poenitentiales* et *De remediis peccatorum*. Sed is, quem *Mansi* protulit, *Liber poenitentialis* [36]), verosimilius e collectione quadam *Gallica* desumtus est; genuinus enim sub eadem inscriptione olim laudatus liber periisse creditur. Nec minus Ejusdem *De remediis peccatorum* opusculum poenitentiale e ss. Patrum sententiis et Conciliorum decretis congestum Bedae abjudicandum et *Egberto Eboracensi* paulo infra commemorando adcensendum est; hic enim libellus nihil aliud quam particula majoris operis, quod inscribebatur *De sacerdotali jure* fuit, sed tanquam peculiare opusculum postmodo exscriptus perperam sancto Bedae attributus fuisse videtur [37]). — *S. Bonifacii* Ar-

32) ibid. T. I. p. 456.
33) in *Mansi* Coll. Conc. T. XII. col. 25—37.
34) c. nott. Jac. *Petiti* ed. Paris. 1679. II. 4.
35) in *Mansi* Coll. Conc. T. XII. col. 234. 277.
36) ibid. T. XII. col. 498—520.
37) ibid. p. 489—498.

chiepiscopi Moguntini *Statuta* canonica triginta sex [38]); item Ejusdem *Epistola* ad Zachariam Papam; et *S. Zachariae Epistolae ad Bonifacium*, cui ad singula epistolae praecedentis capita respondet; accedunt Zachariae aliae *semptemdecim*, ad Pipinum Majorem domus et Episcopos Proceresque Francorum; praeterea Ejusdem *tria decreta* [39]). — *Egberti Eboracensis* Archiepiscopi *Excerptiones de jure sacerdotali* e dictis et canonibus ss. Patrum concinnatae; ex qua magna collectione systematica nondum typis absoluta posthac (c. a. 1040) *Hucarius* quidam Diaconus *Epitomen* conscripsit, quae aliquamdiu sub ipso Egberti nomine circumferebatur. Recte vero *Egberto* tribuitur, qui falso Bedae nomine hucusque recensitus est, libellus *De remediis peccatorum*, sive potius fragmentum quoddam illius operis *De jure sacerdotali*. Idem auctor esse pro certo perhibetur Dialogi, qui hodiedum extat, *De institutione ecclesiastica*. Contra vero duae *aliae* canonum poenitentialium collectiones, quarum altera, quae brevior est, tota extat; altera autem, et ea quidem amplior ex parte tantum typis expressa est, incassum Egberti nomen in fronte gerunt, quamquam utramque eodem fere tempore, nimirum octavo seculo exaratam esse verisimillium est [40]). — Romanorum Pontiff. *Stephani II. septem*, *S. Pauli I. tredecim*, *Stephani IV. quatuor* Epistolae [41]).

c) Ab Hadriano ad Gregorium VII.

§. **210.** Ab *Hadriano I.* Papa Epistolae *nonnullae* extant, unacum *Epitome canonum*, quam ad dispositionem occidentalium Ecclesiarum Carolo M. dono dedisse dicitur [1]). — *S. Leonis III.* Epistolae *quatuordecim* [2]). —

38) ibid. p. 400. sq.
39) ibid. p. 315. sqq.
40) ibid. p. 414—498.
41) ibid. p. 534. 632. 690.
1) in *Mansi* Coll. Conc. T. XII. col. 819. 859.
2) ibid. T. XIII. col. 961.

Theodulphi Aurelianensis Episcopi *Capitulare ad Parochiae suae Sacerdotes*, in quo saluberrima, tum presbyterorum propria, tum communia quibus subditos sibi plebes informare debeant, vitae christianae documenta describuntur [3]). — *Stephani V.* R. P. Canon de *electione* Romani Pontificis, et *S. Paschalis I.* Papae Epistolae *quinque* [4]). — *Remigii Curiensis* Episcopi (cui vulgo quidem, sed probabilius falso, adscribitur) *collectio*, jussu Caroli M. (ut aiunt) in usum Germaniae Ecclesiae ex decrett. Pontiff. Romanorum excerpta [5]). — *Eugenii II.* Papae Epp. *duae* et decreta *undecim*; item *Gregorii IV.* Epp. *quatuor* [6]). — *Ansegisi* Luxoviensis Abbatis *Capitularia* (Regum Francorum) *Caroli M. et Ludovicii Pii* in *libros IV* distributa; ad quam collectionem non multo postea accesserunt *Benedicti Levitae* s. Diaconi Moguntini *libri III Capitularium*, qui praetermissa ab Ansegiso capitula addita, regum Pipini et Carolomanni constitutiones aliasque e ss. Patrum Scriptis, Conciliis, Pontificum Decretalibus excerpta continent. His deinde porro adjecti sunt *Additionum Libri IV*, quorum compilator quis fuerit, non liquet. Tota inde collectio Capitularium Regum Francorum nunc *undecim* libros complectitur [7]). — *Haytonis* Basileensis Episcopi *Capitulare ad Presbyteros* [8]). — *S. Agobardi* Lugdun. Episcopi *De dispensatione rerum ecclesiasticarum*, qui liber potissimum agit de Sacerdotibus, de divinis persolvendis, de poena Sacrilegii, de alienandis Ecclesiis, de Simoniacis [9]). — *Halitgarii* Cameracensis Episcopi *De vitiis et virtutibus et ordine*

---

3) ibid. col. 993.

4) ibid. T. XIV. col. 147. 372.

5) in Jos. *Harzheim* Concill. German. (Colon. 1749—1790. XI. f.) T. II. p. 414—426.

6) in *Mansi* Coll. Con. T. XIV. col. 412. 513.

7) ed. Steph. *Baluzii*, cur. Petri de *Chiniac*. Paris. 1680. II. f. noviss. ed. Ferd. *Walter* in Corp. jur. Germ. T. II. p. 441—868.

8) in *Mansi* Coll. Conc. T. XIV. col. 393.

9) in Biblioth. Patrum max. *Lugdun*. T. XIV. p. 295.

Sequuntur Joanni proxime deinceps succedentium Pontificum literae, *Stephani VI.*, *Formosi*, *Leonis VII.*, *Agapeti II.*, *Joannis XII.* et *Joannis XIII.*[28]). — *Reginonis*, Abbatis Prumiensis, *De disciplina ecclesiastica Libri II*, adhortante Radbodo Episcopo Trevirensi conscripti, quorum prior de rebus et personis ecclesiasticis, posterior de vita et officiis laicorum agit[29]). — *Abbonis*, Abbatis de Fleury, *Collectio* quinquaginta duo capita complectens et e conciliis, Pontificum decretalibus, Capitularibus Francorum, Breviario Alariciano etc. suisque sententiis in unum collecta[30]). — *Burchardi*, Monachi et postmodo Wormatiensis Episcopi, *Magnum decretorum volumen*, omnes disciplinae ecclesiasticae materias viginti libris complectens[31]). — Epistolae et literae decretales Romm. Pontiff. *Benedicti VI.*, *Benedicti VII.*, *Joannis XIV.* (XV.), *Joannis XV.* (XVI.), *Gregorii V.*, *Sylvestri II.*, *Joannis XVI.* (XVII.), *Joannis XVII.* (XVIII.), *Sergii IV.*, *Benedicti VIII.*, *Joannis XVIII.* (XIX.), *Benedicti IX.*, *Gregorii VI.*, *Clementis II.*, *Damasi II.*, *S. Leonis IX.*, *Stephani IX.*, *Nicolai II.*, *Alexandri II.*[32])

b) A Gregorio VII. usque ad Innocentium IV.

211. Eadem amplissima *Mansiana* Collectio sequentium quoque Romanorum Pontificum literas et decreta exhibet, *S. Gregorii VII.*, *Urbani II.*, *Paschalis II.*[1]); *Gelasii II.*, *Calixti II.*, *Honorii II.*, *Innocentii II.*, *Coelestini II.*, *Lucii II.*, *Eugenii III.*, *Anastasii IV.*, *Hadriani IV.*, *Alexandri III.*[2]); *Lucii*

28) ibid. T. XVIII.
29) ed. Steph. *Baluzii*. Paris. 1671. 8.
30) in *Mabillonii* Vett. Analectt. (ed. secund. Paris. 1723. f.) p. 133—148.
31) ed. *Colon.* 1560. f.
32) in *Mansi* Coll. Conc. T. XIX.
1) T. XX.
2) T. XXI.

III., *Gregorii VIII.*, *Clementis III.*, *Coelestini III.* [3]); *Innocentii III.*, *Honorii III.*, *Gregorii IX.*, *Innocentii IV.* cett. [4]). Interea multi etiam, qui ad disciplinam attinent, singulares tractatus variaeque canonum ac decretorum cum Conciliorum tum Romanorum Pontificum collectiones prodierunt. In quibus, ut taceamus *Anselmi Lucensis* Episcopi (cui vulgo adscribitur) *Collectionem canonum*; *Deusdedit* s. Theodati R. E. Cardinalis *Libros IV*; *Bonizonis* Sutrini Episcopi *Collectionem X librorum*; *Gregorii* Presbyteri Hispanici Librum *Polycarpi* nomine inscriptum; *Laborantis* E. R. Cardinanalis *Collectionem*, aliasque, utpote nondum typis exscriptas; ea tantummodo lubet afferre, quae jam evulgata sunt, et de quorum auctoribus plane constat. Hujus generis sunt: *S. Anselmi Cantuariensis De nuptiis Consanguineorum* [5]). — *S. Ivonis* Carnutensis Episcopi *Decretum* (s. quae inscriptio antiquior est) *Regularum ecclesiasticarum exceptiones*, et Ejusdem *Pannormia* (Pannomia) sic dicta, quia quasi omnes vitae ac disciplinae ecclesiasticae regulas continet [6]). — *Algeri* Leodiensis *De misericordia et justitia, et de illis qui extra Ecclesiam*, commentatio ad jus canonicum spetans, cujus non pauca Gratianus in Decretum suum recepit [7]). — *Gratiani*, O. S. B. e Congregatione Camaldulensi Monachi, *Concordia discordantium canonum* seu *Decretum*, quod quidem opus ceteris prioribus ejusmodi collectionibus non tam ingeniosiore et accuratiore dispositione quam potius materiae ubertate antecellit [8]). Hoc Gratiani Decretum ab *Omnibono* Magistro Bononiensi et Veronae postea Episcopo, ab *Huguccio Pisano* Episcopo Ferrariensi et

3) T. XXII.
4) T. XXIII. et rel.
5) in Ej. Opp. ed. *Gerberon*. p. 141—143.
6) in Ej. Opp. ed. *Fronto Ducaeus* Paris. 1647. II. f.
7) in *Martene* et *Durand*. nov. thes. Anecdott. T. V.
8) in Aemil. Lud. *Richter* Corp. juris. canon. (Lips. 1839. fol. min.) P. I. col. 1—1240.

Joanne de Deo annotationibus modo brevioribus, quas Glossas dicunt, modo prolixioribus, quae Apparatus vocantur, instructum est; e quibus denique *Ioannis Semecae Teutonici*, Propositi Halberstadiensis *magnus Apparatus* enatus, et a *Bartholomaeo Brixiensi* Boneniae Magistro emendatus et correctus postmodo cum Gratiani Decreto evulgatus est. — *Petri Blaesensis De poenitentia vel satisfactione* a Sacerdote injungenda; Ejusdem *Canon episcopalis* seu *De institutione Episcopi* tractatus [9]). — *Bernardi de Compostella* Archidiaconi *Collectio Decretalium* s. *Compilatio Romana*, utpote sub Innocentio III. ex ipsis archivis Pontificiis exscripta; sed ea ex parte tantum typis excusa est [10]). — *Raineri*, Diaconi Pomposiani O. S. B. Monachi, *Compilatio Decretalium Innocentii III.* ex ejusdem libris regesta [11]). —*Bernardi de Circa*, Praepositi Papiensis, *Breviarium Extravagantium*, praesertim decretales RR. Pontificum Alexandri III., Lucii III., Urbani III. et Clementis III. complectens, quae dicitur *prima Compilatio* sc. earum, quae postea in Collectionem Gregorianam receptae sunt; — *Joannis Guallenis* (Wallensis) *Liber secundus decretalium* s. Compilatio *secunda*, ad exemplum prioris in V item libris digesta; — *Petri Beneventani*, Rom. Pont. a secretis, Collectio Epistolarum decretalium inprimis Innocentii III., cujus jussu haec *tertia Compilatio*, dein publice recepta, composita est; editae sunt istae Compilationes tres in supra dicta collectione [12]), ubi et *Compilatio quarta*, ab *incerto* auctore adornata et Innocentii III. posteriores literas unacum decretis Concilii Lateranensis IV continens, invenitur. — His addita est *Tancredi*, Bo-

---

9) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XXIV. p. 1178—1195.

10) Ph. *Labbei* Antiquae collectiones decretalium c. nott. et emendatt. Ant. *Augustini* et Jac. *Cujacii*. (Paris. 1609. f.) p. 721—740.

11) in Steph. *Baluzii* Epistt. Innoc. III. (Paris. 1682. III. f.) T. I. p. 543—606.

12) Ph. *Labbei* Antiqq. collect. decretalium etc.

13) ed. *Cironius* Tolos. 1645. f.

noniensis Magistri et postea ibidem Archidiaconi, *Quinta* Compilatio, epistolas decretales Honorii III. exhibens [13]). — *S. Raymundi de Penna forti*, Auditoris Rotae Romanae, *Libri V Decretalium*, cum variarum Synodorum canones, S. Scripturae locos et Patrum sententias, tum maxime RR. Pontificum decreta, praesertim constitutiones ab Eugenio III. ad Gregorium IX. usque complectentes, atque ita dispositi, ut liber I de personis, penes quas est jurisdictio ecclesiastica; II de judiciorum ordine; III de rebus ecclesiasticis et clero; IV de sponsalibus et matrimonio, V de criminibus maxime ac delictis statuat [14]). In hanc collectionem post *Vincentium Hispanum*, *Goffridum Tranensem* praesertim *Sinibaldus Fliscus*, postea sub nomine *Innocentius IV.* P. R., scripsit *Commentarium in Libros V Decretalium* [15]). — *Galonis* S. R. E. Diaconi Cardinalis *Constitutiones* in Conciliis Galliae ao. 1208 ipso praeside habitis pro disciplina restauranda emissae [16]). — *Guilielmi Parisiensis* Episcopi *Additiones ad Galonis constitutiones*, statuta sedecim disciplinaria, cum illis una edita; Ejusdem *De collationibus* et *De pluralitate beneficiorum ecclesiasticorum* tractatus duo [17]). — *S. Petri*, Congreg. Coelestinensium O. S. B. fundatoris et postea summi Pontificis *(Coelestini V.)*, Opusculum VII, sc. *De censuris* (de excommunicatione majori ejusque effectibus, de minori excomm., de suspensione et interdicto), de irregularitate, de dispensatione et absolutione; Opusc. VIII *De Sacramentis Eccl.* et in his praesertim *De Poenitentia* (contritione, confessione, satisfactione), *De Ordine* (de aetate ordinandorum, de tempore ordinationis et ministro, de impedimentis canonicis, de gradibus praeficiendorum, de honestate clericorum, de eorum peculio, de Regularibus et regularium Praepositis, de

14) in Aem. Lud. *Richter*. Corp. jur. canon. P. II. col. 1—892.
15) ed. *Venet*. 1610. f.
16) in Delect. Actt. Eccl. univers. (Lugdun. 1738. f.) T. I. p. 1269.
17) ed. *Knoblauch*. 1500. 8.

Monialibus), *De Matrimonio* (et fusius de sponsalibus, de contrahentium aetate et qualitatibus, de impedimentis matrimonii, de divortiis); Opusc. IX *De decem praeceptis Decalogi*, imprimis de sortilegis, infidelibus, schismaticis, apostatis, sacrilegis et blasphemantibus, haereticis; de voto, juramento et perjurio, de festorum sanctificatione, de homicidio ejusque variis generibus et poenis, de furto, rapina, stellonatu, de usura, de restitutione, de simonia ejusque speciebus atque poenis; Opusc. X *de Praeceptis Ecclesiae* (de jejuniis; de obligatione confitendi et communicandi saltem tempore paschali; de interdictis nuptiis; de decimis, primitiis et oblationibus; Opusc. XI *De Legibus*, et primum de lege *praeceptiva* (de constituiionibus, consuetudinibus, rescriptis et privilegiis) et de lege *poenali;* dein *de actibus legalibus* (electione, confirmatione, postulatione, translatione et renunciatione; de testamento, donatione et solutione; de unione etc. ecclesiarum; de jure patronatus, de parochiali jure, cett.); *de judicio legali* (de judice, advocatis et procuratoribus, de testibus, de accusatione, judicis sententia, appellatione); *de Ecclesiis et locis sacris* (de Ecclesiarum aedificatione, consecratione, immunitate ac jure praescriptionis; de domibus religiosis, de sepulturis et officiis pro defunctis); *de beneficiis* etc. [18])

2. De Scriptis Patrum pastoralibus judicium.

§. **212.** Sanctos Patres de theologia etiam *pastorali* egregie meritos esse, nemo erit qui infitietur. Praeclaras enim *institutiones* ediderunt, quibus pastores docent actiones suas in suam et gregis sibi commissi salutem ita instituere, ut ex animo Ecclesiam Christi amplificarent, sanctificarentque. Neque solum in *arte oratoria* eam operam posuerunt, ut in eloquentia, maxime sacra, *alios* instituerent; verum *ipsi* quoque hoc sacro munere fungi erga oves sibi creditas ita necessarium duxerunt, ut vel summi Pontifices, gravissimis licet curis distenti plurimis-

18) in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. XXV. p. 817—864.

que negotiis occupati, tamen huic quoque officio vacarent. Reprehendunt quidem et in hoc scribendi genere nonnulli vituperatores, quod ss. Patres *nimio* artis rhetoricae studio dediti, crebras verborum *figuras* et colores, et omnine eloquentiam *non satis moderatam* sed turgidam ac declamatoriam sectati sint; reprehendunt porro, quod iidem, ubi de divinis rebus disserendum erat, oratoria atque ea *argumenta* saepe adhibuerint, quae ad probationem firmam solidamque *minus apta* fuerint. Sed istae crimininationes vel prorsus vanae vel admodum certe iniquae sunt. Altioris enim et exaggeratae orationis plerumque *res ipsa* causam dedit. Quid enim, quod in ss. mysteriis colendis, in orationibus Sanctorum panegyricis, in describendis Martyrum virtutibus non in simplici commemoratione acquiescendum esse putarent? quid, quod de rebus divinissimis disserentes coelesti quasi animi afflatu in altiora ascenderent? quod declamatoriis verborum floribus, et per prosopopoeam aliasque rhetoricas figuras sermones suos panegyricos ornarent, ut tanto magis ad Piorum exempla imitanda et imploranda Sanctorum praesidia fideles incitarent? Denique cum sermonibus Patrum antiquiorum adessent non modo *Fideles*, sed et *Catechumeni*, imo *Pagani* quoque et *Judaei* ac *Haeretici*, quid mirum, quod in homiliis Patrum permagna sit diversitas? quod, ut diversis auditorum suorum ingeniis et conditionibus se accomodarent, in omne quasi latus sese vertere cogerentur; nunc altissimam petere theologiam, ac recondita mysteria nunc explicare, nunc silentio praeterire, vel obscurius tantum attingere; nunc ad selectos ac plurimum eruditos auditores, nunc ad rudes et ignaros populi fideles sermonem instituere debebant? Accedit, quod ss. Patres sermones suos ut plurimum *imparati* proferebant; quamquam inter hos ipsos non desunt orationes *eruditae* ac *perpolitae*, quas per otium multaque cum diligentia postea conscripserunt. Quis enim non miratur hujusmodi *SS. Basilii, Chrysostomi, Bernardi* homilias ac sermones, qui praestantissimis vel *hodiedum* oratoribus exemplo esse possunt!

§. 213. Non solum autem respectu sacrae Liturgiae et divini verbi Praedicationis, sed etiam in *ea curae pastoralis parte*, quae in *regimine* ecclesiastico et fidelium *disciplina* versatur, mirum in modum christianae religioni profuerunt. Referti enim sunt libri eorum sententiis, quae postmodo in *collectiones canonum* receptae vim et auctoritatem sibi instar legis fecerunt. Sic unus *Gratianus* in Decreto suo ss. Patres et Scriptores ecclesiastices ad minimum quatuor et triginta commemorat, et e libris *Hermae, Origenis, Cypriani, Eusebii, Hilarii Pictav., Athanasii, Basilii M., Gregorii Naz., Didymi, Ambrosii, Chrysostomi, Chromatii, Rufini, Hieronymi, Augustini, Paulini Nolani, Cyrilli Alex., Prosperi Aquitani, Leonis M., Benedicti, Cassiodori, Gregorii M., Hesychii Hierosol., Isidori Hispal., Fructuosi, Theodori Cantuar., Bedae, Alcuini, Paschasii, Haymonis, Rabani Mauri, Hincmari Rhem., Anastasii Biblioth., Fulberti* etc. singula loca exscripsit. Atque his ceterisque praesertim *antiquioribus* Patribus eorumque scriptis et auctoritati potissimum innixi tum *Episcopi* in synodis congregati, tum maxime *Romani Pontifices*, ut quibus ante ceteros de salute universalis Ecclesiae consulendi cura usque incubuit, varios circa disciplinam *canones* atque *decreta* emiserunt, quorum praestantia vel nostris temporibus satis agnoscitur et celebratur. Quod autem ad collectiones canonum attinet, ut ne quid consulto videamur omisisse, quod Scriptoribus ecclesiasticis aliquo jure in vitium verti posse videatur; jam de collectione famosa *Pseudo-Isidoriana* nonnihil disserere necesse est. Et eam quidem satis diu, sed omnino perperam, *S. Isidoro Hispalensi* accensitam, re autem vera intra annos 829—845 ab incerto auctore (alii enim *Benedictum* Levitam Moguntinum, alii *Angilramnum* Episcopum Metensem, alii *Isidorum* Setubensem, rursus alii *Isidorum* fratrem Eulogii Cordubensis Episcopi auctorem dictitant) verosimilius in *occidentali regno Francorum* compilatam esse omnes norunt.[1]). Ex hac spuria

1) Hujus compilationis (sed varie jam interpolatae) unicum exem-

collectione, quae inter alia praesertim Pontificum Romanorum *Decretales* et eas quidem a *S. Clemente I.* usque ad *Gregorium II.* cum genuinas tum mutilas et confictas comprehendit, reliquas deinceps a seculo medio nono evulgatas collectiones prope omnes multa hausisse, negari non potest. Alii enim collectores, velut *Angilramnus* Metensis Episcopus et *Remigius* Curiensis, ex eadem mere excerpta fecerunt; alii, ut *Regino* Prumiensis, *Burchardus*, *Gratianus* saltem plus minus ab ista mutuarunt. Ad *caussam* vero et *effectum* istius collectionis quod attinet, *Baluzius*, Claud. *Fleury*, Petr. *Coustantius*, Petr. *de Marca*, et qui illorum virorum vestigia presserunt, Just. *Febronius*, Zeg. Bern. *Van-Espenius*, *Spittlerus*, *Sauterus*, *Droste-Hülshofius*, *Theinerus*, alii, sive factionum studio commoti, sive summorum virorum sententiis nimis temere addicti, aut non satis circumspecte vel aliquanto cupidius judicantes, vel male animati in Pontificum principatum, contenderant, per Pseudo-Isidorianas decretales *nervos ecclesiasticae disciplinae fractos*, *Episcoporum et provincialium Synodorum jura perturbata*, *novamque et usque tunc omnino inauditam in sedem apostolicam collatam esse potestatem.* Sed hi quantopere in hoc erraverint, rem accuratius attendenti haud difficile est judicare. Fac enim, collectionem illam in Pontificum favorem fuisse compilatam; quo factum est, ut de *jure Episcopos confirmandi*, quo nempe jure posthac nescio an ullum fuerit majoris momenti, ne verbo quidem mentio facta sit? *Jus* itidem *translationis* Episcoporum, quanquam tunc temporis vix ullus praelatorum nisi approbante summo Pontifice transferebatur, a Pseudo-Isidoro nondum tanquam jus soli Papae reservatum nuncupatur. Similiter de *Pallio*, quo Romani Pontifices in Metropolitarum detrimentum abusi esse dicuntur, altum silet. Denique si per istam collectionem jura sedis Romanae ampliare in animo fuisset, non *Pon-*

plar typis impressum extat in Jac. *Merlini* Coll. Conc. (Paris 1524. II. f.) T. I.

tificius decretales fuisset ementitus, ut iisdem auctoritatem Papae promoveret, sed *Conciliorum* potius *canones* adulterare et in favorem Primatus confingere debebat auctor. Hinc multi VV. DD. sanioris hac super re judicii, e. gr. fratres *Ballerini*, *Blascus*, *Zaccaria*, *Devoti*, *Schenkl*, alii, qui recentiores juris canonici Scriptores exstiterunt, docent, eos valde errare, qui Pseudo-Isidorum id intendisse asserant, ut Pontificis dominatum prorsus *illimitatum* esse populo persuaderet, cum omnis istius operis ratio longe *aliam* mentem praeseferat, neque ea sedes, cujus jura *certissimis* nituntur monumentis, falsis istis decretalibus indigeat. Nec melius ii videntur opinari, qui *novatis inde rebus magnam veteris disciplinae jacturam emersisse* suspicantur. Si quis enim argumentum decretalium Pseudo-Isidori accuratius consideraverit, inveniet, quodcunque *novi juris* ibi invectum esse nonnulli arguant, his tribus potissimum sententiis contineri: ut concilia non solum oecumenica, sed etiam *provincialia* nonnisi a *Pontifice* convocentur, aut saltem eorum decreta ab eodem confirmentur; ut *caussa Episcopi* non aliter, nisi *comprobante sede apostolica* in legitimo omnium ejusdem provinciae Episcoporum cum Metropolita habito consessu dijudicetur; ut Episcopo, si judices sibi inimici vel alteri parti faventes videantur, jam *antequam sententia lata fuerit*, ad Pontificem Romanum *provocare* liceat. Atqui primam illam sententiam nihil unquam valoris *in praxi* obtinuisse, nec quidquam novi juris statuisse, notum est. Quod autem ad posteriores duas est sententias, quae utique postmodo invaluerunt, illi canones reapse non tam *novi* erant, quam tunc temporis primum *palam* pronunciati. *Rem ipsam* enim, utpote ab illius aevi moribus flagitatam, jam *per se* usu venire necesse fuit; unde factum est, ut eadem juris ratio in iis quoque terris vim scriptae legis sibi faceret, ubi Pseudo-Isidori collectio nunquam recepta est [2]). Ex quibus in-

2) Cf. Ferd. *Walter* Lehrbuch des Kirchenrechts, Vte Aufl. Bonn 1831. 8.) §. 87. 159. sq. et J. J. *Doellinger* Lehrbuch der Kirchengeschichte. (Regensb. 1838. 8.) Bd. II. Abth. I. §. 79. p. 45. sq.

telligitur, quam *falsae* sint quaerimoniae eorum, qui per Isidorianas decretales jus *novum* cum damno melioris disciplinae introductum arbitrantur; quamque *injusta* sit criminatio, hanc novam doctrinam a Patribus dein *oscitanter* retractatam et imprimis a *Romanis Pontificibus* ad tuendam suam nimiam potestatem ambabus manibus arreptam et propugnatam esse.

Caput II.

De Patrum sanctitate et approbatione ecclesiastica.

A. Patrum Sanctitas.

§. 214. Ut quis sive *testis* in rebus fidei sive s. Scripturae *interpres* fidem sibi faciat, id non solum in sufficiente rerum scientia, sed et in vitae *probitate* positum est (§. 92.). In teste enim summa virtus *veracitas*, quae maxime in integritate morum innititur. Sacrae *Scripturae* sensus autem et intelligentia, cum sint *Spiritus Sancti oracula*, nonnisi *sanctis* et Deo dilectis hominibus optime recludi consentaneum est. Jam vero a primaevae Ecclesiae seculis mos fuit, ut in certis libris describerentur nomina cum viventium tum mortuorum fidelium, qui in communione ecclesiastica usque perstiterint; diligentissimeque cautum est, ne sacris hisce *diptychis* inscripta nomina vel errore vel invidia calumniisque hominum expungerentur, quoniam haec poena erat, qua plectebantur, quicunque propter aliquod crimen ab Ecclesiae communione segregati sunt, vel a fide defecerunt. Eos vero, qui in hac unione perseverantes, eximia in vita probitate et post mortem adeo miraculis insignes, prae ceteris emicuerunt, in *Sanctorum catalogum* receptos fuisse erudimur. Et omnes fere eorum, quos sub eximio *Patrum* titulo veneramur, honore isthoc Ecclesiae potiti sunt. Utrum au-

tem haec *expressa* in Sanctorum diptychis receptio omnino sit necessaria, equidem non velim affirmare, modone desideretur in Patre tantae christianae virtutis excellentia, ut ejus vita merito fidelium *commendatione* atque *imitatione* digna sit. *Pater* enim is demum recte dicitur, qui filios non tantum genuit, sed etiam *educat* et *instituit*, quod non verbis solum sed magis interdum etiam *factis* et *exemplo* fit.

B. Patrum Approbatio.

§. 215. Ut quis autem religionis magister dici et haberi recte possit, non solum potior in sacris disciplinis *eruditio* et eximia *vitae probitas* pro incumbente sibi alterutro, vel testis divinae Traditionis vel sacrae Scripturae interpretis, officio requiritur, sed etiam *Ecclesiae approbatio*, si non expressa, tamen usualis sive tacita (§. 217.). At in hoc Catholici criminantur, quod divinae Ecclesiae traditionis auctoritatem e testimoniis Patrum probare conentur, et pro iisdem Patribus, ut testes idonei sint, approbationem Ecclesiae requirant, atque sic *circulum vitiosum* committant. Minime vero. Ubi enim probatio per *testes* fit, jam nemo non admittitur, qui rei non ignarus est; testium autem qualitas atque auctoritas ex *communibus artis criticae principiis* dijudicanda est; scilicet quod sensus communis criterium sit veritatis, et quod testis spectata dexteritate ac veracitate, qua vera dicere et potuit et voluit, omnem fidem mereatur. Nec alias in Patribus, quam in aliis testibus, dotes requirimus, rei *scientiam* nempe et *veriloquium*. Sed consentaneum est, quod is solum, qui ipse *intra* Ecclesiam et in continua fidei communione sit, de fide Ecclesiae, ut quam cum ipsa Ecclesia tenet, rite testari possit; quicunque vero extra Ecclesiam versatur, nec ab illa unquam receptus probatusque est, testimonium verum perhibere nequeat. Hinc sequitur, ut ea, quae de ss. Patrum auctoritate dicturi sumus, non item sint intelligenda de

Scriptoribus ecclesiasticis, nimirum iis, de quorum sanctitate non satis constiterit, aut quos Ecclesia diserte rejecerit. Quamquam enim in his quoque multi sunt doctrina et eruditione insignes, qui Ecclesiam Christi suis literis illustrarunt; tamen eorum nonnullos non sine ratione respuit Ecclesia, utputa *Origenem*, *Eusebium*, *Rufinum*, alios. At, dixerit quispiam, *Irenaei*, *Cypriani*, *Ambrosii*, *Chrysostomi* libros approbavit Ecclesia; num hi ab erroribus prorsus immunes? Cur autem, si Origenes damnatur, non etiam Ambrosius, Cyprianus, si hi quoque in nonnullis orthodoxae fidei contradixerint? Inter Sanctos est, qui in Chiliasmi errores descendit; qui ab haereticis baptizatos rebaptizandos credidit; qui in Christi corpore et sensum et dolorem negare videtur. Horum autem quidquam quis hodie dicere sine nota potest? Nemo sane. Sed longe aliud est, errare in rebus *obscuris* necdum satis definitis, aliud in apertis et quae jam tum in Ecclesia firmissime credebantur [1]). Aliud porro est, spreta sacra matre Ecclesia suis errores cum *pertinacia* propugnare, aliud controvertere servato unionis vinculo. Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus in nulla re a S. Rom. Ecclesiae consortio deviarunt, nec ab ejus fideli praedicatione sejuncti sunt, sed ipsius communionis gratia semper fuere participes; at Origenes deseruit unitatem [2]); at Eusebius, dum in persecutione SS. Eustathii et Athanasii cooperatus est, gloriam suam foedavit; at Rufinus apostolicae sedis censuram expertus est.

§. **216.** Nihilominus et *Scriptores ecclesiastici*, qui proprie Patres non sunt, *auctoritate* quadam pollent. Quamvis enim hi quidem in vera fide Ecclesiae aut non perseveraverint, aut de errore saltem graviter suspecti fuerint; tamen *aliquamdiu* saltem in communione fidelium perstiterunt, orthodoxique fuerunt, imo post defectum

---

1) Melch. *Canus* De locis theolog. (in Ej. Opp. omn. ed. Hyac. Serry, Patav. 1734. 4.) lib. VII. c. 3.

2) Idem l. l.

non in *omnibus* a veritate desciverunt, neque omnem idcirca fidem atque auctoritatem amiserunt. Unde *S. Hieronymus* probe distinguens: *Ego*, ait, *Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium — alios ecclesiasticos Scriptores graecos pariter ac latinos . . . Nec enim propter doctrinam ejus prava suscipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum pravitatem, si quos commentarios in S. Scripturas edidit, penitus hi respuendi sunt* [3]). Quin et ipsa *Ecclesia* nonnunquam ad eorum quoque auctoritatem provocat, et ad comprobandum dogma ex traditione eorum testimonia adducit. Cum enim aeque ac SS. Patres eruditione, quandoque etiam majori ac nonnulli Patres praediti fuerant, et certe aliquando aut in aliquibus, quae referunt, fide digni haberi possint; non video, cur omni auctoritate priventur. Sed *cautio* adhibenda est, ne forte erroribus decipiamur; ubi vero cum ss. Patribus consenserint, testimonia eorum et expositio pro vera numeranda est. Sic idem *S. Hieronymus* de Origene loquens praeclare in rem nostram dicit; *Non formidabo sententiam, qua illum doctorem Ecclesiarum quondam adolescentulus nominavi*; . . *non enim consuevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia . . . Vult aliquis laudare Origenem? Laudet ut laudo; . . Quodsi quis Judas Zelotes opposuerit nobis errores ejus, audiat libere:* „Interdum magnus dormitat Homerus“ . . *Non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi* [4]).

1. Approbatio tacita seu usualis.

§. 217. Declaratio autem Ecclesiae, quam in iis requirimus, quos eximio *Patrum* nomine salutamus, vel expressa est vel tacita. *Tacita* seu *usualis* ea dicitur,

3) Epist. LVI ad Tranquillinum, in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. II. col. 589. sq.

4) Epist. XLI ad Pammach. et Ocean., in Ej. Opp. ed. *Maur.* T. IV. P. II. col. 345. sq.

quae *longo usu* fit, et *nominis quasi gloria* constat, qua quis orbem implevit christianum. Id autem non uno modo fieri posse facile conjicies. Aut enim eam sibi auctoritatem nomenque conciliarunt, ut in rebus dubiis et controversis libri eorum a viris doctrina ac pietate illustribus unacum scriptis aliorum Patrum consulantur; aut dicta eorum communi suffragio usuque probata, vel adeo digna habita sunt, quae publicis Ecclesiae precibus inserantur; aut eorum sententiae ex Ecclesiarum et Scholarum cathedris nemine reclamante imo potius cum applausu omnium excipiuntur.

2. Expressa seu solemnis.

a. Generalis.

§. **218.** *Expressa* autem seu *solemnis* dicitur approbatio, quae in actis publicis Ecclesiae *conceptis verbis* declaratur. Est ea vel generalis, vel specialis, vel specialissima. Et *generalis* quidem in eo consistit, quod scripta alicujus generatim recipiantur, legique in *Scholis* publicis vel *Ecclesiis* permittantur, et tanquam utilia, vera et catholica fidelibus commendentur. Et in hujus generis sriptorum numero primum locum tenent, qui in utraque Ecclesia eximio Patrum et *Doctorum* titulo communi omnium consensu ornati sunt; et in *graeca* quidem Ecclesia *SS. Athanasius, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus;* in *latina* autem *SS. Ambrosius, Augustinus et Gregorius Magnus*; ad quos deinde solemni declaratione Pontificum RR. *S. Hieronymus* a Bonifacio VIII. per Bullam *Gloriosus* ao. 1298, *S. Thomas Aquinas* a Pio V. ao. 1567, *S. Bonaventura* a Sixto V. ao. 1588, et *S. Leo Magnus* a Benedicto XIV. per Bullam *Militantis Ecclesiae* ao. 1754 additi sunt. Aliis praeterea e. gr. *SS. Hilario Pict., Isidoro Hispal., Bedae Venerab., Anselmo Cantuar., Bernardo Claraevall.*, egregius Doctorum titulus saltem in *Officio divino* conceditur.

§. **219.** Hujusmodi autem *generalis* declaratio *tri-*

plicem effectum habet; primo enim voluntariae haeresis suspicionem ab auctoribus amovet; secundo eorum, qui tali approbatione potiti sunt, libros legendi facultatem fidelibus concedit, imo etiam laudat lecturam tanquam utilem ac fructuosam; tertio auctores commendat eo gradu, ut, si quis ad sententiam comprobandam ad eos provocaverit, saltem probabilitate quadam tuetur seclusis aliis rationibus, donec probetur contrarium. *Commendantur* igitur eorum opera, non quoad omnia ac singula in iis contenta, sed quoad majorem duntaxat partem, ut quae nimirum, si spectentur *in universum*, bona sint atque utilia; approbatur eorum doctrina vel interpretatio, non ceu omnimodo vera et infallibilis, sed tanquam *probabilis* tantum. Esse autem probabilia saltem, quae sanctissimi et eminentis doctrinae viri docebant, nemo sanae mentis inficias ibit. Neque obstat, quod Patres in genere approbati aliter atque aliter interdum loquantur, et *S. Hieronymus* v. c. nonnihil neget, quod *D. Augustinus* affirmet; etenim Ecclesia, dum utriusque scripta ut *probabilia* solum approbat, non approbavit *pugnantia*; et, dum *generaliter* approbat, omnes et *singulas* vel unius Patris sententias nec voluit examinare nec potuit, et consequenter etiam erronei quidquam inveniri *posse* in iis non negat. Ipsemet enim *S. Augustinus* ingenue fatetur, se neque *posse* neque *debere negare, ut in ipsis Majoribus, ita multa quoque esse in multis su isopusculis, quae possint justo judicio nec ulla temeritate damnari.*

b. specialis.

§. 220. *Specialis* autem approbatio in eo sita est, quod Patris cujusdam opera in *certa materia* reliquorum Patrum in hoc genere scriptis praeferenda, ejusque hac super re doctrina tanquam catholica et erroris expers declaretur. Exemplum istiusmodi specialis approbationis praebent *S. Augustini* scripta de *Gratia* et *Libero arbitrio*, quae scilicet multoties ab Ecclesia, cum in Conciliis congregata tum per ora summorum Pontificum locuta, toti orbi christiano commendata sunt. Et ut *Afri-*

canas synodos, qui S. Augustino in hac materia tanquam duce et ingenio suo utebantur; ut concilium *Arausiacum II.* ab universa postmodo Ecclesia approbatum, quod illam divi Augustini doctrinam penitus suam fecit, et fidelibus credendam injunxit; ut concilia Gallicana, *Valentinum*, *Lingonense*, *Tullense* taceam, quae in causa Gotteschalchi Augustinianas sententias instar regulae verae fidei adoptarunt; ipsa denique sacrosancta synodus *Tridentina*, quidquid de justificatione, de libero arbitrio et gratia definivit, id non modo sensu sed etiam verbis S. Augustini definivit. Similiter *SS. Innocentius I.*, *Coelestinus I.*, *Hormisdas*, *Joannes II.*, Romani Pontifices et recentioribus seculis *Clemens VIII.* et *Paulus V.* S. Augustinum Doctorem praedicant, *ab omni sinistra suspicione eximium*, et idoneum et dignum,... *quem sequi omnes debeant*,.. *de quo bene omnes in universum senserint*, .. et in cujus scriptis quaerendum sit, quid *non modo Romana sed etiam catholica sequeretur Ecclesia*. *Franciscus Macedò* theologus Lusitanus catalogum texuit trium et triginta Pontificum, novem generalium Conciliorum et viginti quatuor particularium Synodorum, denique nonaginta et amplius SS. Patrum et Scriptorum Ecclesiae, qui de incomparabili Augustini doctrina insignia passim testimonia reddiderunt.

§. **221.** In hac autem speciali approbatione *triplex restrictio* observanda est. Primo enim, quamvis Pater speciali approbatione ornatus praeferendus sit reliquis Patribus, non tamen ita primas obtinet, ut *solus* is pluris sit faciendus quam *ceteri omnes* ad universum collecti; sed anteferendus est ille reliquis Patribus seorsim sumtis. Unus enim et alter in singulari quidem propositione reliquis praecellens significatur; verum non unum veneratur, non unum sequitur Ecclesia, sed omnes simul; quod satis apparet e formulis tum a Synodis tum a Pontificibus Romanis usitatis, ubi iterum iterumque acclamant, decernunt: *Haec Patrum fides est* .. *Sic docuerunt Patres et in scriptis suis custodiunt* .. *Haec Patrum unanimis sententia* .. *Hanc inerrabilem Patrum renovavimus fidem* etc. Hinc satis elucet, merito damnatam esse pro-

positionem, quam Macar. *Havermannus* olim propugnaverat: „*Ubi quis invenerit doctrinam in S. Augustino clare fundatam, ipsam absolute potest tenere.*“ Nimis enim *indefinita* assertio est, quae nullum inter Augustini libros discrimen faciat. Sed etiam, si libros de gratia et libero arbitrio adversus Pelagianos designasset, in hoc tamen errasset, quod *absolutam* iisdem fidem tribuendam censuit. — Etenim secundo, licet Pater specialiter ab Ecclesia sit approbatus, tamen Ejus non omnia *eodem* loco scripta habenda sunt, sed ii tantum hac principalitate gaudent libri, quos vel *diserte* nominavit, vel *actu et exemplo* ad sua dogmata definienda adhibuit Ecclesia. Sic S. Augustini non omnia, sed ea sola, quae de *gratia* et *libero arbitrio* disseruit; imo vero ne ista quidem omnia, sed quae in hac materia *adversus Pelagianos et Semipelagianos* exaravit, specialiter approbata sunt. Idem enim praestantissimus Doctor jam in expositione *Epistolae ad Romanos*, quam ao. 395 scribere inchoavit, hanc quaestionem discussit, sed tunc quidem non absque errore quodam disseruit, prout ipse in libro De praedestinatione Sanctorum c. 3. sincere fatetur. Aliquanto autem jam majori cura eandem de gratia quaestionem pertractavit in libro I *De diversis quaestionibus ad Simplicianum* c. ao. 397 evulgato, ubi Epist. ad Rom. VII, 7. et IX, 10—29. de necessitate gratiae et libera vocatione expendit. Maxime vero doctrina vera, sincera et catholica eminet in libris Ejusdem intra annos 412—418 exaratis *De peccatorum meritis et remissione deque Parvulorum baptismo* ad Marcellinum, *De spiritu et litera* ad eundem, *De natura et gratia* liber unus, *De perfectione justitiae hominis* liber, *De gratia Christi et originali peccato;* denique in iis, quos extremis vitae annis (426—430) adv. Semipelagianos emisit, *De gratia et libero arbitrio* ad monachos Adrumetinos, *De correptione et gratia* ad eosdem, *De praedestinatione Sanctorum* ad Massilienses, et *De dono perseverantiae* (§§. 171. 172.). — Tertio, ex approbatione speciali, quam quis de certo libro potitus est, non sequitur, *omnes et singulas*,

quae in eodem occurrunt, propositiones prorsus jam esse indubitatas, nec *ullam* uspiam inveniri *posse*, quam Ecclesia non adoptaverit. Illa enim approbatio non est disquisitio quaedam et quasi criticum examen per singula libri capita excurrens; is certe labor infinitus foret, et Ecclesia (ut ait Jo. *Gisbertus*) eundo per singulas sententias vel uni libro Augustini examinando intra ducentos annos, quamvis semper actu congregata, non sufficeret [1]). Atque hinc patet, per approbationem specialem non jam cuiquam tribui *infallibilem* auctoritatem, nec ea omnia ac singulá, quae auctor in libro specialiter approbato adstruit, tanquam *fidei dogmata* suscipienda esse. Non alia enim, nisi expresse definita dogmata, tenet ac tenenda docet Ecclesia; neque cuncta, quae sentit Ecclesia servatque, hoc ipso immediate ad fidem pertinere dici possunt. Hoc clare innuit *S. Coelestinus I.* in Epistola dogmatica ad Episcopos, ubi, postquam c. 2. S. Augustinum summis encomiis celebravit, ad finem epistola c. 13. dicit: *Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum ut non audeamus contemnere, ita necesse non habemus destruere, quia ad confitendam gratiam Dei . . sufficere credimus, quidquid secundum praedictas regulas Apostolicae sedis nos scripta docuerunt* etc. [2]). Quin et ipse *S. Augustinus* in hoc vere catholicus est, quod lectoribus suis potestatem fecit sententias suas et opiniones dijudicandi. Dicit enim in libro XI contra Faustum Manichaeum c. 5: *Id genus literarum, quae non praecipiendi auctoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur a nobis, non cum credendi necessitate sed cum judicandi libertate legendum est* [3]); et in Epist. LXXXII ad Hieronym. c. 1. nr. 3: *Solis enim Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo errasse aliquid firmis-*

1) Vera idea theologiae. (Venet. 1750.) p. 200.
2) in P. *Coustant*. Epistt. RR. Pontiff. ed. Schoenemann. p. 864. 870.
3) in Ej. Opp. ed. *Maurin*. (Venet. 1729.) T. VIII. col. 221.

sime credam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt vel scripserunt [4]). Diximus autem, non infallibilem ex speciali approbatione consequi auctoritatem, cum perinde nondum sit satis cautum, Patrem illum nullo unquam pacto *potuisse errare*; minime vero ausim innuere, in hisce scriptis *reipsa* contineri errores seu quasdam propositiones falsas. Nec velim objicias, quia ipse Augustinus sententias suas, nisi praevio de veritate illarum examine, adoptari non vult. Ita videlicet viro humili de se sentire licuit; nobis id ipsum de doctrina tot tantis approbationibus munita dicere non est integrum (cf. §. 226.).

c. specialissima.

§. 222. *Specialissima* denique approbatio ea dicitur, per quam opusculum aliquod cujusdam Patris definiente Ecclesiae judicio *tanquam fidei regula omnibus tenenda* proponitur, unde talis approbatio non inepte *definitiva* nominatur. Id genus approbationis adeptae sunt *S. Cyrilli Alex.* Epistola cum XII *anathematismis adversus Nestorium*, et *S. Leonis Magni Epistola synodica ad Flavianum contra haeresin Eutychianam.* Cum *Cyrilli* Epistola ad Nestorium ejusque Anathematismi adversus eundem a sacra oecumenica synodo *Ephesina* solemniter recepti et tanquam *Nicaenae* fidei symbolo plane consentientes communibus Patrum suffragiis comprobati sint; pariterque in generali concilio *Chalcedonensi* praeter Cyrilli literas supra dictas etiam *Leonis* Papae ad Flavianum Epistola publice recitata, et communi omnium consensu probata sit acclamantibus Patribus: „*Petrus per Leonem locutus est! Apostoli hoc docuerunt!* nemo poterit dubitare, quin dictis utriusque Patris monumentis jam non singulorum hominum opinio, sed universae atque infallibilis *Ecclesiae doctrina* contineatur, ideoque consequenter, quid-

4) ibid. T. II. col. 190.

quid in iis de una in Christo hypostasi et duabus naturis disseritur, ceu *veritas ab omni errore immunis* tenendum sit.

Caput III.

De gradibus auctoritatis.

§. 223. Jam vero, ubi de ss. Patrum auctoritate agitur, tum ad *materiam* quae pertractatur, tum ad *consensum* inter ipsos Patres respiciendum est. Et ratione *consensus* in *trifariam* abit disquisitio, nimirum quid sit habendum primum de *unius alteriusve proprio placito*; deinde de *communi plurium* in re aliqua consensu, aliis tamen dissentientibus; denique de sententia *communi omnium auctoritate* probata. Quoad *materiam* autem, de qua quis Patrum auctoritatem consulturus est, multum intererit, num in *dogmaticis et moralibus*, an in *rebus ad fidem moresque minime spectantibus* interrogetur.

A. ratione materiarum.

1. in rebus ad fidem non pertinentibus.

§. 224. In eo quaestionum et facultatum genere, quae solo *naturali* lumine continentur, et ad *Philosophiam*, *Historiam*, *Mathematicam*, ceteris ejusmodi scientiis referuntur (§§. 94—115), si Patrum adfertur sive paucorum sive etiam plurium auctoritas, *certum* argumentum minime suppeditat. Philosophia enim ratione, non factis, nititur, cujus veritates argumentando, non testium depositione conficiuntur. Neque erat SS. Patrum ea ratio studiorum, ut se totos philosophiae dogmatibus aliisque, quas profanas dicimus, disciplinis darent, quum depositum fidei custodiendi, non res naturales et humanas perscrutandi provinciam sibi datam esse recte existimaverint. Itaque in quaestionibus *philosophicis*, *mathematicis*, *physicalibus aliis*que eorum auctoritatem sequi neque *necessarium*,

imo ne *consultum* quidem semper est; neque plus in hisce rebus auctoritas eorum valet, quam valent *rationes*, quas quisque profert. In rebus gestis autem seu *historicis* fidem tunc *praecipue* merentur, quando *suis* sensibus id se accepisse affirmant, quod narrando referunt. Hanc enim certe laudem viris doctis et ut plurimum perspicacibus negare nemo poterit, quod recte suis sensibus uti noverint; nec quisquem adeo injurius erit, ut viros vitae pietate tam conspicuos nobis fucum facere voluisse suspicetur. In factis autem, quae *non suis* ipsi sensibus perceperunt, auctoritas eorum *variat* pro majori vel minori, quo erant praediti, judicio. Similiter in rebus *disciplinaribus*, si quaestio talis est ut ad fidem minime pertineat, vel plurium Patrum auctoritas non aliam fidem facit, quam *probabilem* et cum honoris significatione deferendam.

2. in rebus dogmaticis et moralibus.

§. 225. In *sacris* vero literis, utquibus se totos dederint, SS. Patres utique omni, qua par est, *reverentia* audiendi sunt; sed ut *homines*, cum delectu et judicio. Siquis enim aliter sapit, nec sanis consiliis acquiescit, is jam non Sanctorum religione, sed sui ipsius amore captus novas sub Veterum nomine opiniones invecturus est. Neque adeo in *omnibus* divinae legis *quaestiunculis*, sed solum *in fidei regula* magno nobis studio antiquorum consensio investiganda et sequenda est. Primum igitur, *quid* fidei materiae nomine veniat, disquirere oportet. Ad fidem autem pertinent *propositiones, quae aut iisdem, quibus in Scriptis Patrum continentur, terminis revelatae leguntur, aut verbis revelatis evidenter aequivalentibus conceptae sunt.* Ad quae accedunt, *quae in revelatis tanquam pars in toto, aut species in genere, aut attributum in sua essentia evidenti pariter ratione includuntur* [1]). Atque dogmatum ejusmodi duo sunt genera, alia eorum in contempla-

1) F. P. M. *Gazzaniga* in Theolog. dogmat. in systema redacta. (Ingolst. 1786. II. 8.). §. 179.

tione versantur, atque fidem tantummodo postulant *(Credenda)*; alia praeter fidem et contemplationem actiones quoque respiciunt *(Agenda)*; illa nimirum ad dogma strictius ita dictum, haec vero ad mores pertinent.

B. ratione consensus.

1. Auctoritas unius alteriusve probabilis.

§. 226. *Unius* Patris vel in rebus *sacris ad fidem moresque pertinentibus* sententia non jam *per se* certa pollet auctoritate. Ita enim naturae humanae conditio fert, ut sibi relictus nemo mortalium ab errandi periculo sit immunis, imo ne specialis quidem Ecclesiae approbatio, *irrefragabilem* et *infallibilem* auctoritatem cuiquam parit (§. 221). Verumtamen ex eo, quod quis errare *possit*, non sequitur, quod continuo *reipsa* erret; unde fidem sine causa detrahere viro sanctitate et eruditione conspicuo plane alienum ab humanitate et recta ratione est. Plurimum autem discriminis in eo consistit, num tanquam *publicus* Ecclesiae magister an *privatus* loquatur. Loquitur autem S. Pater veluti *privatus*, ubi siugulares suas *suo* quasi nomine *non praecipiendi quctoritate* sed proficiendi exercitatione sententias effatur; ceu *publicus* contra, quando sententiam aliquam non pro sua sed pro *Ecclesiae doctrina* proponit; id quod monente *Marechalio* facillime ex eo dignoscitur, si SS. Patres fidenter et stylo quasi *decretorio* loquuntur, si proprias sententias velut *indubitatas* veritates fidei tradunt et tuentur, si Ecclesiae et Traditionis doctrinam proferre *intendunt*, et fidei professionem exprimunt, dum verbis *Credimus*, *confitemur*, *edocti sumus*, *Christus dixit*, *tradiderunt Apostoli*, *tenet Ecclesia*, aliisque similibus utuntur; si in *homiliis* ad populum, in *catechesibus* ad Catechumenos et Neophytos haec afferunt, et *ut credenda* inculcant; si, quumprimum impugnata sunt illa dogmata et in controversiam vocata, contrariam sententiam *uniformiter* ut *haereticam* condem-

nant [1]). Ergo quum Patres seorsim spectati spiritu humano loquantur et errare possint, imo ipsimet fateantur se saepius errasse; auctoritas unius et alterius S. Patris tacentibus reliquis non praestat argumentum firmum in iis, quae ad s. Scripturae expositionem et quaestiones fidei morumque pertinent. Cum vero verisimile non sit, eosdem veram Ecclesiae fidem *ignorasse*, imo plurimi pro munere ecclesiastico, quo quisque fungebatur, ne *potuerint* quidem illam ignorare, sententia jam unius alteriusve Patris *probabile* saltem suppeditat argumentum. Et idem Pater, si ut *privatus* tantum doctor sententiam suam dicit, *non plus* valet, *quam probat;* si vero loquitur ut *publicus*, *maximam* fidem omni jure meretur, praesertim si *speciali* approbatione potitus sit. Quamvis enim hujusmodi viri praestantissimi speciali Ecclesiae approbatione muniti propterea non jam ab omni errore prorsus immunes praedicari debeant (§. 221. sub fin.); tamen, cum eorum doctrinam suspexerit fidelis populus, approbaverint Episcopi, defenderint RR. Pontifices, ipsa Concilia suos ex illis conflare canones non dubitaverint, *periculum erroris* incurrere videntur, qui eorum doctrinam deserendam putaverint. Aliud autem est, de vera *mente* talis auctoris disceptare; aliud, ab ea, dum plana est, recedere. Primum *quandoque* fieri posse concedimus, alterum *sine errandi periculo* in materiis sic approbatis contingere posse negamus.

2. Plurium SS. Patrum consensus probabilior.

§. 227. Neque *plurium* Patrum auctoritas in definiendo aliquo dogmate vel s. Scripturae loco interpretando *irrefragabilem* certitudinem parit, si alii, et ii quidem *pauciores*, qui in contrariam abeunt opinionem, doctrina ac pietate *prae ceteris insignes* aut saltem *iisdem pares* sunt. Nam fieri omnino potuit, ut Patres etiam pauciores, cum praesertim sanctitate et eruditione sint praestantiores, germanum aut s. Scripturae aut Traditionis

1) Bern. *Marechal* Concordantia SS. Patrum Eccl. (Aug. Vind. 1769. II. f.) Praef. p. 11.

sensum melius assequerentur, quam stantes a contraria parte plures; imo ceteris paribus *major* quidem pars prae minori assensum meretur, sed *indubitatum* testimonio suo argumentum nondum suppeditat. Haec autem singulorum Patrum praevalentia *relativa* rite ponderatur respectu habito ad qualitatem tum *personarum*, tum *rerum* tractatarum, tum *temporis* dissertationis, tum denique *modi disputandi*. Alii enim aliis vel ingenii *eruditione*, vel morum *probitate*, vel etiam utraque praecellentia antecellunt; rursus alii *data opera* et *ex proposito* quaedam dogmata scriptis suis pertractarunt, alii vero velut transeuntes nonnisi *obiter* attigerunt; porro alii doctrinae religionis certa capita ex singulari quadam *Numinis* providentia ceteris longe melius investigarunt; alii, dum sibi cum Haereticis dimicandum erat, maxima cum *diligentia* et *verborum delectu*; alii contra, cum pace fruerentur, hoc ipso otio securiores *minus caute et accurate* disputarunt. Praeterea alii iis jam temporibus scripserunt, quibus hoc vel illud dogma *nondum* accurate *definitum* et ab Ecclesia sollemniter sancitum fuerat; alii vero sequiori aevo et demum *post* Ecclesiae definitionem adstrictioribus loquendi formulis locuti sunt. Denique alii *tacita* duntaxat, alii *expressa*, et ea quidem *speciali* vel etiam *specialissima Ecclesiae approbatione* gaudent. Hinc *SS. Patres apostolici* ob antiquitatis reverentiam; *SS. Doctores* ob eximiam doctrinae puritatem; *Irenaeus*, *Eusebius*, *Hieronymus* ob singularem in perlustrandis traditionibus diligentiam; *Augustinus* ob specialem in materia gratiae approbationem etc. prae ceteris primas tenent.

His demum probe examinatis singulorum auctoritas et praevalentia rite determinanda est.

3. Omnium consentientium auctoritas irrefragabilis.

a. probatur ex continua ipsorum traditione.

§. 226. *Consensum* moraliter universalem dici-

mus esse, si Patrum non antiquissimi duntaxat et pauci, nec in iisdem regionibus scribentes, sed qui per *omnes aetates omnesque* fere *orbis partes* vixerunt, dogma quoddam velut *uno ore* pronuntient, aut in *eadem* alicujus S. Scripturae loci interpretatione conveniant. Diximus autem consensum *moraliter* universalem; consensus enim *physice* vel *mathematice* universalis, cum nec omnes et singuli de quovis dogmate scripserunt, nec omnia ss. Patrum Scripta ad nos pervenerint, omnino *impossibilis* est. Si igitur omnes vel circiter omnium seculorum et locorum Patres, qui aliquod dogma vel s. Scripturae locum exposuerunt, in unum *consentiant*, nec quisquam nisi *deterioris* et *suspectioris notae* dissentiat, firmissimum inde et *ineluctabile* argumentum concluditur. Tot enim testes moraliter loquendo nec male percipere poterant Ecclesiae antiquae praedicationem, nec in eandem decipiendi malitiam in tam diversis locis, temporibus et circumstantiis existentes conspirare. Ipsi praeterea Patres dogmata frequenter ex Veteribus probant, et veram doctrinam scriptis illorum ad posteros propagari docent, et genuinum Scripturae sensum ex iisdem depromi jubent. Sic *S. Irenaeus* 1), *Clemens Alexandr.* 2), *Origenes* 3) doctrinam, quam proponunt, auctoritate *Clementis Romani, Ignatii, Polycarpi, Justini*, aliorum confirmant, et *expositionem legitimam Scripturarum per traditionem Majorum accipiendam* dicant. *S. Athanasius* 4) veritatem ait *a Patribus ad Patres quasi per manus traditam. S. Basilius* 5) *Patrum vestigiis non insistere, nec sua sententia vocem illorum potiorem ducere, rem dicit esse reprehensione dignam plenamque arrogantiae. S. Ambrosius* monet, ut servemus sanioris doctrinae *dogmata tot Con-*

1) Adv. Haeres IV. 26. §. 5.. ed. *Massuet*. T. I. p. 263.
2) Stromatt. lib. VII, ed. *Potteri*. p. 892.
3) Tract. XXIX in Matth.. ed. *De la Rue*. T. III. p. 864. col. 2.
4) Lib. de Decrett. Conc. Nicaen. (ed. *Commelin*. 1601.) T. I. p. 403.
5) Ep. LII ad Conon. nr. 1., in Ej. Opp. ed. *Maurin*. T. III. p. 145.

fessorum praedicatione firmata, tot ss. Martyrum sanguine signata atque consecrata. S. *Epiphanius*[6]) Scripturam ait *speculatione* quidem *indigere* ad cognoscendam cujuscunque argumenti vim et facultatem, sed etiam *traditione oportere uti*, scriptis nempe Patrum, e quibus haurienda est traditio. S. *Hieronymi*[7]) *imperitissimos* eos vocat, qui *Scripturae sacrae intelligentiam absque Dei gratia et doctrina Majorum sibi vendicant.* S. *Augustinus* ss. auctoritatem in rebus fidei *gravissimum pondus* esse dicit, *quod Haereticos omnino opprimat, atque novitates levissimasque ratiunculas in pulverem redigat, cum illi nihil usquam docuerint, quod non invenerint in Christi Jesu Ecclesia creditum.* Ipse contra Pelagianorum haeresin documenta Patrum protulit eo consilio, ut omnes sciant, a se *rectam* fidem et *antiquitus fundatam* defendi. S. *Cyrillus Alex.*[9]) Patres laudat, *qui ab omnibus de rectitudine et certitudine dogmatum celebrantur; omnes enim*, ait, *quibus integrum cor est, illorum sententias sequi contendunt.* S. *Vincentius Lirin.*[10]) docet, necesse esse omnibus Catholicis, qui sese *Ecclesiae legitimos filios* probare studeant, ut *ss. Patrum fidei inhaereant, agglutinentur, immoriantur ... Quidquid non unum, aut duos tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit; id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.* *Cassiodorus*[11]) item *ad divinam Scripturam per expositiones Patrum ascendere nos monet*; et S. *Fulgen-*

---

6) Haeres. LXI, in Ej. Opp. ed. *Petav.* T. I. p. 511.

7) Commentar. in Daniel. c. 11., in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. III. col. 1184.

8) Lib. I contra Julian., in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. X. col. 552; cf. Lib. IV. c. 12., ibid. col. 491. sq.

9) Apolog. ad Orientt. (ad Anathem. VIII), in Ej. Opp. ed. Gent. *Herveti* T. II. p. 73.

10) Commonitor. c. 1. 4., in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. VII. p. 250.

11) Lib. de instit. divv. litt. Praefat., in Opp. omn. ed. *Garetii.* T. II. p. 537.

tius Rusp.[12]) semper hortatur, *ut SS. Patrum definitionibus inhaereant, quos praeveniens misericordia Dei illuminavit.*

b. e Conciliorum decretis.

§. 229. Non solum autem constans doctrina Patrum est, Antiquos, si *unanimi* suffragio de Traditione testentur, *certam* nobis fidem facere, sed et in *Conciliis* congregata Ecclesia semper doctrinam *SS. Patrum consentientium in rebus fidei et morum* tenuit statuitque tenendam. Synodus *Nicaena I.* vocabulum *Consubstantialis*, quia in *Patribus* inventum, *licet in Scriptura non contentum sit*, usurpandum decrevit[1]). In Concilio *Constantinopolitano I.* qui aderant Episcopi id unum urgebant, *ut Sectarii aperte dicerent, num vellent necne stare judicio Patrum, qui floruerint antequam nascerentur illae haereses, de quibus agebatur*[2]). Similiter *Ephesina* synodus *SS. Patrum sententias in medium proferri jussit*, ut scilicet rite ac solemniter ex eorum consensu ac decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur. Simul sancitum est, posteris nihil aliud *credendum* superesse, *quam quod sacra sibi consentiens Patrum tenuisset antiquitas*[3]). In Concilio item *Chalcedonensi* pronuntiatum est: *Sanctorum Patrum fidem servemus; si quis eam innovat, anathema sit;* et praelecta Leonis Papae epistola ad Flavianum acclamarunt: *Haec Patrum fides est, ita et nos credimus*[4]). Neque aliter senserunt Patres Conc. *Constantinopol.*

---

12) De verit. Praedestinat. c. 15.; in Biblioth. PP. *Lugdun.* T. IX. p. 238.

1) *S. Athanas.* in Epist. ad Afros, in Opp. omn. ed. *Commelin.* T. I. p. 721.

2) *Socrates* et *Sozomenus* Hist. eccl. ad a. 381; cf. Bonavent. Argon. l. l. p. 30.

3) *Vincent. Lirin.* in Commonit. 42, in Bibl. PP. *Lugdun.* T. VII. p. 262.

4) Conc. *Chalced.* Act. 1. 3; in *Mansi* Coll. Concill. T. VI. col. 654. 971.

II. confitentes, *quod sint illuminantes lumen scientiae ex divinis Scripturis et Patrum doctrina* [5]; et in Conc. *Constantinop. III.* congregati Episcopi proposuerunt decreta Patrum ut *Regulas*, eorumque dicta vocarunt *secunda eloquia Dei* [6]. Idem *Trullana* inculcat synodus c. 19., *ne contemnamus terminos jam positos*, i. e. traditionem divinorum Patrum; *sed etsi ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretemur, quam quomodo Ecclesiae luminaria et doctores suis scriptis exposuerint* [7]; idem *Nicaena II.* Act. 7., et *Constantinopol. IV.* Act. 10. monentes, sanctiones Ecclesiae catholicae, a quovis Patre et Doctore Ecclesiae ceteris consentientibus acceptas, custodiendas esse [8]; idem, ut reliqua in Occidente celebrata Concilia oecumenica taceam, novissima *Tridentina* Synodus instaurat.

c. ex decreto Tridentino.

§. 230. Postremo sacrosancta Synodus *Tridentina* decrevit: *Ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat* [1]. Hoc decretum Tridentinum, dum nos in exponendis ss. literis consensum Patrum sequi jubet, de *sensu literali*, non de allegorico intelligendum est. Omnes enim sensus, docente *S. Thoma* Aquinate, super unum, literalem nempe, fundantur sensum, ex quo solo trahi potest argumentum. Unde jam *D. Hieronymus* in Comment. in Matth. c. XIII.: *Pius quidem sensus, sed nunquam Parabolae et dubia aenigmatum intelli-*

5) *Mansi* l. l. T. IX. col. 179. 402.
6) ibid. T. XI. col. 387—456.
7) ibid. T. XI. col. 951.
8) ibid. T. XII. col. 375. 397; T. XVI. col. 398. sq.
1) Conc. *Trid.* Sess. IV. Decr. de edit. et usu ss. libb.

gentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere [2]). Idem S. Tridentinae Synodi decretum non respicit res *mere disciplinares* et ad dogma omnino non pertinentes, neque jam *declarata et recepta* dogmata, sed quaecunque cum ipsa revelatione et dogmate arctius sunt conjuncta. Bene in rem nostram Lud. Ant. *Muratorius: In profanae,* ait, *literaturae partibus, imo in ipsis Scripturis interpretandis, ubicunque non agitur de salutari illa fidei et caritatis doctrina, nunquam ita premimur auctoritate et sanctitate aut eruditione Majorum, ut si quid melius, verius, aut saltem verisimilius ac probabilius nobis occurrat, proferre atque etiam adoptare non liceat, dum Scripturae veracitas dignitasque ubique intacta servetur* [3]). Denique lex Tridentina supra allegata laborem nostrum in perscrutandis ss. literis *non frustraneum* reddit, neque obstat, quominus in Scripturarum expositione industriam nostram utiliter possimus exercere. Etenim ss. Patres in iis quidem expositionibus, quibus non suas opiniones sed universalis Ecclesiae fidem pronuntiant, utique terminos ponunt, quos transilire vetitum est; ast haec non *Patrum* auctoritas est, quam sequimur, sed *Traditionis*, quam ipsi stricte secuti sunt, dum unam nimirum fidem semper et ubique intemeratam reddiderunt. Mire vero variant iidem in expositionibus suis quoad *explicandi methodum* et *scribendi rationem*, qua quisque utitur, ut alii immortalem sibi ex interpretationibus suis gloriam compararint, alii vix mediocritatem excedant, rursus alii sola fere bona voluntate et eximia Christi Jesu dilectione summam nostram pietatem ac venerationem mereantur [4]). *Sic et nos,* ait Canus, *ut illud praeteream, quod in sacris bibliis loci sunt atque adeo libri integri, in quibus interpretum diligentiam Ecclesia desiderat, ... in illis etiam, quae Antiquorum sunt ingenio ac diligentia elaborata, nonnihil nos*

---

2) in Ej. Opp. ed. *Maurin.* T. IV. P. I. col. 57.
3) De ingeniorum moderatione. Lib. I. c. 23.
4) Cf. J. A. *Moehler* Symbolik (Ed. III. Mogunt. 1834. 8.) p. 386—394.

christiano populo, si volumus, praestare et quidem utilissime possumus. Possumus enim vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam et naturae suae omnia [5]). Sed ista, quae nobis opponuntur ab Acatholicis objectio, *quod nullus in catholica Ecclesia profectus admitteretur*, jam dudum a *Manichaeis* agitata est, quibus praeclare *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio c. 28. respondet dicens: *Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus? Habeatur plane et maximus; . . . sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio; si quidem ad profectum pertinet, ut in semet ipsa unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat . . intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia.* Et paulo supra c. 27: *Pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligetur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce; ut, cum dicas nove, non dicas nova* [6]).

Haec fere sunt, quae habuimus monere de SS. Patrum auctoritate. Postremo juvat allegare Dan. *Tobenzii Institt. Patr.* (§. 35.) p. 38—70; Steph. *Wiest Institt. patrol.* (§. eod.) p. 456—563; Ant. *Dorschii* Dissert. *de Auctoritate PP. eccl.*, Mogunt. 1781. 4; Car. *Thilii Exercitatio theol. de locis s. fontibus theologiae christ.* (Rom. 1820. II. 8.) p. 379—402. ubi fusius aliquanto haec materia tractatur.

5) Melch. *Canus* De locis theologg. p. 457.

6) *Vincent. Lirin.* Commonit. ed. Klüpfel. p. 199. sq.

Pars tertia.

De patristicorum operum lectione.

§. 231. Peroratis iis, quibus scitu opus est, ne Patribus plus justo aut minus tribuamus *auctoritatis*, ventum est ad *tertiam* partem sive *hermeneuticam*, cujus est exponere, quae requirantur, ut *operum patristicorum usus* lecturis quam maxime proficiat. Uberiorem hujus rei expositionem continet (*Natalis Bonaventurae Argonensis* Ord. Carthusiani Monachi) *Petit traité de la lecture des Pères de l'Eglise* ou la methode pour le lire utilement, Paris. 1688 et 1697. 12; qui liber item c. notis latine redditus est a J. F. R. cum inscriptione: *De optima methodo legendorum Ecclesiae Patrum*, Taurin. 1742. 8., et Aug. Vind. 1756. 8. Nos scitu maxime digna prosequentes dicturi summus primo de *qualitatibus* eorum, qui opera ss. Patrum cum fructu legere intendunt; secundo de *regulis*, quae in ipsa lectione observari debeant.

Caput I.

Indoles et qualitates Lectoris.

A. ex parte ingenii animique.

§. 232. Quicunque ad legendos Patres se accingunt, *a praejudiciis*, quantum fieri potest, *immunes* esse debent. Cum enim praejudicatae opiniones jam omnem profundiorem eruditionem impediant, falsasque cunctis rebus rationes ingerant, magis adeo, qui Patrum scripta cum fructu legere intendit, sibi caveat, ne praevia erroris opinione imbutus contra auctores sacros vel ipsas res tractatas pertinacem sese praebeat. Sit porro lector *recta humilique mente praeditus*. Cum enim, quae Patres contestantur, dogmata ad divinam revelationem attineant, et

sa. Scripturae sint vera S. Spiritus oracula; facile sibi quisque persuadebit, spiritum divinae sapientiae non intrare in animum iniquum et malevolum et sua prudentia gloriantem. Praeclare igitur *Justinus* Martyr sacram Scripturam (et, qui de ipsa exposuerunt, Patres) non posse intelligi, nisi speciali divinae gratiae dono, profitetur dicens: *Tu vero ante omnia precare, ut tibi lucis portae aperiantur; neque enim haec quisquam perspicere valet atque intelligere, nisi cui Deus intelligere dederit et Christus ejus* [1]). Atqui si gratia coelestis illuminet cor hominis, ut recte sapiat, et divinas literas rite intelligat, Dei autem gratia superbis resistit; bonus et imprimis humili esse animo debet, quisquis divinae Traditionis testes et sacrae Scripturae interpretes percipere cum fructu velit.

B. ex parte eruditionis.

§. 233. Opera Patrum in *obscuro* saepe posita esse, nemo erit qui neget. Hujus obscuritatis *causa* nonnunqua in ipsa *dogmatum profunditate* consistit. Ponamus enim v. c. notam illam de gratia et libero arbitrio quaestionem, quae, ut verbis D. Augustini loquar, adeo est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari gratia Dei videatur; quando vero adseritur gratiae, liberum putetur aufferi arbitrium [1]). Alteram difficultatem praebent diversa *philosophandi principia*, quibus imbuti Patres argumentati sunt. Alii enim a philosophiae studio ac usu penitus sibi temperabant; alii Aristotelem, alii Platonem, alii alios philosophos sectati; plerique vero non certum philosophiae genus secuti aut ullum ex integro amplexi sunt, sed optima quaeque et Sacris christianis maxime convenientia adoptantes genus quoddam eclecticae philosophiae constituebant. Tertia obscuritatis causa posita est in *lingua Patrum et stylo*, quae

1) Dialog. c. Tryph. c. 7. fin.; in *Justini* Opp. ed. *Marani*. p. 113,

1) S. Aug. De Gratia Chr. et pecc. origin. c. 47; in Ej. Opp. ed, Maurin. T. X. col. 250. sq.

utebantur, quandoque sublimi aut terminis peregrinis interpolato; cum praesertim multi libri graeci nunc nobis in sola latina versione suppeditent, nec omnium interpretum istorum fides, peritia et diligentia laudanda sit. Non raro etiam, et inprimis ubi argumenta ad hominem usurpant Patres, *ignorantia circumstantiarum* haesitantes nos facit in iis, quae, si peritiores istarum fuissemus, facilia essent intellectu. Porro alia dogmata, quae forte eo quidem, quo quis scripsit, tempore ab haereticis nondum erant impugnata, Patres in scriptis suis eo securiores pertractarunt, quo *minus cautionis in eloquendo* sibi impositam putarent. Denique nonnunquam Patres ex proposito nonnulla occultabant, nimirum ex *disciplina arcani* primis Ecclesiae seculis usitata, qua Christianis interdictum erat, de religionis mysteriis coram extraneis et sacro baptismo nondum initiatis palam verba facere, ne ignorantibus mysteriorum altitudo scandalo, aut malignis Sacramentorum ritus ludibrio esset. Cf. §. 130. fin. Juvat igitur paucis monere de scientiis ac remediis, quibus istas difficultates enodare, obscuritatesque illustrare valeamus. Et alia sunt *adminicula generalia*, alia *specialia*.

I. Adminicula generalia.

§. 234. Subsidia *generalia* dicimus eas disciplinas, quas quis in *cujuslibet* Patris lectione callere debet. Et primum quidem fieri non potest, ut de cujuspiam auctoris in dicendo elegantia, in persuadendo arte, in refutando efficacia judicare rite possis, si eam ipsam *linquam, qua Scriptor usus est*, omnino ignoraveris. Secundo permulta, quae ss. Patres docent, in factis posita sunt, quae in Ecclesia contigerunt; ideoque, ut probe intelligantur, *historiae ecclesiasticae* nec non *geographiae* ac *chronologiae* notitiam praesupponunt. Tertio, cum Patribus familiare fuerit, ratiocinia nectere, quae sine principiis, quibus nituntur, intelligi non possunt, *philosophiae* etiam, qua imbuti Patres argumentati sunt, principiis instructum

esse lectorem oportet. Denique quum Ecclesiae catholicae plurimum intersit, genuinam habere et a fabulis depravationibusque quam maxime purgatam doctrinam Patrum, lectorem *artis* quoque *criticae*, quam vocant, non ignarum esse debere, res per se clara est et expedita.

1. Cognitio veterum linguarum latinae praesertim et graecae.

§. **235.** Qui ad Patris alicujus lectionem animum adpellit, calleat oportet *linguam*, in qua opus exaratum, quod lecturus est. Utut enim exactam sibi esse *versionem* velit, tamen semper praestat cujuslibet auctoris lectio in lingua *originali*. Id vero sic accipio, ut versiones non *temere negligendas* (etenim insigne in dubiis quandoque lumen adferunt), sed iis *solis* nequaquam fidendum esse moneam. Scripserunt autem Patres plerique vel graeco idiomate vel latino; paucissimi etiam in syriaca aliave Orientis lingua, et de his paucis optimae cum antiquae tum recentiores jam suppeditant interpretationes. Itaque *graecae* potissimum et *latinae* linguae notitia ad Patrum intelligentiam exigitur, et cognitio quidem *haud mediocris* sed satis expedita; neque ad *auream* utriusque linguae aetatem restricta, sed ejus quoque tum graecitatis tum latinitatis, quae sententiis et vocabulis *Patribus* propriis et usitatis continetur, et *ecclesiastica* propterea dicitur. Huic autem cognitioni mediae et infimae tam ecclesiasticae quam profanae graecitatis ac latinitatis inprimis serviunt *Glossaria* cum generalia tum specialia. Et in *generalibus* quidem, quae *graecitatem* respiciunt, praecipue laudantur *J. C. Suiceri Thesaurus ecclesiast. e Patribus graecis*, Amstelod. 1682. (Ed. II. ibid. 1728.) II. f.; *Car. Du-Fresne* Dom. du Cange *Glossarium ad Scriptores mediae et infimae Graecitatis*, Lugdun. 1688. II. f. — Pro medii aevi *latinitate* addiscenda suppeditant ejusdem *Car. Du Fresne Glossar. ad Scriptores mediae et infimae latinitatis*, Paris. 1678. III. f., cujus

dein emendatiorem atque auctam editionem curaverunt *Maurini*, Paris. 1733—1736. VI. f.; *P. Carpentier Glossar. nov. ad Scriptores medii aevi cum latinos tum gallicos*, Paris. 1766. IV. f., et (*J. C. Adelung*) *Glossarium manuale ad Scriptt. med. et infimae latinitatis*, ex Magnis Glossariis *Car. du Fresne* et *Carpentarii* in compendium redactum, Halae 1772—1784. VI. 8. — Extant etiam *specialia* ejusmodi Glossaria, quae idiomata unius alteriusve tantum Scriptoris respiciunt, e. gr. *G. L. Baueri Glossarium Theodoreteum*, ad calcem editionis operum Theodoreti, quam curaverunt *J. L. Schulze* et *J. A. Noesselt* (Hal. 1769—74. V. 8.); *Schütz* et *Windorf Index latinitatis Tertullianae*, ad calcem editionis Opp. Tertulliani ex recens. *J. S. Semleri* (Hal. 1769—76. VI. 8.); alia. — Sed et linguae *hebraicae* cognitio non levem intelligendis Patribus, ubi ss. Scripturas explanant, utilitatem adfert.

2. Historiae eccl., Chronologiae et Geographiae.

§. 236. Multum praeterea et per omnem modum conducit, si lector in *historia ecclesiastica* et, quae saepenumero intimo cum illa nexu conjuncta est, etiam *profana* quam plurimum sit exercitatus. Recentiores et majoris momenti historiae ecclesiasticae, in quibus et uberius et cum arte critica de Patrum vitis atque scriptis disseritur, sunt *Caesar. Baronii*, Oratoriani et postea S. R. E. Cardinalis, *Annales ecclesiastici* una c. *continuatione Odorici Raynaldi*, ejusd. Congregationis Oratorii Presbyteri, et *Ant. Pagii*, Ord. Fratt. Minorum Monachi, *Critica historico-chronolog. in Annales Baronii* [1]); — *Seb. Tillemontii Mémoires* pour servir à l'histoire ecclesiastique [2]); — *Natalis Alexandri*, Ord. Praedicc. Monachi, *Historia eccl.* V. et N. T. [3]); — *August. Orsi*,

1) ed. Jo. Dom. *Mansi*, Luc. 1738—1759. XXXVIII. f.
2) ed. Paris. 1693. XVI. 4.
3) ed. c. nott. Const. *Roncaglia*, Luc. 1734. IX. f.

Ord. S. Dominici Mon. dein R. Eccl. Cardinalis, *Storia ecclesiastica*[4]), cum *continuatione Phil. Aug. Becchetti*[5]); — *Casp. Saccarelli* Oratoriani *Hist. eccles.*[6]); — *Frid. Leop. Comitis de Stolberg* Geschichte der Religion Jesu[7]), cum contin. *Frid. de Kerz*; — *Theod. Katerkampii*, Prof. theol. et Decani Eccl. Cathedr. Monasteriensis, Kirchengeschichte[8]); — et inter Compendia historiae ecclesiasticae imprimis diligenti fontium indagatione insignis *Jos. Ign. Doellingeri*, Prof. in litt. Univers. et ad S. Cajet. Canonici Monacensis, Lehrbuch der Kirchengeschichte[9]); e numero Protestantium autem in rem nostram prae ceteris laudandus est *Matth. Schroeckh*, Prof. hist. Viteberg., cujus christliche Kirchengeschichte[10]) in Patrum vitas atque opera uberius commentatur.

Historiam ecclesiasticam adjuvat, et anachronismos potissimum praecavere docet *Chronologia*, cujus doctrinom suppeditant *Jos. Justi Scaligeri*, in Acad. Lugd. Batav. Prof., *Thesaurus temporum*[11]); — *Dion. Petavii*, S. J. Presb., *De doctrina temporum*[12]); praesertim *unius O. S. B.* ex congreg. S. Mauri Monachi *L'art de verifier des dates des faits historiques* etc.[13]). Denique quod *Geographiam* attinet et *Antiquitates ecclesiasticas*, quae historiae sacrae et rei patristicae non parum lucis affundunt, praecipue commendandae sunt *Emanuel Schelstratii*, Vatican. Biblioth. Praefecti, *Antiquitas Ecclesiae* dissertt. et notis illustrata[14]); et *Car. a S.*

4) ed. Rom. 1748—1762. XX. 4.
5) ed. Rom. 1770. XXIV. 4.
6) ed. Rom. 1771—1796. XXV. 4.
7) ed. Hambg. 1806—1818. XV. 8.
8) ed. Monast. 1819—1834. V. 8.
9) ed. Landish. et Ratisbon. 1836. sq., usque nunc II. 8.
10) ed. Lips. 1768—1803. XXXV. 8.
11) ed. Amstelod. 1658. f.
12) ed. Antverp. 1703. III. f.
13) ed. Paris. 1750. 4.
14) ed. Rom. 1692—1697. II. f.

Paulo, Episcopi Abricensis, *Geographia sacra*, cur. Jo. *Clerico*[15]).

3. Philosophiae et artis criticae.

§. 237. Porro maxima lector hauriet commoda, si *Philosophiae* ac *theosophiae gentilis* notitiam sibi comparaverit. Multa enim SS. Patres sua fecerunt ex libris gentilium Philosophorum, maxime *Platonicorum*, vocabula, phrases, quandoque etiam principia adoptando; imprimis vero *Apologetici* Scriptores, qui in eo maximam operam posuerunt, ut Poëtarum et Philosophorum circa religionem commenta impugnarent. Multa sunt, quae recentiores de philosophia, praesertim Platonica, a Patribus primaevae Ecclesiae in Sacra christiana accommodata disputarunt. Et alii quidem veteres Patres *dogma de Trinitate* omnino e *philosophia Platonica* accepisse et ad Christianos transtulisse blasphemabant, e. gr. (*Souverainii*) Liber *Le Platonisme devoilé ou Essai touchant le verbe Platonicien*, Amstelodami 1700, et in German. linguam translatus a *Jos. Fr. Chr. Loefflero* s. t. Versuch über den Platonismus der Kirchenväter seu Untersuchungen über den Einfluß der platonischen Philosophie auf die Dreieinigkeitslehre in den ersten Jahrhunderten (Edit. II.) Leodii 1792. 8.; atque idem fere statuit *Jo. Clericus* in *Epist. VII et VIII* (Epistolae critt. et eccles., Amstelod. 1700. 8.) p. 177. sq. Contra hos denfensionem suscepit *Jo. Fr. Baltus*, qui scripsit *Defense des SS. Pères accuséz de Platonisme*, Paris. 1711. 4. Alii docent, antiquos Patres et Scriptores ecclesiasticos *nonnulla* saltem e philosophia *Neo-Platonica* petiisse, et in christianae doctrinae religionem non sine magno ejus detrimento intulisse, velut *Jo. Moshemius* in Dissert. *de turbata per recentiores Platonicos Ecclesia*, Helmst. 1725. 4.; *Chr. Kortholdus* in Diss. *de philosophia Orientali primis seculis Ecclesiam christ. turbante*, Lips. 1733. 4; *Imman. E. Hahn* in Disp. *de Platonismo*

15) ed. Amstelod. 1703. f.

theologiae vett. Eccl. Doctt. etc. corrupt., Viteberg. 1733. 4; *Chph. Meinerus* in libro Beytrag zur Geschichte der Denkart der ersten Jhhdte n. Chr., in einigen Betrachtungen über die Neuplatonische Philosophie, Lips. 1782. 8. Alii id, quod Platonismus Patrum dicatur, *accommodationem Patrum* fuisse probare nituntur, e. gr. *Chr. F. Roesler* in Diss. *de opinionibus Philosophiae eccles.*, Tubing. 1781. 4. Alii contra contendunt, quae veteres Patres vulgo accusentur ex Platonica philosophia petiisse, ea fuisse maximam partem a *Judaeis* tanquam dogmata in sacris eorum libris tradita, et a christianis Doctoribus *bona fide* pro parte religionis divinitus revelatae proposita; quam sententiam propugnat *C. A. Th. Keill* in Commentationibus XXII *De Doctoribus vet. Ecclesiae culpa corruptae per Platonicas sententias theologiae liberandis*, Lips. 1793. sq. 4., et in Ejusdem Opusculis academicis, collect. ab *J. Dav. Goldhorn*, Lips. 1821. 8. Cum his (ut alios permultos taceam) confer *Jac. Bruckeri Historia critica Philosophiae*, Lips. 1742—1767. VI. 4., et quae contra eum directa est *Histoire critique de l'Eclecticisme ou des nouveaux Platoniciens*, Avenione 1766. II. 8; porro *Chr. Fr. Roesler* Ueber die Philosophie der christlichen Kirche, in Ejusdem Bibliothek der Kirchenväter in Uebersetzungen und Auszügen (Lips. 1779—1786. X. 8.) T. VI.; *C. F. Staeudlin* Progr. *de philosophiae Platonicae cum doctrina religionis Judaicae et Christianae cognatione*, Goetting. 1819. 4; *Petr. Hjort* Johannes Scotus Erigena seu Von dem Ursprunge einer christlichen Philosophie und ihrem heil. Berufe, Havniae 1823. 8; *J. Ge. Mussmann* Grundriß der allg. Geschichte der christl. Philosophie mit besonderer Rücksicht auf die christl. Theologie, Halae 1830. 8.

§. 238. Cum denique Ecclesiae plurimum intersit, SS. Patrum opera *genuina*, *integra*, *sincera* a suppositis, mutilatis, adulteratis probe discernere; nec *arte critica*, quam dicimus, destitutum esse posse eum, qui Patrum libros saluberrime lecturus sit, nemo poterit dubitare. Sunt

quidem, quibus vel ipsum *Critices* nomen invisum est, sed immerito. Quod enim nonnulli Critici audaciores ultra justos prosiluerint terminos, non *artis* sed *hominum* vitium est. Recte igitur monet *Jo. Mabillonius* in Tract. *De studiis monasticis* (Venet. 1745. 4.) P. II. c. 13., in rebus ad orthodoxam fidem spectantibus *summa opus esse moderatione, cum Religio non sit ars aliqua aut naturalis scientia, in qua pro arbitrio quidquam addere vel demere liceat.* Cum tamen eadem divina revelatio per *homines* humano modo propagata, ideoque erroribus quoque et fraudibus obnoxia sit, arte opus est, cujus ope in re literaria vera a falsis, recta a pravis dijudicantur, et quae, si intra certos limites se contineat, tam salubris et necessaria est, ut absque illa ad perfectionem scientiae adsurgere minime valeamus. Duo prae ceteris, quae huc spectant, volumina lectoribus commendanda sunt: *Laubrusselii Tractatus de malo usu Critices in negotio Religionis*, Paris. 1711. II. 12; et *Honorati a S. Maria Animadversiones in regulas et usum critices*, Venet. 1751. III. 4.

II. Adminicula specialia.

§. 239. In studio SS. Patrum *ordo* quidam non solum inter Patres ipsos sed etiam quoad certos ejusdem Patris libros observandus est. Is ad *finem* potissimum, quem lector sibi proponit, et ad *fructum*, quem ex lectione referre cogitat, dimetitur. Inde fit, ut non una omnium sit sententia, quo ordine Patrum Scripta legi debeant. Si de rebus quaesieris, quae ad *historiam* spectant, ordo *chronologicus* unice tenendus est; in ceteris vero scientiis theologicis ea tam graecorum quam latinorum Patrum monumenta, quae ad propositam disciplinam sive *exegeticam* sive *dogmaticam* etc. pertinent, seligere, atque inde cujusvis Patris Opera *successive* et praemissis iis, quae ad reliqua quasi viam expediunt, evolvere juvabit. Habita sic ordinis ratione jam ad lectionis ea adminicula, quae *specialia* nuncupari possunt, animum intendat lec-

tor, primum nempe, ut *exemplar*, quantum fieri potest, *a mendis purgatissimum* et *editionem quam optimam* ad manus habeat; deinde vero, ut de *vita Patris*, cujus opera lecturus est, quam perfectissime sese instruat, et, quae ad singula opuscula illustranda conducunt, doctorum virorum *observationes* et *commentarios* adhibeat.

1. Optimae Editiones.

§. 240. Nisi de *textus sinceritate* lectoris firmiter stat sententia, certi nihil de libro aliquo ejusque dotibus eruendum est. Quo autem emendatius exemplar, et quo melior est editio, eo facilius poteris Scriptoris mentem adsequi, ejusque dicta intelligere. Quicunque igitur singularis alicujus Patris opera ad manus sumit, ante omnia curabit, ut editione utatur, quae libri textum maxime *integrum*, *castigatum emendatumque* sibi exhibeat. Nos in hunc finem *praestantissimas* quasque potiorum ss. Patrum ac Scriptorum ecclesiasticorum *editiones* jam supra (§§. 74—79.) indicavimus.

2. Commentationes historicae et philologico-criticae.

§. 241. Inprimis autem lectoris est, ut *vitam* Patris, ad cujus opera accedit, penitius intelligat. Ea enim de auctoris aetate, ingenio, moribus, literarum institutione, eruditione, amicorum consuetudine, rebus gestis, libris editis scribendique ratione notitiam adfert, plurimumque ad mentem Scriptoris altius penetrandam conducit. Nec fugere eum debent *Notae*, *Observationes* et *Commentationes* variae variis nominibus evulgatae, quae vel in omnia alicujus Patris opera commentantur, vel peculiaris alicujus libri locis difficilioribus et obscuris lucem admovent. Dantur autem non solum de uno alterove Patre *singulares* commentationes, quae ad ejus cum vitam tum scripta spectant; sed etiam *collectiones*, quae scilicet de

plurium Patrum vitis operibusque exponunt. Nostrum est, heic breviter recensere libros, quos optime consulueris.

a. in plurium Patrum vitas et scripta observationes collectae.

§. **242.** Et eorum quidem, qui *generatim* de vitis Patrum notitias suppeditarunt et librorum eorum catalogos texuerunt, tam veterum quam recentiorum Scriptorum, inprimis *Dupini*, *Tillemontii*, *Cavei*, *Oudini*, *Nourrii*, *Ceillieri*, *Lumperi*, *Schoenemanni*, *Moehleri* etc. jam supra (§§. 33—37.) mentionem fecimus. His addi possunt ob multas, quas item de Patrum fatis scriptisque adferunt, notitias: *Jac. Billii Sacrarum Observationum Libb. II.*, Paris. 1585. f.; *J. Lud. de la Cerda Adversaria sacra*, quibus fax praefertur ad intelligentiam multorum Patrum, Lugdun. 1626. f.; *Conr. Rittershusii Sacrarum lectionum Libb. VIII.*, Norimberg. 1643. 8; *Jo. Frid. Gronovii Monobiblorum Observatt. in Scriptoribus eccles.*, Daventr. 1651. 12; *Chr. Fr. Roesler* Bibliothek der Kirchenväter in Uebersetzungen und Auszügen, c. notis, Lips. 1776—1786. X. 8; *Tricaletti Abbatis Bibliotheque portative des Pères de l'Eglise*, Ed. nov. cur. Laur. Steph. *Rondeti*, Paris. 1758 —1788. VIII. 8., et versio lat. Bassani 1783. VI. 8; *Fr. Florii De nonnullis SS. Patrum locis mendose editis et nunc primum emendatis*, Bonon. 1793. 4. — Extant praeterea multa VV. DD. opera, quibus non solum in Patres et Scriptores ecclesiasticos commentati sunt, set *etiam profanos auctores* respiciunt, et istorum varia loca illustrarunt, e. gr. *Casp. Barthii Adversariorum Commentariorum Libb. LX*, quibus loci tam Gentilium quam Christianorum obscuri, dubii, maculati illustrantur, constituuntur, emendantur, Francof. 1624. f.; *Latini Latinii Bibliotheca sacra et profana* s. Observationes, Correctiones, Conjecturae et Lectiones varr., a Dom. *Marco* ed. Rom. 1677. f.; *Ge. Chph. Hamberger* Zuverläßige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern, Lemg.

1756—1764. IV. 8. Idem in Epitomen redact. s. t. Kurze Nachrichten etc. ibid. 1766. 67. II. 8; *Chr. Saxii Onomasticon literarium* s. Nomenclator praestantissimorum omnis aevi Scriptorum, Traject. ad Rhen. 1775—1803. VIII. 8; et cujus supra jam (§. 42. not. 3.) mentionem fecimus *Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca graeca et latina.*

b. Singulares de Patrum vitis et Scriptis commentationes.

aa. De SS. Patribus Apostolicis.

§. 243. De *apostolicis* Patribus singillatim exponunt *J. Palmgren Observatt. in PP. apostolicos Spicilegium*, Upsal. 1803. 4; *Jo. Bpt. Cotelerius, Rich. Russelius, Jo. Lud. Frey, Car. Jos. Hefele*, qui suis editionibus Opp. Patrum apostolicorum (§. 83.) praefationes, dissertationes, suas et aliorum DD. VV. notas adjecerunt; *K. Unterkirchner* Die Schriften der apostolischen Väter (Clementis R., Ignatii Antioch. et Polycarpi) in germ. ling. translata notisque illustrata, Lipsiae 1817. 8.

In specie autem de vita et praedicatione *S. BARNABAE* optime erudimur ex *SS. Scripturis* in Actt. Apost. IV. 36, XI. 22—27. 30, XIII. sqq. — Quibus adde Variorum libros, qui in vitam et Epistolae genuinitatem et ejusdem loca difficiliora commentati sunt: *Acta et Passio S. Barnabae in Cypro*, e Mss. Vaticc. eruta; et *Alexandri* monachi Cyprii *Laudatio S. Barnabae;* utraque gr. et lat. c.nott. et commentt. *Dan. Papebrochii* in Actt. Sanctorum (Bollandi ac Sociorum S. J. Presbyterum) m. Junii II. 421. 431. 436. — *Hugo Menardi Judicium de S. Barnaba et Ejus epistola*, c. nott. et observatt. post mortem illius ed. a *Luc. Dacherio*, Paris 1645. 4. — *Nic. le Nourry Diss. de S. Barnabae Epistola*, in Ej. Apparatu ad Biblioth. PP. Lugdun. T. I. p. 38. sq. — *Alex. Symmach. Mazochii Commentar. in vet. Marmor. Neapolit. Eccsesiae Calend.*, (Neap. 1763.) p. 570. sq. — *Ern.*

Henke De Epistolae, quae Barnabae tribuitur, authentia, Jenae 1827. 8. — *Jo. Chr. Roerdam Commentatio de authentia epistolae Barnabae*, Havniae 1827. 8. (Part. I. tant.). — *Dr. Hug* Zeitschrift für die Geistlichkeit des Erzbisthums Freyburg (Friburg. ao. 1829.) Fasc. II. p. 132., Fasc. III. p. 208. — *C. Ullmann* Bemerkungen über die Identität des Barnabas und Barsubas in der Apostelgeschichte, in C. Ullmann et Fr. Guil. C. Umbreit Theologische Studien und Kritiken (Hamb. ao. 1828.) T. I. p. 377; et *Dan. Schenkel* Ueber den Brief des Barnabas, ibid. T. X. (ao. 1837.) p. 652. — *Car. Jos. Hefele* Das Sendschreiben des Apostels Barnabas, aufs neue untersucht, übersetzt und erklärt, Tubing. 1840. 8. — Cf. *Moehler* Patrologie, T. I. p. 85. sqq. — — De *S. HERMAE* vitae fatis nullum, quantum scio, singulare opus elucubratum est. Praeter pauca admodum, quae *S. Scripturae* (Rom. XVI. 14.) et Ejus Liber, qui *Pastor* insignitur (Vision. I. 1. 3, II. 1. 2. 3, IV. 1; et Mand. in Prooem.) exhibent, *Nic. Nourrii* suppeditat *Dissertatio de Herma ejusque libb.*, in Ej. Apparat. ad Biblioth. PP. Lugdun. T. I. p. 41. — *Fr. Weinrich Disq. in doctrinam moralem ab Herma in Pastore propositam*, Wirceburg. 1804. 8. — *Aloys. Gratzii Disq. in Pastorem Hermae*, (P. I.) Bonn. 1820. 4. — *K. R. Jachman* Der Hirt des Hermas, Regiomont. 1835. 8. — Cum *J. C. Hefele* Prolegg. ad Opp. PP. Apost. p. XX. sq. Cf. *J. Ad. Moehleri* Patrologie, T. I. p. 97. sq. — — Sub *DIONYSII AREOPAGITAE* et primi Atheniensium Episcopi nomine libri varii *De Hierarchia ecclesiastica*, *de divinis Nominibus*, *de Theologia mystica*, et nonnullae *Epistolae* circumferuntur; quae tamen omnia *adulterina* et in seculum quartum vel quintum rejicienda sunt. Edita sunt ista opuscula c. nott. theologg. a *Balth. Corderio* S. J. Presb., Antverp. 1634. f., deinde a *Ge. Constantino*, Venet. 1755. II. f. — Cf. *Natalis Alexandri Diss. de Operibus Dionysii Areop.*, in Ej. Hist. Eccl. Sec. I. Diss. XXII. p. 223. — *Marc. Ant.*

Delrionis Vindiciae Areopagiticae, Antverp. 1607. 8. — *Cas. Oudini Diss. crit. de scriptis Dionysii Pseudo-Areopagitae*, in Ej. Commentar. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1353. — *Phil. Baraterii Diss. de Dionysii Pseudo-Areopagitae scriptis*, in Ej. Disq. de successione antiquissimorum Episcc. Rom. (Ultraj. 1740. 4.) p. 285. — *Jo. Jac. Usseri Diss. de Pseudo-Dionysii Scriptis*, in Ej. Hist. dogm. controvers. inter Orthodox. et Pontificios de Scripturis et Sacris vernaculis (Lond. 1690. 4.) p. 279. — *L. Cozzae Vindiciae Areopagitt.*, Rom. 1702. 4. — *Jo. Conr. Arend* Unparth. Lebensbeschr. des ehrwürd. Dionysius Areopagita etc., Goslar. 1726. 4. — *Jo. Baptistae De translat. corporis S. Dionysii Areopag. e Gallia in Bavariam*, Ratisb. 1750. 4. — *J. G. Vit. Engelhardt De origine scriptorum Areopagitt.*, Erlang. 1822. 4; quae commentatio etiam recepta est in Ej. Opusc. Die angeblichen Schriften des Areopagiten Dionysius übers. mit Anmerkk., Sulzbach. 1823. II. 8. — *L. F. Ott. Baumgarten-Crusii Progr. de Dionys. Areopag.*, Jenae 1823. 4; retractatum in Ej. Opusc. theologg. (ib. 1836. 8.) p. 265. — *Car. Vogt* Untersuchungen über die angeblichen Schriften Dionysius des Areopagiten, Berolin. (P. I.) 1836. 8. — — De *S. CLEMENTE ROM.* extant *Simeonis Metaphrastae Martyrium S. Clementis Papae Rom.*; et *Ephraemi* Archiep. Cherson. *Homilia de miraculo, quod in puero factum est a S. Clemente*; utrumque monumentum edidit Jo. Bapt. *Cotelerius* in Ej. Opp. SS. PP. Apostoll. ex rec. Jo. *Clerici* (Amstelod. 1724. II. f.) T. I. p. 808. 815. — *Patricii Junii Notae criticae in Clementis Rom. Epist. I ad Corinth.*, Oxon. 1633. 4. — *Paul. Colomesii*, Philol. Londin., *Specimen notarum in Clementis Rom. Epistolas ad Corinth.*, Lond. 1687. 8. — *Phil. Rondinini Libb. II de S. Clemente Papa ejusque Basilica in urbe Roma*, Rom. 1704. 4. — *Cas. Oudini Diss. de scriptis S. Clementis Rom.*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 19. — *Henr. Wottoni Notae in Clementis R. Epistol. ad Corinth.*, Cantabrig.

1718. 8. — *Ern. Grabii Comment. de Clem. Rom. scriptis*, in Ejusd. Specileg. PP. Sec. I. p. 254. — *Jo. Phil. Baraterii De Clementis R. ab Apostolis ordinatione*, in Ej. Disquis. chronolog. de success. antiqq. Episcopp. RR. p. 32. — *Jo. Aug. Ditelmaieri Diss. hist.-crit. de fragm. Epist. II. Clementis ad Corinth.*, Altorf. 1749. 4. — *Ge. Chph. Nelleri Diss. de Clemente Rom.*, Trevir. 1772. 4. — *Conr. Eberthi Disquis. hist.-theolog. de Epist. I S. Clem. ad Corinth.*, in Ej. edit. hujus Epist., Fuld. 1780. 8. — *Versionos german.* c. commentariis et scholiis adornarunt *Edu. Herzog* Des heil. Clemens von Rom Brief an die Korinther, Vratisl. 1825. 8; *P. Pius Zingerle* Die zwei Briefe des hl. Clem. v. Rom an die Jungfrauen, aus dem Syrischen mit Anmerkk., Viennae 1827. 8.; *W. J. Wocher* Die Briefe der apostol. Väter Clemens und Polycarp, mit Einleit. und Commentar, Tubing. 1830. 8. — Nec omittenda sunt *Ottonis Krabbei* Ueber den Ursprung und Inhalt der apostolischen Constitutionen des Clemens Romanus, Hamburg. 1829. 8; et *Seb. de Drey* Untersuch. über die Canonen und Constitutt. der Apostel, Tubing. 1832. 8. — — Ad vitam et scripta *S. IGNATII ANTIOCHENI* spectant inprimis Ejus *Acta Martyrii*, et ea quidem tam *genuina*, a *Philone, Cajo et Agathopode* Diaconis S. Martyrem ad supplicium comitantibus descripta, quam *interpolata* a *Simeone Metaphrast.* exarata, et a *Gentiano Herveto* primum latinitate donata; utraque vero a *Cotelerio* in Opp. PP. apost. (ed. Clerici) T. II. p. 157. 163. evulgata sunt. — Cf. *Gfr. Henschenii De S. Ignatio Theophoro*, in Actt. SS. m. Febr. T. I. p. 13. — *Jac. Usseri Notae in Ej. edit.* Epistolarum S. Ignatii, Lond. 1647. 4., ubi etiam *S. Polycarpi* Epistola ad Philipp. notis illustrata legitur. — *Isaac Vossii Notae in Epistolas S. Ignatii germanas*, Lond. 1680. 4. — *Jo. Pearsonii Vindiciae Epistolarum Ignatii*, Oxon. 1672. 4; Ejusdem *Diss. de anno quo Ignatius condemnatus est*, ed. c. Epp. Ignatii, Oxon. 1700. 4; et *Notae in Epistolas*

Ignatii genuinas, cur. *Thom. Smithio*, qui et suas observationes adjecit, Oxon. 1709. 4. — *Casp. Oudini Diss. de vita et epistolis Ignatii*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 73. — *J. Ph. Baraterii De Ignatii martyrio*, in Ej. Disq. chronol. de success. antiqq. Episcc. RR. p. 87. — *(C. W. Fr. Walch) Num Ignatius Christum post resurrectionem viderit*, Goetting. 1772. 4. — Epistolas genuinas S. Ignatii in linguam *German.* transtulerunt, notisque illustratas evulgarunt *Anonymus* Monasterii 1826. II. 8; *Chr. Genelli*, ibid. 1828. 8; *M. J. Wocher*, Tubing. 1829. 8. — Nostris demum temporibus denuo longiores Ignatii epistolas tanquam genuinas tueri conatus est *Car. Meier*, Theol. Prof. Giessensis, in dissert. Ueber die doppelte Recension der Briefe des Ignatius, in Ullmann et Umbreit Theolog. Studien und Kritiken T. IX. (ao. 1836.) p. 340. — Hanc Meieri opinionem statim refutatum ierunt *Rich. Rothe* Die Anfänge der christlichen Kirche (Wittenb. 1837. 8.) p. 739; *Fr. Bauer* in Tübinger Zeitschrift für Theologie, T. X. (ao. 1838.) Fasc. III. p. 148; *Arndt* in Theol. Studien u. Kritiken, T. XII. (ao. 1839.) p. 136; *C. J. Hefele* in Opp. PP. apostol. Prolegg. p. XIII. — — *S. POLYCARPI Acta* tradita sunt in *Epistola Ecclesiae Smyrn. De martyrio Polycarpi* gr. et lat. c. nott. Variorum in lucem emissa per *Coteleriun* in Opp. PP. Apostt. T. II. p. 193. — Cf. *Guil. Tentzelii Commentat. de Polycarpo Episc. et Martyre*, Vitemberg. 1684. — *St. le Moyne Notae et Observationes in Polycarpi Epist.* (aliaque aliorum opuscula), in Ej. Varr. Sacra, Lugd. Bat. 1694. 4. — *J. Pearsonii De anno martyrii Polycarpi*, in Ej. de serie et successione primorum Romae Episcopp. (Londin. 1687. 4.) Diss. II. p. 276. — *Gabr. Groddeckii Diss. de anno et die passionis S. Polycarpi*, Gedani 1704. 4. — *Nic. le Nourry Diss. de epistola S. Polycarpi*, in Ej. Apparat. ad Bibl. Lugd. T. I. p. 161. — *J. Ph. Baraterii De tempore martyrii Polycarpi*, in Ej. Disqu. chron. de success. antiqq. Epp. RR. p. 164. 194. — *Lud. du Four de Longuerve* item *de Polycarpi anno*

martyrii disserit in Diss. de variis Epochis et anni forma vett. Orientt. (Lips. 1750. 4.) p. 17. — — De *Anonymi* sed verisimillime *viri apostolici EPISTOLA AD DIOGNETUM*, diu perperam *S. Justino* accensita, cf. *Seb. Tillemont.* Mémoires eccl. T. II. p. 493. n. 1. — *Cas. Oudini* De Scriptt. eccl. Commentar. T. I. p. 212. — *Nic. le Nourry* Apparat. ad Bibl. Lugd. T. I. p. 445. *Andr. Gallandii* Biblioth. vett. PP. T. I. Proleg. LXVIII. *Ge. Boehl* Opuscula PP. selecta, T. I. p. 109. — *C. Jos. Hefele* Opp. PP. Apostolicc. Prolegg. p. XIX. — *J. A. Moehleri* Patrologie, T. I. p. 164.

bb. De reliquis II Seculi Scriptoribus.

§. 244. *Communes* quasi, ut quae omnium hujus aevi Scriptorum vitas atque opera illustrant, commentationes exhibent *Guil. Ern. Tentzelii Exercitationes selectae* (de Clemente Rom., Ignatio, Polycarpo, Justino, Athenagora, Theophilo Antioch., Tatiano, Hermia philos., etc. exponentes) Lips. 1692. 4; et *Prudent. Marani Praefatt. in edit. Opp. S. Justini* etc. tripartitae, nempe *de editionibus* Opp. Justini, Tatiani, Athenagorae, Theophili Antioch., et Hermiae; de nonnullis eorum *sententiis;* de eorumdem *rebus gestis* et *scriptis* (Venet. 1747. f.) p. I—CXVI, unacum Sylburgii, Grabii, aliorum aeque ac suis annott. in singulos illorum libros.

In specie autem de *S. JUSTINO MARTYRE* observanda sunt *Acta ejus Martyrii* a *Marano* ed. unac. Ejus Opp. in App. II. p. 635. — *Fr. Sylburgii Opp. S. Justini Mart.* gr. lat. c. nott., Heidelberg. 1503. f. — *Jo. Langii Commentarii in Justinum M.*, Basil. 1565. f. — *Joach. Perionii Vita Justini* ex ipsius libris collecta, in Surii Vitt. SS. die 13. April p. 151. — *Petr. Halloixii Vita et documenta S. Justini M.*, Duaci 1622. 8. — *Chr. Kortholdi Commentar. in Justinum M.* (et Athenag., Theophilum Antioch. et Tatian. Assyr.) Kilon. 1675. f. — *Vita Justini* ab *Ern. Grabio* propriis Justini verbis, quibus de se ipso narrat, recensita; in Ej. Specileg.

PP. Sec. II. p. 133. — *Styani Thirlby Notae in Justini M. Apologias* et *Dialog. c. Tryphone*, Londin. 1722. f. — *Joach. Just. Rau Diatribe hist. philos. de Philosophia SS. PP. Justini et Athenagorae*, Jen. 1733. 4. — *Jo. Phil. Baraterii De praecipuis Epochis vitae Justini M.*, in Ej. Disquis. chronol. saepius laud. p. 95. — *Ph. Chph. Gratiani Diss. de Memorabilibus Justini M.* historicis et dogmaticis, Tubing. 1766. 4. — *Pet. Tamburini Analisi della Apologia di S. Giustino M. con alcuni riflessioni*, Paviae 1792. 8. — *Sam. G. Lange Diss. II*, quibus Justini M. Apologia I sub examen vocatur, Jenae 1795. 8. — *J. Ad. Goetz* Justins Zweyte Apologie und Beweis der Alleinherrschaft Gottes, c. nott. et adjecta commentatione Ueber das Leben, die Schriften und Lehren Justins, Norimberg et Altorf. 1796 8. — *Alois. Gratz* Krit. Unters. über Justins apostolische Denkwürdigkeiten, Stuttg. 1814. 8. — *N. de Brun* Gespräch mit dem Juden Tryphon, Basil. 1822. 8. — *Herm. Olshausen* Ueber Justins apostol. Denkwürdigkeiten, in Ej. Die Aechtheit der vier Evangg. (Regiomont. 1823. 8.) p. 289. — *Andr. Fr. Zastrau Diss. de Justini M. studiis biblicis*, Vratislav. 1832. 8. — *Chr. E. Herbig Comment. crit. de Scriptis, quae sub nomine Justini philos. et mart. circumferuntur*, Vratislav. 1833. 8. — *J. A. Moehler* Ueber Justins Apologie I. c. 6., gegen die Auslegung der Stelle von Neander, in Drey etc. Theologische Quartalschrift ao. 1833. Fasc. I. p. 49. — *C. Semisch* Ueber das Todesjahr Justins in Ullmann et Umbreit Theologische Studien und Kritiken, T. VIII. (ao. 1834.) p. 907. — *Fr. Jan. Jac. Alb. Junii De Justino M., Apologeta adv. Ethnicos*, Lugd. Bat. 1836. 8. — — De *TATIANO* singulari studio commentati sunt *G. E. Tentzelius*, *Prud. Maranus*, *Chr. Kortholdus* (vd. sub init. huj. §.), quibus adde *Lud. du Four de Longuerue Diss. de Tatiano et Encratitis*, et *Nic. le Nourry Diss. in Tatiani Assyr. et Melitonis Sardens. Opera*; utraq. in edit. Opp. Tatiani, quam notis suis instructam

evulgavit Guil. *Worthus*, Oxon. 1700. 8. — — Ad *ATHENAGORAM* spectant *Tentzelii*, *Marani*, *Kortholdi* Commentt. supra laudatae. — Ejusdem *Apologiam* et *Librum de resurrectione* brevibus notis instruct. ediderunt *Jo. Fellus*, Oxon. 1682. 12; et *Ed. Dechair*, Oxon. 1706. 8. — *Andr. Polycarpi Leyseri Diss. de Athenagora*, Lips, 1736. 4. — *J. Dan. van Hoven Disp. de inscriptione et vera aetate πρεσβείας Athenagorae pro Christianis*, Lips. 1754. 4. — *Jo. Laur. Mosheim Disq. de vera aetate libelli ab Athenagora pro Christianis conscripti*, in Ej. Dissertt. ad histor. eccl. pertinentt. (Altonae 1767. II. 8.) T. I. p. 269. — *J. G. Lindneri Notae in Athenag. Legationem pro Christianis*, Longosaliss. 1774. 9. — *Theod. Adr. Clarisse De Athenagorae vita, scriptis et doctrina*, Lugd. Bat. 1819. 4. — — *S. THEOPHILI ANTIOCHENI* Vita atque Acta illustrantur in *Tentzelii*, *Marani* et *Kortholdi* libris supra ll. — Ejusdem *Libros ad Autolycum* brevibus notis commentati sunt *Jo. Fellus*, Oxon. 1684. 12; et *J. Cph. Wolfius*, Hambg. 1724. 8. — Sequebantur deinceps *Nic. le Nourry Diss. de libris S. Theophili Patriarchae Antioch.*, in Ej. Appar. ad Biblioth. PP. Lugd. T. I. p. 498. — *Jo. Ge. Walpurgeri Commentatio de Theophilo boni pastoris in Ecclesia typo*, Chemnit. 1735. 4. — *Thph. Grabener Diss. de Theophilo Antiocheno*, Dresd. 1744. 4. — *J. Ge. Arn. Oelrichs De Theophili ingenio*, in Ej. Comment. de vera et certa Patrum II et III Seculi sententia de relatione Filii c. Patre (Goetting. 1787. 8.) p. 30. — — De *HERMIA PHILOSOPHO* exponunt praeter *Tentzelium* et *Maranum* (ll. supr. ll.) *Jo. Chph. Dommerich* in editione Hermiae libelli, Halae 1764. 8. — *Guil. F. Thienemann* in Prolegg. versionis german. Hermias Verspottung der heidnischen Philosophen, mit Einleit. und Erläuterungen, Lips. 1828. 8. — — De *S. IRENAEI* vita rebusque notitiam suppeditant *Fr. Fevardentii Vita Irenaei*, ex illius et aliorum PP. Scriptis collecta, et *Ejusdem Notae* uberiores in Libb. V adv. Hae-

res., Paris. 1576. f. — *Henr. Dodwelli Dissertt. VI in Irenaeum*, Oxon. 1689. 8. — *Dan. Papebrochii De S. Irenaeo commentar. hist.*, in Actt. SS. Junii, T. V. p. 335. — *Jo. Ern. Grabii Prolegomena in Irenaei Opp.* ab ipso cum Variorum notis suisque observatt. edita, Oxon. 1702. f. — *Renati Massueti Dissertatt. III de Irenaei vita, scriptis et doctrina*, in sua Irenaei Operum editione observationibus ac notis et copiosissimis glossariis indicibusque illustrata et locupletata, Paris. 1710. f. — *Abbatis Gervaisii La vie de S. Irenée*, Paris. 1723. 8. — *C. W. Fr. Walchii De authentia Libb. Irenaei contra J. Sal. Semlerum*, in Novv. Commentt. societ. reg. Goetting. T. V. P. II. p. 3. — *Adph. Stieren De Irenaei adv. Haereses Operis fontibus, indole, doctrina et dignitate*, Commentar. hist. crit., Goetting. 1836. 4. — — De *CLEMENTE ALEXANDR.* consuli possunt *Notae*, quas in Clementis Opera scripserunt *Fr. Sylburgius*, Heidelberg. 1592. f.; et *Dan. Heinsius*, Lugd. Bat. 1616. f.; item *Gentiani Herveti*, Canonici Remensis, *Commentarius*, et *Guil. Lowthii* aliorumque XVII et XVIII seculi Scriptorum *Notae* in Clementis Alex. Opp., quas omnes *Jo. Potterus* in praestantissimam suam editionem recepit suis quoque additis annotationibus, Oxon. 1715. f. — Cf. *Nic. le Nourry Diss. de Clementis Alex. Opp.* omn., in Ej. Apparatu ad Biblioth. PP. Lugd. T. I. p. 624. — *Jo. Tribbechovii Dissertt. II de Clemente Alex.*, Halae 1706. 4. — *Jo. Balth. Bernholdi Hypomnemata de Clemente utriusque Ecclesiae ornamento*, Altorf. 1725. 4. — *J. A. Guil. Neander Diss. de Fidei Gnoseosque ideae ratione*, qua ad se invicem et ad philosophiam referatur, Heidelberg 1811. 4. — Clementis Alex. Lib. *Quis dives salutem consequi possit*, perpetuo commentario illustratus est a *C. Segaar*, Ultraj. Rhen. 1816. 8. (quam editionem in usum scholarum accommodavit *H. Olshausen*, Regiomont. 1831. 8.). — *P. Hofstede de Groot Disp. de Clem. Alex. seu de vi, quam philosophia graeca, inprimis Platonica habuit ad Clementem informandum*, Groening. 1822. 8. —

A. F. **Daehne** *De Gnosi Clementis Alex. et de vestigiis Neoplaton. philosophiae in ea obviis*, Lips. 1831. 8. — *F. A.* **Eylert** Clemens von Alexandria als Philosoph und Dichter, Lips. 1832. 8. — *Novam* Opp. omn. Clementis Alex. *editionem* c. annott. adornare coepit *Reinh.* **Klotz**, Lips. 1831. sq. 8. — — *MINUCII FELICIS Octavium* c. Variorum notis et observationibus ediderunt *Geverh.* **Elmenhorstius**, Hamburg. 1603. f.; *Jo.* **Wowerus** (unac. Firmici Materni Libro de erroribus profanarum religionum), Basil. 1603. 8; *Desid.* **Heraldus** (unac. Tertulliani Apologetico), Paris. 1613. 4; *Nic.* **Rigaltius**, Par. 1643. f.; *Chph.* **Cellarius** (unac. S. Cypriani Libro de vanitate idolorum), Halae 1699. 8; *Jo.* **Davisius**, Cantabrig. 1707. 8; *Jac.* **Gronovius** c. suis et integris Woweri, Elmenhorstii, Heraldi et Rigaltii notis, Lugd. Bat. 1709. 8., et ex rec. *Jo.* **Davisii** denuo Cantabr. 1711. 8; optimam editionem curavit *J. G.* **Lindnerus**, Longosaliss. 1773. 8., adjecta est *Franc.* **Balduini** *Diss. in Minucii Felicis Octavium.* — Cf. etiam *Nic.* **Nourrii** *Diss. in M. Minucii Felicis* librum, qui inscribitur *Octavius*, in Ej. Apparat. ad Biblioth. PP. Lugdun. T. II. p. 2. — *J. Dan.* **van Hoven** *Epist. hist. crit. de vera aetate, dignitate, et patria M. Minucii Felicis*, Campis. 1762. 4. — *H.* **Meieri** *Commentatio de Minucio Felice*, Turic. 1824. 8. — *J. G.* **Russwurm** Prolegg. ad Des Minucii Felix Dialog Octavius, übersetzt, Hamburg. 1824. 8. — *J. H. B.* **Lübkert** *Minucii Felicis Octavius s. Dialogus* etc. Schutzschr. für das Christenthum, neu herausgegeben, erklärt und übersetzt, Lips. 1836. 8. — *Ed. de* **Muralto** *Commentat. de Minucii Felicis aetate*, in Ej. edit. Octavii, Turic. 1836. 8. — — *TERTULLIANI Opera* optime edita sunt a *Nicol.* **Rigaltio** c. suis et aliorum, *Rhenani*, *Pamelii*, *Latinii*, *Albaspinaei*, *Woweri* etc. notis, Paris. 1634. f.; et cum *Sigeb.* **Havercampii** perpetuo *Commentario in Tertulliani Apologeticum* (sumt. Girardi) Venet. 1744. f.; deinde curis *J. Sal.* **Semleri** (et Chr. Gfr. *Schützii*) Halae 1770—1775.

VI. 8; cui editioni insunt Semleri *Diss. de varia et certa indole libb. Tertulliani*, et Schützii *Index latinitatis Tertullian.* ibid. T. V. p. 219., T. VI. — Ceterum de Tertulliano suppeditant *Jac. Pamelii Vita Tertulliani*, cum annott. in Tertull. Opp., Par, 1634. ed. Rigaltii. — *Petr. Allixii Diss. de vita et scriptis Tertulliani*, in Ej. Dissertt. III. Paris. 1680. 8. — *De la Motte Histoire de Tertullien et d'Origenes*, Lugd. 1701. 8. — *Jo. Joach. Zentgravii Exercitatio de lapsu Tertulliani ad Montanistas*, Argentor. 1704. 4. — *Nic. le Nourry Diss. in Tertulliani Apologeticum, Libb. ad Nationes et Libr. ad Scapulam, in Ej. Appar. ad Biblioth. Lugd. T. II. p.* 1174. — *Sigeb. Havercampii Commentarius perpet. in Tertull. Apologeticum*, Lugd. Bat. 1718. 8. — *Jo. Laur. Moshemii Commentat. hist. chronol. de aetate Apologetici Tertulliani* etc., in Ej. Dissertt. ad hist. eccl. pertinentt., T. I. p. 1. — *Jac. Gretseri Vindicatio locorum quorundam Tertulliani a Fr. Junii Calvinistae depravationibus*, in Gretseri Opp. (Ratisbon. 1735. f.) T. V. P. II. p. 305. — *Jo. Ant. Noesselt Diss. III de vera aetate ac doctrina scriptorum Qu. Septim. Tertulliani*, in Ejusd. Commentt. ad hist. eccl. pertin. (Halae 1817. 8.) p. 8. — *H. Chr. Ballenstedt* Tertullians Geistesfähigkeiten, Religionskenntnisse und Theologie, III Commentt., Helmstad. 1785. 8. — *August Neander* Antignosticus, Geist des Tertullian und Einleit. in dessen Schriften, Berol. 1825. 8. — *Fr. Münter Primordia Ecclesiae Africanae* (Havn. 1829. 4.) p. 128. — *C. Jos. Hefele* Tertullian als Apologet, in Drey et all. Tübinger Theolog. Quartalschrift, ao. 1838. P. I. p. 30.

cc. De Scriptt. Seculi III.

§. 245. *ORIGENIS Opera* recensita, latine versa, atque annotatt. illustrata c. copiosis indicibus, vita Auctoris et multis dissertt. ediderunt *Car.* (et Vinc.) *De la Rue*, Paris. 1733—1759. IV. f. Novissime seorsim prodierunt *Libb. de Principiis*, c. annott. *Ern. Rdph. Redepenning.*

Lips. 1836. Omnium autem Origenis Opp. *novam editionem* c. Prolegg., Animadverss., Excursibus, Indicibus et Glossario adornare coepit *Car. Henr. Ed. Lommatzsch*, Berolin. 1831. sqq. 8. — Ceterum de vita, indole, scriptis Adamantii singillatim agunt *S. Gregorii Thaumaturgi Oratio panegyrica; Eusebii Pamphili Apologia S. Pamphili Martyris pro Origene*, addito *Rufini Aquilejensis Epilogo in Apologeticum S. Pamphili ad Macarium* seu *De adulteratione librorum Origenis;* et *Petr. Dan. Huetii Origeniana;* et *G. Bulli Commentatio, quod Origenes de Christi divinitate recte senserit;* quae omnia in editione *Delaruana* supra laud. continentur T. IV. P. II. — Adde *Desid. Erasmi* Roterod. *De vita, phrasi, docendi ratione et operibus Origenis Epitomen*, in Ej. Epistolis (Lond. 1642. f.) p. 1619. — *Petr. Halloxii Origenes defensus* s. Origenis vita, virtutes et documenta Libb. IV, Leodii 1648. f. — *Guil. Spenceri Notae in Origenis Libb. contra Celsum et in Philocaliam*, Cantabr. 1658. 77. II. 4. — *De la Motte Histoire d'Origenes* (vd. §. 244. s. Tertullian.) — *Jo. Horbii Hist. Origeniana*, de origine et progressu haereseos Origenis, Francof. 1670. 4. — *Cas. Oudini Diss. de vita, operibus, doctrina et morte Origenis*, in Ej. Commentar. de Scriptt. eccles. T. I. p. 231. — *Jo. Andr. Schmid De lapsu Origenis*, Helmstad. 1704. 4. — *Matth. Jac. Norupi De lapsu Origenis*, Havn. 1709. 4. — *Jo. Meisneri Tract. hist. theolog. de Origene et Origenianis*, Viteberg. 1712. 4. — *Jo. Pici Mirandolani De salute Origenis Disputatio*, in Ej. Opp. p. 131. — *El. Ehingeri Origenis labilis* s. De naevis Origenis Diss., Aug. Vind. 1724. 8. — *Jo. Sam. Weickhmanni Comment. de schola Origenis sacra ex Gregorio Thaumat. informata*, Vitemb. 1744. 4. — *J. A. Karsten Diss. de Origene oratore sacro*, Groning. 1824. 8. — *J. Jac. Bochinger De Origenis allegorica S. Scripturae interpretatione*, Argentor. 1829. sq. III. 8. — *C. F. Schnitzeri* Origenes über die Grundlehren der Glaubenswissenschaft, Wiederherstellungsversuch, Stuttg. 1835. 8. — *Gfr.*

Thomasii Origenes, ein Beitrag zur Dogmengeschichte des III. Jahrh.. Norimbg. 1837. 8. — *Viti Engelhardtii* Den Origenes Betreffendes, in Ullmanni etc. Theolog. Studien und Kritiken, T. XI. (ao. 1839.), p. 157. — — S. *HIPPOLYTI* res illustrant *Theodorici Ruinarti Vita et Passio S. Hippolyti*, in Ej. Actt. primorum Martyrum p. 168. — *Jac. Basnagii Animadverss. de vita morte et scriptis Hippolyti*, in Henr. *Canisii* Lectt. antiqq. ed. Basnagii T. I. p. 3. — *Hippolyti Canonem paschalem* c. notis suis ed. *Jos. Just. Scaliger*, Lugd. Bat. 1595. 4. — Ej. *Opera omnia* notis illustrata evulgavit *Jo. Alb. Fabricius*, Hamburg. 1716—1719. II. f. — Cf. etiam *Chph. A. Heumanni Diss. ubi et qualis episcopus fuerit Hippolytus*, Goetting. 1737. 4. — *Const. Ruggerii Diss. posthuma de Portuensi S. Hippolyti Episcopi et Martyris sede*, ab *Achille Ruschio* absoluta et annott. aucta, Rom. 1771. 4. — — De S. *DIONYSII ALEXANDR.* vita exponunt *Thdr. Ruinartus* in Ej. Actt. primorum Mart. p. 151. — *Joach. H. Ostermeyer Diss. hist. de Dionysio Alex. Episc.*, Rostock. 1736. 4. — *J. Jortin The character of Dionysius of Alexandria*, in Ej. Remarks of ecclesiastical history (Lond. 1752. III. 8.) T. II. p. 292. — *Sim. Domin. de Magistris Diss. de vita et scriptis Dionysii Alexandr.*, in Ej. edit. Fragmm. Opp. Dionysii, Rom. 1796. f. — Cf. *Ferd. Guerike Comment. hist. et theol. de Schola, quae Alexandriae floruit*, Halae 1824. 25. II. 8. — *Jo. Petr. Mynsteri Diss. de Dionysii Alex. circa Apocalypsin sententia*, Hafniae 1826. 8. — — S. *METHODII* vitam illustrarunt *Henschenii Sylloge hist. de S. Methodio*, in Actt. SS. m. Junii, T. V. p. 5. — *Leon. Allatii Diatribe de Methodiis* (sc. nostro et aliis ejusdem nominis), in Jo. Alb. *Fabricii* Opp. S. Hippolyti, Vol. II. p. 72. — *J. A. Sixti Diss. de Methodio Tyri quondam Episcopo*, Altorf. 1787. 4. — — S. *GREGORII THAUMATURGI Opera* c. notis ed. *Gerh. Vossius*, Mogunt. 1604. 4. — De *ipso* autem Gregorio exponunt *S. Gregorii Nysseni Oratio de vita Greg. Thaum.*, in Ej. Opp. (ed. Paris. 1638. III. f.)

T. III. p. 479. — *Nic. Mariae Pallavicini Vita S. Gregorii Thaum.*, Rom. 1644. 8. — *Jo. Lud. Boye Diss. de Gregorio Thaum. Episc. Neocaesar.*, Jenae 1709. 4. — — *S. CYPRIANI Opera* notis illustrarunt *Jac. Pamellius*, Antverp. 1568. f.; *Nic. Rigaltius*, Paris 1648. f.; *Phil. Priorius* (unac. *Minucii Felicis, Arnobii* et *Firmici Materni* Opp.) c. notis Rigaltii et selectis aliorum, Paris. 1666. f.; *Jo. Fellus*, Oxon. 1682. f.; optime vero *Steph. Baluzius* (et *Prud. Maranus*) Paris. 1720. f. — Opp. autem S. Cypriani genuina *versione German.* c. annott. ediderunt *C. C. de Hohenbalken*, Vienn. 1790. sq. II. 8; *M. Feyerabend*, Monach. 1818—1820. IV. 8. — De S. Martyris *vita scriptisque* in specie tractant *Pontii Diaconii De vita et passione S. Cypriani*, in Cypr. Opp. ed. Marani p. CXXXV. — *S. Gregorii Naz. Oratio in laudem S. Cypriani Mart.*, in Ej. Opp. ed. Colon. T. I. p. 274. — *S. Augustini Sermones in natali Cypriani Mart.*, in Ej. Opp. ed. Maurin. T. V. p. 869. — *Jo. Cestriensis (Pearsonii) Annales Cyprianici*, in Opp. Cypriani edit. Oxon. 1682. f. — *Henr. Dodwelli Dissertt. XIII Cyprianicae*, Oxon. 1684. 8. — *Jo. Clerici La vie de S. Cyprien avec la critique de ses écrits*, Amstelod. 1689. 12. — *(Jac. Gervaise) La vie de S. Cyprien ... avec l'abrégé des ouvrages de ce Père, des notes critiques et historiques*, Paris: 1717. 4. — *Prud. Marani Vita S. Cypriani*, in Ej. edit. Opp. Cypr. p. XXXVII. — Denique (ut aliorum commentationes taceam) *Fr. Guil. Rettberg* Thascius Cäcil. Cyprianus dargestellt nach seinem Leben und Wirken, Goetting. 1831. 8. — — De *COMMODIANO* Poëta christiano vide praeter *Saxii Onomasticon* T. I. p. 373., *Cave Scriptt. eccles.* T. I. p. 136. etc. praecipue *Henr. Dodwelli De Commodiani aetate*, et *Henr. Leon. Schurzfleischii Praefat.* in Ej. edit. Opp. Commodiani, Vitemb. 1704. 4. — — De *S. VICTORINO PETAVIONENSI* scripsit *Jo. Launoyus*, et quidem Dissert. *de Victorino Ep. et Martyre*, et Append. *de quinque illustribus Victorinis*, quae extant in Launoji Opp. (Colon. Allobrog. 1731.) T. II. P. I. p. 634.

dd. De PP. et Scriptt. eccl. Seculi IV.

a) Graecis.

§. 246. De *EUSEBII PAMPHILI* vita, ingenio, fide, cónsuli queunt *Mart. Hanke Eusebii Pamphili vita*, in Ejusd. lib. de Byzantt. Scriptt. (Lips. 1677. 4.) p. 1—133. — *Jo. Chph. Ernesti Diss. duae de Eusebio Caesareensi*, Vitemb. 1688 et 1703. 4. — *J. Moelleri Diss. de fide Eusebii Caesar. in rebus christ. enarrandis*, Hafniae 1813. 8. — *Jo. Traug. Lebr. Danz De Eusebio Caesar. ejusque fide historica recte aestimanda*, Jenae 1815. 8. (P. I. tant.) — *Chr. A. Kestner De Eusebii auctoritate et fide diplomatica*, Goetting. 1816. 4; et Ejusd. Ueber die Einseitigkeit und Partheilichkeit des Eusebius als Geschichtschreiber, in Ejusd. Agape Der geheime Weltbund der Christen (Jen. 1819. 8.) p. 536. — *E. A. Phil. Mahn De fontibus, quibus Eusebius usus est in scribenda historia sacra*, Rostock. 1819. 4. — *H. Reuterdahl de fontibus historiae eccl. Eusebii*, Gothae 1826. 8. — *Bern. Rienstra Disp. hist. theolog. de fontibus, e quibus hist. eccl. hausit Eusebius Pamphili*, Ultraject. 1833. 8. — Ad *textum* autem Eusebii potissimum respiciunt *Dissertationes* et *Notae* in varia hujus Scriptoris opera, e quibus prodierunt *Praeparatio evangelica*, c. nott. *Fr. Vigeri*, Par. 1628. f., item *Demonstratio evangelica*, *Libri contra Marcellum*, et *Theologia ecclesiastica* c. notis *Rich. Montacutii* Episc. Noricensis, Paris. 1628. f.; *Chronicon Eusebii* c. additamentis et notis *Jos. Just. Scaligeri*, Amstelod. 1658. f.; *Historiae eccl. Lib. X*, primum c. notis et dissert. praevia de vita scriptisque Eusébii ab *Henr. Valesio*, Paris 1658. f.; dein (unac. *Socratis Scholastici*, *Hermiae Sozomeni*, *Theodoreti*, nec non *Philostorgii* et *Theodori Lectoris* Hist. eccles.) c. animadverss. *Guil. Readingi*, Cantabr. 1720. f.; ex *versione German.* notisque *Fr. Andr. Strothii* illustr., Quedlinb. 1777. II. 8; ex nova *graeca* recensione c. selectis Readingi, Strothii, aliorumque observationibus et Henr. Valesii integro commentario, adjectisque suis quoque animadversionibus et excursibus XVII *Fr. Adph. Heinichen*,

Lipsiae 1827. 28. III. 8; Eusebii *Libros IV de Vita Constantini* etc. idem *Heinicken* ex rec. Valesii c. select. Readingi, Strothii, suisque animadverss. edidit ib. 1830. 8; denique *Eusebii Hist. eccl.* zum ersten Male vollständig übersetzt, mit Anmerk. und dem Leben des Verfassers ed. *Ant. Closs*, Stuttg. 1839. IV Fascc. 8. — — Ad *EUSEBIUM EMISENUM* spectant *Casim. Oudini Diss. crit. de scriptis Eusebio Emiseno hucusque perperam attributis*, in Ej. Commentario de Scriptt. eccl. T. I. p. 390. — *Jo. Ch. G. Augusti Annott.* histor. et philogg. in Eusebii Emis. Opera, quae graece ad Mss. Codd. Vindobon. ed. Elberfeld. 1829. 8. — *J. C. Thilo* Ueber die Schriften des Eusebius von Alexandria und des Eusebius von Emisa, Halae 1832. 8. — — *S. ATHANASII* vitae fata recensent *S. Gregorii Nazianz. Oratio de laudibus S. Athanasii; Anonymi Vita Athanasii* ex Socratis, Sozomeni et Theodoreti hist. eccl. collecta; *Simeonis Metaphrastae Vita Athanasii;* alia ex *Photio* (Codd. CCLVIII.) exscripta; alia Ejusdem Vita ex *Arabico* per *Eus. Renaudotum* in lat. versa; denique Vita ejus a *Monachis Benedictinis* conscripta; omnia haec in Athanasii Operum praestantissima editione *Montfauconiana* (Paris. 1698. III. f.) T. I. exhibentur, quae editio praeterea perpetuas *Montfauconii annotatt.* in omnia Athanasii opera praebet, et postea, tomo *quarto* addito, qui nova continet opuscula et fragmenta antehac inedita, prodiit cura *Nic. Ant. Giustiniani*, Patav. 1777. IV. f. — Aliae Ejusdem *vitae duae* ab *incertis auctoribus* exaratae insunt editioni *Heidelbergensi* T. II. p. 518. 607. — Cf. etiam *Dan. Papebrochii Vita S. Athanasii* ex ipsius et aliorum Veterum scriptis collecta, in Act. SS. m. Maji T. I. p. 186. — *Bern. Montfauconii Animadverss. XXII in vitam et scripta S. Athanasii*, praemiss. Ej. Collect. nov. PP. et Script. graec. (Paris. 1706. II. f.) T. II., qui Athanasii Opuscula secundis curis reperta et antehac inedita praesefert. — His (omissis multis aliis) subjungimus postremo *J. Ad. Moehleri* Athanasius der Große und

die Kirche seiner Zeit, besonders im Kampfe mit dem Arianismus, Mogunt. 1827. 28. II. 8. — — De *S. CYRILLO HIEROSOL.* extant *Jo. Grodeckii Vita S. Cyrilli Hieros.*, ex Scriptoribus hist. eccl. collecta, in Laur. *Surii* Vitt. SS. d. 18. Martii, p. 200. — *Gfr. Henschenii Commentatio hist. de S. Cyrillo Hieros.*, in Act. SS. m. Mart. T. II. p. 625. — *Thom. Millesii Praefat.* (de vita, gestis, scriptis S. Patris) *et notae* praesertim philologg. in sua edit. Cyrilli Opp. Oxon. 1703. f. — *Cas. Oudini Diss. de vita et scriptis S. Cyrilli*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 455. — *Ant. Aug. Touttée Dissertt. III et Notae passim* in Ej. edit. Opp. Cyrilli, Paris. 1720. f. — *S. Cyrilli* Opera in *German.* ling. transtulit adjectis suis observationibus *Jo. Mich. Feder*, Bamberg. 1786. 8. — *A. B. Caillau De Cyrilli Hieros. vita et scriptis eorumque indole et editionibus*, in Ej. Introduct. ad SS. PP. lectionem T. I. p. 181. — — *S. EPIPHANII* res illustrant *Vita Epiphanii*, quae ab *Joanne et Polybio* ejus discipulis conscripta perhibetur; in editione Opp. S. Epiphanii, quam *Dionys. Petavius* c. animadverss. suis evulgavit, Lutet. 1612. f. — *Dan. Papebrochii Commentatio de S. Epiphanio*, in Actt. SS. m. Maji, T. III. p. 36. — *Cas. Oudini Diss. de Opp. S. Epiphanii*, in Ejusd. Comment. de Script. eccl. T. I. p. 257. — *(Fr. Gervaise) L'histoire de la vie de S. Epiphane avec l'analyse des ouvrages et nott. critiques et historiques*, Paris. 1738. 4. — — Ad *S. EPHRAEMUM SYRUM* spectant *S. Gregorii Nysseni Encomium in S. Ephraemum*; *Vita Ephraemi ex anonym. vett. Mss. graec.*; Ephraemi *vita per Simeonem Metaphrasten*; ipsius *Ephraemi Narratio ad Monachos de sua conversione*; item Ephraemi *Confessio et sui ipsius reprehensio*; *Testamentum* Ephraemi Patris; quae omnia exhibentur (sed ea *latine* tantum) in *Gerh. Vossii* editione Opp. S. Ephraemi notis suis et observationibus illustrata (Rom. 1589—1593. III. f.) T. I. p. 1. 9. 209. 216. 465. 598. — *De S. Ephraemo ex vita S. Basilii M.*, auctore (ut creditur) *S. Amphilochio*, ex vett. lat. Mss. eruta; in Actt.

SS. m. Febr. T. I. p. 75. — *Guil. Ern. Tentzelii Diss. de Ephraemo Syro*, in Ej. Excercitt. selectt. T. I. p. 273. — *Cas. Oudini Diss. de Opp. S. Ephraemi*, in Ej. Comment. de Script. eccl. T. I. p. 494. — *Vitae S. Ephraemi compendium* ex anonymo *Syro* syriace cum versione lat. ac notis *Jos. Sim. Assemanni* in Biblioth. orient. Clementino-Vaticana T. I. p. 25. — Ad ipsum *textum* Ephraemi illustrandum inserviunt *praefatt.*, *nott.*, *varr. lectt.*, quas exhibet egregia ejusdem *J. S. Assemanni* editio Opp. Ephraemi, Rom. 1732—1746. VI. f. — Cf. etiam *C. A. Lengerke Diss. II De Ephraemo Syro S. Scripturae interprete*, Hal. 1828. 8; et *De Ephraemi Syri arte hermeneutica*, Regiom. 1831. 8. — *P. Pii Zingerle* Ephraems auserwählte Schriften aus dem Griech. und Syrisch. übersetzt, Oenipont. 1830—1838. VI. 8. — — De *S. BASILII MAGNI* vita scriptisque notitiam suppeditant *S. Gregorii Naz. Oratio funebris in S. Basilium; S. Gregorii Nyss. Oratio funebris in laud. Basilii fratris; S. Ephraemi Syri Encomium in S. Basilium M.; Pseudo-Amphilochii Vita et Miracula Basilii*; omnia haec (sed *lat.* tantum) in Fr. *Combefisii* Biblioth. PP. concionatoria (Paris. 1662. VIII. f.) T. III. p. 54., T. VII. p. 9. 10. 33. — *Andr. Schotti Notae* in Basilii Opp. quae edidit Antverp. 1616—18. II. f. — *Gfr. Hermantii Vie de S. Basile le Grand et celle de S. Grégoir de Nazianze*, Paris 1647. II. 4. — *Juliani Garnieri Vita S. Basilii*, in Ej. praestantissima et notis maxime textum emendantibus instructa editione Opp. Basilii (Paris. 1721—30. III. f.) T. I. — *Cas. Oudini Diss. de vita et scriptis S. Basilii*, in Ej. Comm. de Scriptt. eccl. T. I. p. 543. — *Gius. del Pozo Dilucidationi critico-historiche della vita di S. Basilio M.*, Rom. 1746. 4. — *J. El. Feisseri Diss. hist.-theol. de vita Basilii M.*, Groning. 1828. 8. — *C. W. Rdph. Klose* Basil der Große nach seinem Leben und seiner Lehre dargestellt, Stralsund 1835. 8. — *J. G. Krabinger* Basilius des Großen auserlesene Homilien, übersetzt mit Anmerkk., Landishuti 1839. 8. — — *S. MACARII AEGYPT. Opp.* ed. *Jo. Ge. Pritius*, et primum quidem *Homilias*, Lips. 1698.

8; dein *alia* (nonnulla) *Opuscula* c. excerptis Hieronymi, Palladii, Cassiodori de Macario sententiis, Lips. 1699. 8. — Homilias Macarii in *German.* ling. transtulit *Cassedor*, Bamberg 1819. II. 8. — — *S. GREGORII NAZIANZ.* vitam et scripta illustrarunt *ipsius Gregorii Carmen de vita sua* (versibus jambicis); item *Gregorii Presbyteri Vita S. Gregorii Theologi Episc. Nazianzeni*; quod utrumque monumentum continetur in Ejusd. S. Patris Opp. ex rec. *Jac. Billii* (Venet. 1753. II. f.) et *carmen* quidem T. II. p. 1, et cum nott. Billii, ib. p. 1320; *vita* vero a Greg. Presbyt. descripta ad init. Tomi I. — *Nicetae Paphlagon. Laudatio Gregorii Naz.*, in *Combefisii* Biblioth. PP. concionat. T. VI. p. 616. — *Thomae Magistri Laudatio Gregorii Naz.*, unac. Ej. Orat. et Epistt. ed. a *Laur. Normanno*, Upsal. 1693. 4. — *Caes. Baronii Lib. de vita Gr. Nazianz.* ex ipsomet Gregorio et optimis Scriptt. collecta, et a *Dan. Papebrochio* notis illustrata; in Actt. SS. m. Maji, T. II. p. 373. — *Gdfr. Hermantii Vie de S. Gregoire de Naz.* (vd. Basil.) — *Cas. Oudini Diss. de vita et scriptis S. Gregorii Naz.*, in Ej. Comm. de Scriptt. eccl. T. I. p. 614. — *Jo. Gfr. Schubarti Diss. de Gregorio Naz. cognomento Theologo*, Giess. 1721. 4. — *Haenselii* Ueber Gregors rednerische Eigenthümlichkeiten in H. G. *Tzschirneri* Memorabilien für das Studium und die Amtsführung des Predigers (Lips. 1810—21. VIII. 8.) T. VI. Fasc. II, p. 118. — *C. Ullmanni* Gregorius von Nazianz der Theologe, Darmstad. 1825. 8. — — *S. GREGORII NYSSENI* vitam atque opera perlustrarunt *Frontonis Ducaei Annotatt.* in edit. Opp. Gregorii Nyss. per *Fr. Morellum*, Paris. 1615. II. f. (ibid. 1638. III. f.). — *Dan. Papebrochii Comment. hist. de Greg. Nyss.*, in Actt. SS. m. Mart. T. II. p. 44. — *Casim. Oudini Diss. de vit. et scriptt. Gregorii Nyss.*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 583. — *J. B. Caraccioli Commentt. atque Animadverss. in Greg. Nyss. Epistolas VII*, Florent. 1731. f. — *Jul. Rupp* Gregors von Nyssa Leben und Meynungen, Lips. 1834. 8. — *Steph. Petr. Heyne Disp. hist.-theol. de Gre-*

gorio Nyss., Lugd.-Bat. 1835. 4. — Novissime *J. Krabingerus* duo Gregorii Nyss. Opuscc. edidit, nempe *Dialogum de anima et resurrectione*, Lips. 1837. 8; et *Orationem catecheticam*, gr. et lat. c. Ducaei suisque annotatt., Monach. 1838. 8. — — De *S. AMPHILOCHIO* extat *incerti veteis auctoris Historia beati Amphilochii, Episc. Iconii, adv. Arium Eunomiumque et Macedonium;* in *Fr. Combefisii* edit. Opp. SS. Amphilochii, Methodii et Andreae Cretens. notis illustr. (Paris. 1644. f.) p. 228. — Cf. *Oudini Diss. de Opp. Amphilochii* etc.. in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. II. p. 216. — *H. Ph. Conr. Henke De vita et scriptis Amphilochii*, Helmst. 1782. 4. — — Ad *S. DIDYMUM ALEX.* spectant *Jac. Basnagii Animadverss. in Didymum et Ejus Opera*, in *H. Canisii* Lectt. antiqq. ed. Basnagii T. I. p. 197. — *Ferd. Mingarelli Veterum testimonia de Didymo Alexandrino* coeco, Rom. 1764. 4; idem c. versione lat. et notis edidit *Didymi De Trinitate Libb. III*, Bonon. 1769. f. — — De *THEODORO MOPSVESTENO* scripserunt *Jo. Chph. Meisner Diss. de Theod. Mopsv.*, Vitemb. 1714. 4. — *J. F. Lebret Progr. de Fragmm. Theodori Mopsv.*, Tubing. 1790. 4. — *F. L. Sieffert Theodorus Mopsv. veteris Testamenti sobrie interpretandi vindex*, Regiom. 1827. 8. — *Rdph. E. Kiener Symbolae literariae ad Theodorum Antiochenum Mopsvest. Episcopum pertinentes*, Goetting. 1836. 8. — *Ott. Fridol. Fritzsche De Theodori Mopsv. vita et scriptis* Comment. hist.-theolog., Halae 1837. 8. — — In *S. JOANNIS CHRYSOSTOMI* vitam et scripta suppeditant *Palladii De vita et conversatione Joannis Chrysost. Dialogus c. Theodoro Eccl. Rom. Diacono*, in Opp. Chrysostomi ex edit. *Montfauconiana* (Paris. 1718—38. XIII. f.) T. XIII. p. 1; quae editio praestantissima etiam *Bern. Montfauconii Vitam S. Chrysostomi* (T. XIII. p. 91.) et *notas* in omnia Ejusdem Opera exhibet. — *S. Procli Homilia in S. Chrysost.* (lat. tantum incerto interprete) in *Combefisii* Auctar. nov. Biblioth. PP. T. I. p. 465. — *Georgii Alexandrini Vita S. Jo. Chrysost.; Leonis Sapientis Oratio pane-*

gyrica; *Anonymi veteris Auctoris Vita Chrysostomi;* alia *Ejusdem vita* a *Simeone Metaphraste;* omnia haec in *Chrysostomi* Opp., quae suis et aliorum notis illustrata edidit *Henr. Savilius* (Etonae 1613. VIII. f.) T. VIII. p. 157. 267. 293. 373. — *S. Joannis Damasceni in laudem Jo. Chrysostomi*, in Ej. Opp. ed. le Quien, T. II. p. 886. — *Philothei*, Patriarch. Constantinopolitani, *Oratio encomiastica in SS. Basilium, Gregorium Naz. et Joannem Chrysost.*; in Front. *Ducaei* Auctar. Biblioth. PP. (Par. 1624. II. f.) T. II. p. 313. — *Desid. Erasmi Vita S. Joannis Chrys.;* in Ej. Epistt. Lib. XXVIII, Ep. 4; cf. Ej. Lib. XXVIII. Ep. 23. 24, et Lib. XXIX. Ep. 83. sq. — *Gfr. Hermantii Vie de S. Jean Chrysostome*, Paris. 1664. II. 4. — *Gfr. Vockerodtii Diss. de Joanne Chrysostomo, invidiae ludibrio*, Goth. 1697. 4. — *(Balth. Koepken) Vita S. Chrysost.* a Palladio, historia tripartita et aliis fide dignis auctoribus, *unac. specimine doctrinae* e scriptis ejus collect., Halae 1702. 8. — *Cas. Oudini Diss. crit. de vita et opp. S. Joannis Chrysost.*, in Ej. Comm. de Scriptt. eccl. T. I. p. 687. — *Chr. Guil. Vollandi Diss. V de Jo. Chrysostomo*, Vitemb. 1710. sq. 4; et Ejusdem *Vindiciae Chrysostomi contra Joannem Harduinum*, Lips. 1714. 3. — *Amorie van der Hoeven Joannes Chrysostomus voornalmelyk beschouwd als een Voorbeeld van ware Kansel-Welsprekendheit*, Delft. 1825. 8. — *Aug. Neander* Der heil. Chrysostomus und die Kirche seiner Zeit, (Ed. II.) Berolin. 1832. II. 8. — Singulare opus Joannis Chrysostomi *De sacerdotio Libb. VI.* cum *Bengelii* prolegg., animadverss. et indicibus, adjectis suis quoque notis, edidit *Edu. Leo*, Lips. 1834. 8. — Inter *Versiones* autem Germanicas, quae nonnullis S. Jo. Chrysostomi opusculis lucem adferunt, recensere expediet Reden über das Evangelium des heil. Matthäus, c. annott. *J. M. Federi*, Aug. Vind. 1786. II. 8; Reden über das Evangelium des heil. Johannes, c. animadverss. *Eulogii Schneideri*, Aug. Vind. 1787—89. III. 8; Sechs Bücher vom Priesterthum, c. versione *Ign. Ritteri*, Be-

rolin. 1821. 8; Ausgewählte Homilien c. prolegg., introductione et annotatt. *Phil. Mayeri*, Norimberg. 1830. 8; Homilien über die Briefe des heil. Paulus, interprete *Guil. Arnoldo*, Trevir. 1831. II. 8; Homilien über die Bildsäulen, c. locc. parallel. et annott. *F. W. Wagner*, (I Part.) Vindobon. 1838. 8.

b) Latinis.

§. 247. De *ARNOBIO* consulenda sunt *Theod. Canteri Notae criticae in Arnobium*, Antverp. 1582. 8. — *Jo. Meursii Criticus Arnobianus*, Lugd. Bat. 1598. 8. — *Geverh. Elmenhorstii Notae et Observatt. in Arnobium*, Hamburg. 1610. f. — *Desid. Heraldi Animadverss.* c. notis Canteri et Elmenhorstii, Lugd. Bat. 1651. 4. — *P. K. Meyeri De ratione et argumento Apologetici Arnob.*, Hafn. 1815. 8. — *J. Conr. Orelli Notae in Arnob. Disp. adv. Gentes*, quam edidit Lipsiae 1816. 8. — — *LACTANTII* vitam scripserunt plerique editores Operum Lactantii, *Servatus Gallaeus*, Lugd. Bat. 1660. 8; *Chph. Cellarius*, Lips. 1698. 8; *Nic. Lenglet du Fresnoy*, Paris. 1748. 4; alii. — De stylo, eruditione ac doctrina Ejus commentati sunt *J. A. Krebs*, Halae 1703. 8; *Nic. le Nourry*, in Appar. ad Biblioth. PP. Lugdun. T. II. p. 571; *Ge. Walch* in ed. libb. Lactantii, Lips. 1715. 8. — Cf. *Matth. Nic. Kortholti Diss. de Cicerone christiano s. Eloquentia Lactantii Ciceroniana*, Giessae 1711. 4. — *Joach. Just. Rau Diatr. hist. philos. de philosophia Lactantii*, Jenae 1733. 8. — *Jo. Dietr. Winckleri Philologemata Lactantiana sacra*, variis locis tum s. Codicis illustrandis, tum Lactantii explicandis corrigendisque inservientia, Brunsvig. 1754. 8. — *H. J. Spyker De pretio Institutionibus divinis Lactantii statuendo*, Lugd. Bat. 1816. 8. — Commentarium in Lactantii Opp. scripsit *Xyst. Betulejus*, Philologus Basileensis, Basil. 1563. f. — Eadem notis criticis aliisque illustrata ediderunt *Mich. Thomasius*, Episcop. Ilerdensis, Antverp. 1570. 8., et (ut *Sparkii*, *Davisii*, alias antiquiores editiones taceam) *Chph.*

Ant. *Heumannus*, Goetting. 1736. 8; *J. Ldph. Bünemannus*, Lips. 1739. 8; et supra dictam recensionem *Jo. Bapt. Le Brun* et *Nic. Lenglet du Fresnoy*, quae notas *Betuleji*, *Thomasii*, *Gallaei*, *Cellarii*, *Heumanni*, inprimis *Bünemanni* exhibet. — — De *FIRMICO MATERNO* lege sis *J. M. Hertz Diss. de Jul. Firm. Materno ejusque De error. profanarum religionum libello*, Hafn. 1817. 4; — *et Fr. Münteri Praemonenda* in Ej. edit. istius libelli, Hafn. 1826. 8. — — *S. HILARII PICTAV. vitam* scripsit *Venantius Fortunatus* duobus Libris, qui c. varr. Mss. collati notisque illustrati extant in Actt. SS. m. Januar. T. I. p. 752. — Sed et VV. DD. alii alias Ejusdem vitas consignarunt, quas in Hilarii Operum editionibus evulgarunt: *Des. Erasmus*, Basil. 1523. f.; *Jo. Jac. Grynaeus*, Basil. 1570. f.; *Jo. Gillotius*, Paris. 1572. f.; praesertim *Pet. Coustantius*, qui scripsit *Vitam S. Hilarii ex ipsius potissimum Libris collectam*, in Ej. Opp. editione Maurina (Paris. 1693. f.) p. 84. — Adde *Cas. Oudini Diss. de vita et operibus Hilarii Pict.*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 426. — — *LUCIFERI CALARITANI Opera* eximiis notis instructa ediderunt *Jo. Dom.* et *Jac. fratres Coleti*, Venet. 1778. f., ubi de vita quoque Luciferi egregie praefati sunt. — Cf. *Baehr* Die christlich-römische Literatur (Carlsruh. 1836. 8.) Sect. II. §. 62. p. 128. sq. — — *S. OPTATI MILEVIT. vitam* exhibent Actt. SS. m. Jun. T. I. p. 396. — Cf. *Editiones* S. Optati Libb., quos notis et observatt. instructos evulgarunt *Fr. Balduinus* Atrebat. Jurisconsultus, Paris. 1563. 8; *Meric. Casaubonus* Lond. 1631. 8., *Gabr. D'Aubespine* (Albaspinaeus, Episc. Aurelian.) Par. 1631. f.; *Casp. Barthius*, Paris. 1679. f.; *Lud. Ell. Dupinus*, Paris. 1700. f. Insunt huic editioni praeter Dupini etiam aliorum DD. VV. Albaspinaei, Casauboni, Barthii observationes et notae. — — De *S. AMBROSIO* extant *Paulini Presbyteri Vità S. Ambrosii ad Augustinum missa*, item *Anonymi* (fortasse Simeonis Metaphrastae) *Vita et institutum S. Patris Ambrosii;* utra-

-que in Opp. Ambrosii ex rec. *Maurina* per Jac. du Frische et Nic. le Nourry (Paris. 1686. II. f.) T. II. Append. p. I. et XV. — *Jo. Costerii Vita Ambrosii*, maxime ex Ejusd. libris collecta; in edit. Opp. Ambrosii Basil. 1555. II. f. — *Gfr. Hermantii Vie de S. Ambroise*, Paris. 1678. 4. — *Gfr. Henschenii De anno et die mortis Ambrosii*, in Actt. SS. m. April. T. I. p. 38. — *Cas. Oudini De scriptis S. Ambrosii Diss.*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 655. — *Maurinorum Vita S. Ambrosii* ex Ejus potissimum scriptis collecta, in eorundem editione Opp. supra laudata, T. II. App. p. XXXI, quae editio varias etiam et praestantissimas annotationes continet. — *M. C. V. Michelsen De Ambrosio cath. fidei adv. Arianos vindice*, Hafn. 1825. 8. — — Ad *PRUDENTIUM CLEMENTEM* spectant *Aldi Manutii Vita Prudentii*, in Opp. Ejusd. ab ipso Aldo editis, Rom. 1501. 8. — *Opera* Prudentii c. suis et Sichardi, Erasmi, Spiegelii, Fabricii, Wilkii et aliorum notis, scholiis et observatt. edita a *Jo. Weitzio*, Hanov. 1613. 8. — *Jo. Petr. Ludovici Diss. de vita Aurelii Prudentii Clementis*, Vitemb. 1642. 4. — *Steph. Chamillardi* S. J. Presb., *Notae in Prudentii Opp.*, Paris. 1687. 4. — *Chph. Cellarii Notae* in Prudentii Carmina, Halae 1703. 8. — Carmina Prudentii *germanica lingua* imitatus est *J. P. Silbert* Des heil. Prudentius Feiergesänge, heilige Kämpfe und Siegeskronen. Vindobon. 1820. 8. — — De *S. HIERONYMI* vita et scriptis optime consulueris *Vitam Hieronymi auctore Gennadio*, in Opp. Hieron. edit. Dom. *Vallarsii*, T. XI. p. 241; et ed. *Maurin.* T. V. col. 7. Praestantissima editio *Vallarsiana* (Veron. 1734—43. XI. f.) egregiis notis et observatt. ornata est. — Extat porro *Hieronymi Vita* ex ipsius potissimum syngrammatt. et *SS. Augustini, Damasi, Gregorii, Gelasii* etc. tractatt. collecta, in Opp. Hieronymi ed. *Maurina*, T. V. col. 11. — *Epistolae III ad Hieronymum resque ejus spectantes*, quae antiquorum auctorum nomina quidem, sed verisimilius perperam, prae se ferunt; prima nempe Epist. *Eusebii ad Damasum*, se-

cunda *Augustini ad Cyrillum Hierosol.*, tertia *Cyrilli Hieros. ad Augustinum;* agunt de morte, magnificentiis et miraculis S. Hieronymi, et exhibentur in Opp. Ejus edit. supra laud. T. V. col. 449. 477. 483. — Alia *D. Hieronymi vita incerto auctore*, ibid. col. 508. — *Erasmi Roterodam.* et *Mariani Victorii Vitae Hieronymi* ex ipsius scriptis contextae, in Opp. Hieron. edit. *Erasmi* (Basil. 1516. IX. f.), et edit. *Victorii* (Rom. 1565. IX. f.) — *Cas. Oudini Diss. de Scriptis S. Hieronymi*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 789. — *Jo. Martianay Vie de S. Jerôme*, Paris. 1706. 4. — *Jos. Renati Vitae S. Hieronym. historia* ex epistolis etc. viri sancti Ejusdem collecta, Venet. 1746. 4. — *Seb. Dolci Maximus Hieronymus vitae suae scriptor* s. De moribus, doctrina rebusque gestis S. Patris Commentar. ex ipsismet Ejus Opp. decerptus, Anconae 1750. 4. — *(L. Engelstoft) Hieronymus interpres, criticus, exegeta, historicus, doctor, monachus;* Hafn. 1797. 8. — *Frid. Leop. Comitis de Stolberg* Geschichte des heil. Hieronymus, in Ejusd. Gesch. der Relig. Jesu Chr. (Hamb. 1806. sq. 8.) in Aditt. ad T. XIII. XIV. XV. — *Theod. Katerkampii* Der heil. Hieronymus und seine Verhältnisse und Verbindungen etc. in Ejus Kirchengeschichte, Zweite Abth. (Monast. 1825. 8.) §§. 139—142 p. 377. sq. — — De *RUFINO AQUIL.* agunt *Petr. Thom. Cacciari Diss. de Rufini vita, fide ac Eusebiana translatione*, in Ej. editione Historiae eccl. Eusebii Pamphili interprete Rufino (Rom. 1740. II. 4.) P. II. — *Just. Fontanini Hist. liter. Aquilejens.* (Rom. 1742. 4.) p. 129. — *Jo. Fr. Bernard. Mariae de Rubeis Diss. De Turranio Rufino Monacho et Presbytero*, Venet. 1754. 4. — *Jos. Honor. Marzuttini De Turranii Ruffini fide et religione*, Patav. 1835. 8. — *E. Jul. Kimmel De Rufino Eusebii interprete* Libb. II, Gerae 1838. 8. — — De *S. PAULINO NOLANO* notitias suppeditant *Urbani Presbyteri Epistola de obitu S. Paulini ad Pacatum*, c. notis *Dan. Papebrochii* in Actt. SS. m. Junii T. IV. p. 198. — *Fr. Sacchini Vita S.*

Paulini ex ipsius scriptis et Veterum elogiis concinnata, ibid. p. 202. — *Petr. Fr.* *Chiffleti* *Paulinus illustratus*, Divione 1612. 4. — *Andr.* *Schotti* *Notae et Prolegg.* in S. Paulini Opp., in Biblioth. PP. Colon. T. V. P. I. p. 138. — *Jo. Bapt.* *Le Brun* *Elogia Paulini ex variis Scriptt.* ad Mss. Codd. recognita, et *Vita* ejus recens concinnata; in Ej. edit. Opp. Paulini (Par. 1684. II. 4.) T. II, unac. *Dissertt. VII* in S. Paulini vitam et scripta. — *Lud. Ant.* *Muratorii* *Notae* et *Dissertatt.* in Paulini *Opp. omnia*, Veron. 1686. f.; et Ejusd. *Diss.* in Paulini *Poëmata*, in Ej. Anecdd. latt. (Mediol. 1697. 4.) T. I. p. 141. — — De *S. AUGUSTINI vita scriptisque* agunt *ipsius* *Libri* cum *Confessionum* tum *Retractationum*, in Ej. Opp. ed. *Maurina* (Par. 1679—1700. XI. f.) T. I. col. 1. 69. — *S.* *Possidii*, Episc. Calamensis et Augustini familiaris, *Vita et Indiculus scriptorum Augustini*, ibid. T. X. Append. III; item c. nott. et observatt. *Jo.* *Salinasii* seors. ed. Rom. 1731. 8. — *Auctoris* *incerti* (ex antiq. Cod. nunc primum evulg.) *Vita D. Aurelii Augustini Hipponensis*, ed. *Andr. W. Cramer*, Kilon. 1832. 8, sed haec vita a posteriore manu ex Augustini propriis Confessionibus et vita, quam Possidius scripsit, compilata est. — *Jordani de Saxonia*, Augustiniani Eremitae Quedlinburg. († c. a. 1380), *Vita Augustini*; in *Jac. Hommey* Supplemento Patrum (Paris. 1686. 8.) p. 565. — *Phil.* *Melanchthonis* (sub tecto nomine *Jo. Saxonis*) *Oratio de vita Augustini*, in Ej. Oratt. (Argentor. 1541.) p. 201. — *Jo.* *Rivii* *Vitae Aurelii Augustini* ex ips. opp. concinnatae Libb. IV, Antverp. 1646. 4. — *Aliae ejusdem S. Patris Vitae* prodierunt auctoribus VV. DD. *Erasmo* Roterod. in Praefat. ad suam edit. Opp. Augustini (Basil. 1543. XI. f.); *Luc.* *Dacherio*, Paris 1648; *Ant.* *Godeau*, ibid. 1652. 4; *Monachis* *Maurinis* (Hug. Vaillant et Jac. du Frische) *Vita S. Augustini* in Ej. Opp. ed. Benedict. (per Delphau, Blampin et Coustant) T. XI, quae vita octo librorum nihil non continet, quidquid de Ejus fatis, studiis, controversiis, scriptis ulla commemoratione digna vi-

deatur. — Cf. *Remig.* *Ceillieri Vie de S. Augustin*, in Ej. Histoire générale des Auteurs eccl. T. XI et XII. — (*Jo. Cuperi* et *Stilting*, S. J. Presbb.) *Vita S. Augustini*, in Actt. SS. m. August. T. VI. p. 213. — *Just. Fontanini Disq. de corpore S. August. Ticini reperto*, Rom. 1728. 4. — *Laur. Berti De reb. gestis S. Augustini librisque Commentarius*, Venet. 1746. 4. — *Fr. Mann* Erinnerungen an den heil. Augustinus, Berolin. 1809. 8. — *Frid. Leop. Com. de Stolberg*, in Ejusd. Geschichte der Religion Jes. Chr., Additt. ad T. XIII. XIV. XV. — *Fr. Buschii Progr., Librorum S. Aug. recensus plane novus*, Dorpat. 1822. 4. — *Gust. Frid. Wiggers* Versuch einer pragmat. Darstellung des Augustinismus und Pelagianismus (Hamburg. 1833—34. II. 8.) T. I. p. 7. sq. — *Singulares* in singularia S. Augustini opera scripserunt *commentarios*, et in libros quidem *De civitate Dei*, *Jo. Lud. de Vives*, Basil. 1522. f.; in librum *De haeresibus*, *Lamb. Danaeus*, Genev. 1576. 8, et *Laur. Cozza*, Rom. 1707. f.; in *Lib. de catechiz. rudibus*, *Jo. Bened. Carpzovius*, Lips. 1688. 4; in *Libb. contra Julianum Pelagianum*, *Claud. Menardus*, Par. 1617. 8; in *Epistt. S. Augustini*, *Seb. Tillemontius* in edit. gallica interprete *Du Bois* evulgata Paris. 1684. II. f. — Novissime seorsim lucem adspexerunt *S. Aug. Confessionum libb. XIII*, c. Praefat. *Aug. Neander*, Berol. 1823. 8; *Libb. XXII de civitate Dei*, ed. stereotyp. Lips. 1825. 8; *De spiritu et litera ad Marcellinum*, c. praefat. *Herm. Olshausen*, Regiomont. 1826. 8. — Singularia denique D. Augustini opuscula in *versione German.* c. annott. passim ediderunt *Frid. Leop. C. de Stolberg* Von der wahren Religion, et Von den Sitten der katholischen Kirche, Monaster. 1803. 8; *A. Groeninger* Betrachtungen, Selbstgespräche und Enchiridion an Laurentius, Monast. 1804. 8.; *J. Widmer* Von der Freiheit des menschlichen Willens und der göttl. Gnade, Lucern. 1824. II. 8; *Idem* Von dem Nutzen des christlichen Glaubens, Fluel. 1825. 8; *J. Waldeck* Ueber die Bergpredigt des Herrn, Monaster. 1827. 8. (Edit. II.); *Jo. P. Silbert* XXII Bücher von der Stadt Gottes, Vienn. 1827. II.

8; *Ph. Lichter* Enchiridion, Mogunt. 1828. 8; *Idem* Christl. Unterweisung (zum Verständniß der heil. Schriften), Coblenz. 1829. 8; *(J. P. Silbert)* Augustins Bekenntnisse, Edit. III. Vienn. (Mechitar.) 1831. 12; *W. Arnold* et *M. Heuser* Augustins Nachtgedanken, Trevir. 1833. 8.

ee. De SS. PP. et Scriptt. Seculi V.

§. 248. *PAULI OROSII* vitam pertractarunt *Dan. W. Mollerus* in *Diss. de Paulo Orosio*, Altorf. 1689. 4. — *Withof* in *Relatt. Duisbergenss.* (Duisbg. 1762.) Nr. 47. 52. — Orosii *Opera* doctissimis notis illustravit *Sigeb. Havercamp*, Lugd. Bat. 1738. 4, quae editio etiam *Fr. Fabricii* et *Lud. Lautii* Notas critt. exhibet. — — De *SYNESIO CYREN.* scripserunt *Luc. Holstenius* in *Diss. de Synesio et fuga episcopatus*, quae *Evagrii* Historiae eccl. ex ed. *Valesii* (Paris. 1673. f.) adjecta est; *C. Chr. Woog Historia de Synesio Episcopo et Evagrio Philosopho*, Lips. 1758. 4; et *Clem. Theod. Klausen De Synesio Philosopho* etc. Commentt., Hafn. 1831. 8. — — De *PALLADII HELENOPOLITANI vita fatisque* extat Disp. *Jo. Chph. Martini*, Altorf. 1757. 4; — Palladii *Historiam Lausiacam* notis illustratam edidit *Jo. Meursius*, Lugd. Bat. 1616. 4. — — *SEDULII Poëmata* notis instructa ed. *Chph. Cellarius*, Halae 1704. 8. — — *THEODOTI ANCYRANI Lib. adv. Nestorium* c. notis ed. *Fr. Combefisius*, Paris. 1675. 8. — — De *SULPICIO SEVERO* exponunt *Notae*, quas in Ejus *Historiam sacram* scripserunt *Petrus Galesinius* Mediolanensis, Rom. 1564. f.; *Car. Sigonius*, Bonon. 1581. 8; *Jo. Drusius*, Arnheim. 1607. 8. — Praesertim *Dan. W. Molleri Diss. de Sulpicio Severo*, Altorf. 1686. 4. — *Jo. Clerici Remarques sur la vie et les ouvrages de Sulpice Sévere*, in Ej. Biblioth. choisie T. XX. p. 325; et Ejusd. *Notae* breves in Sulpicii Epistolas, Lips. 1709. 8. — *Tricautii Abbatis Diss. de vita et scriptis Sulpicii*, Lugd. 1719. 4. — *Hieron. de Prato Vita Sulpicii*, praemissa Opp. Sulp. Severi, ed. Rom. 1741. II. 4; insunt huic editioni variae

ejusdem viri docti *notae*, *observatt.* et *dissertationes* admodum prolixae. — — *MARII MERCATORIS vitam* literis mandaverunt *Jo. Garnerius* et *Steph. Baluzius* in Mercatoris Opp., quae ille (adjecto *LEPORII Libello emendationis*) Paris. 1673. f., hic autem ibid. 1684. 8, uterque *notis* cum historicis tum philologicis illustrata edidit. — Adde *Rigberti* (i. e. *Gabr. Gerberonii*) *Acta Marii Mercatoris, S. Augustini discipuli*, variis notis explicata, Bruxell. 1673. 12. — — Ad *S. CYRILLUM ALEXANDRINUM* respiciunt *Bollandi vita S. Cyrilli Alex.* ex variis auctoribus congesta, in Actt. SS. ad 28. Janu. p. 843. — *Cas. Oudini Diss. de vita et scriptis S. Cyrilli Alex.*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1007. — *H. Benzelii Vindiciae Cyrilli Alex., Gfr. Arnoldo oppositae*, in Syntagm. Dissertatt. academm. T. II. p. 375. — — *THEODORETI vitam* et *opera* illustrant *Vict. Strigelii Vita Theodoreti* ex Evagrio, Nicephoro, Gennadio etc. auctoribus collecta, unac. interpretatione lat. Dialogorum Theodoreti, Lips. 1568. 8. — *Henr. Valesii* et *Guil. Readingi Notae in Theodoreti etc. Histor. eccl.* (vd. §. 246. s. v. *EUSEBII* Pamphili). — *Jac. Sirmondi Vita Theodoreti* ex Ejus Epistolis potissimum concinnata; et *Jo. Garnerii Dissertt. V*, in Opp. Theodoreti a Sirmondo et Garnerio ed. (Paris. 1642—1684. V. f.) T. I. init. et T. V. p. 109. — *Cas. Oudini Diss. de vita et operibus Theodoreti*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1051. — *Jo. Lud. Schulze Diss. de vita Theodoreti*, in ejus editione Opp. Theodoreti, T. I. — *F. A. Holzhausen Comment. de fontibus, quibus Socrates, Sozomenus et Theodoretus in scribenda Hist. sacra usi sint*, adjuncta eorum epicrisi, Goetting. 1825. 4. — — *S. JOANNIS CASSIANI vitam et doctrinam* illustrarunt *Alard. Gazaei Praefatio* ad Cassiani Opp., quae ab ipso edita sunt cum notis amplissimis, Duaci 1616. II. 8, Atrebati 1628. f. — *Guil. Cuperi Diss. de Joanne Cassiano*, in Actt. SS. m. Jul. T. V. p. 458. — *J. Bpt. Quesnay Cassianus illustratus* s. Chronologia vitae Jo. Cassiani, Lugd.

1652. 4. — *Cas. Oudini Dissert. de vita, scriptis et doctrina Jo. Cassiani Semipelagianorum principis*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1133. — *Gust. Fr. Wiggers Commentatt. III de Joanne Massiliensi, qui Semipelagianismi auctor vulgo perhibetur*, Rostok 1824. sq. 4. — Cf. *J. Geffken Historia Semipelagianismi antiquissima*, Goetting. 1826. 4. — — *S. HILARII ARELATENSIS vita* auctore *S. Honorato* Episcopo Massiliensi extat in editione Opp. S. Leonis M. cur. *Quesnelli* T. I. p. 361; et *Apologia pro S. Hilario*, ibid. T. II. p. 228. — Cf. etiam *Cas. Oudini Diss. de vita, scriptis et doctrina Hilarii Arel.*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1221. — *Jo. Salinasii Notae* et *Observatt.* in Hilarii Arelat. (et Vincentii Lerin.) Opuscula, Rom. 1731. 8. — — *S. EUCHERII*, Lugdunensis Episcopi, quae extant Opera recensita et illustrata sunt ab *Andr. Schotto*, in Biblioth. PP. Colon. T. V. P. I. p. 543. — — *S. ISIDORI PELUSIOTAE vitam et scripta* recenset *Gfr. Henschenii Comment. hist. de S. Isidoro Pelusiota*, in Actt. SS. m. Febr. T. I. p. 468. — *Conr. Rittershusii Notae* et *Commentarii* in Isidori Pelus. Epistolas, Heidelberg. 1605. f. — *Petri Possini Isidorianae Collationes*, quibus S. Isidori Pelus. Epistolae omnes c. multis antiqq. Mss. Codd. comparantur, et circ. bis mille locis supplentur et emendantur, Rom. 1670. 8. — *Chr. Aug. Heumanni Diss. de Isidoro Pelus. et ejus Epistolis*, Goetting. 1737. 4. — *H. A. Niemeyer De Isidori Pelus. vita, scriptis et doctrina*, Halae 1825. 8. — *Jo. Sev. Vater* Ueber die Briefe des Isidorus vom Pelusium; in *C. Fr. Staeudlin, H. H. Tzschirner* et *Jo. Severin. Vater* Kirchenhist. Archiv, ao. 1825. P. II. p. 197. — — De *NONNO* disseruit *Jonath. A. Weichert De Nonno Panopolitano*, Vitemb. 1810. 4. — Cf. *L. F. Ott. Baumgarten-Crusii Specilegium Observationum* in Joann. Evangelium e Nonni Metaphrasi, Jenae 1825. 4. — *Fr. Passow Specimen novae editionis Evang. Joannis a Nonno versibus adstricti*, Vratislav. 1828. — — *S. PETRI CHRYSO-*

LOGI vita a *Dominico Mitra* descripta est in edit. Opp. Chrysologi, a *Seb. Paulo*, Clerico Congreg. Matris Dei Lucensi, adornata Venet. 1750. f. — — De *S. VINCENTIO LIRINENSI* notitias adfert *G. Calixti Dissertatio*, quam suae editioni *Commonitorii* adjecit, Helmstad. 1655. 4. — *Cas. Oudini Diss. de doctrina et operibus S. Vinc. Lerin.*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1231. — Cf. *Jo. Salinasii Nott. et Observatt.* in Vincentii Lirin. Opuscul., ed. unac. Opp. *S. Hilarii Arelat.* Rom. 1731. 8. — *Engelb. Klüpfel Prolegomena* in suam edit. *Commonitorii* (Vienn. 1809. 8.) p. 15. — *G. Fr. Wiggers* Diss. Pragm. Darstellung des Augustinismus und Pelagianismus. T. II. p. 208. — — *S. HONORATI* Massiliensis (unac. *S. Prosperi* Aquit.) *Opera* notis et observationibus illustrata sunt in editione, quam curavit *Jo. Salinasius*, Rom. 1732. 8. — — De *S. PROSPERO AQUITANICO* notitias adstruit *Cas. Oudini Dissert. de doctrina et scriptis S. Prosperi Aquit.*, in Ej. Scriptt. eccl. T. I. p. 1175. — Cf. *Anonymi Observatt. in Prosperi Chronicon integrum* etc. a Brucherio ed. Amstelod. 1733. 4. — — *S. LEONIS MAGNI Opera* dilucitant *Petr. Thomae Cacciari Exercitationes* in Leonis opera, Rom. 1753. f. — *Textum* autem Opp. Leonis optime emendarunt, notisque egregie illustrarunt *Petr. et Hieron. Ballerini*, Venet. 1755—57. III. f. — In Leonis *vitam* commentati sunt *Pasch. Quesnellus* in *Dissert. de vita et reb. gestis S. Leonis M.*, in sua editione Ejus Opp. T. II. p. 131. — *Lud. Maimburgius* in *Histoire du Pontificat de S. Leon le grand*, Paris. 1687. 4. — Cf. *Petr. Canisii Vita Leonis M.* c. Commentario praevio et Annotatt. *Gfr. Henschenii*, in Actt. SS. m. April. T. II. p. 14. — *Historia elevati et translati corporis S. Leonis* e Mss. Catal. Eccl. S. Petri, ibid. p. 21. — *W. A. Arendt* Leo der Große und seine Zeit, Mogunt. 1835. 8. — — De *S. MAXIMI TAURINENSIS* vita commentatus est *Victorius Amadaeus (Bruno Bruni)* in sua edit. Opp. S. Maximi, Rom. 1784. f. — — *SIDONII*

Arvernensis *Opera* notis illustr. ediderunt *Jo. Wowerus*, Hanov. 1617. 8; et *Jac. Sirmondus*, Par. 1652. 4. — — *VICTORIS VITENSIS* et *VIGILII TAPSENSIS* Opp. notis et dissertationibus illustrata sunt a *Petr. Fr. Chiffleto*, Divione 1664. 4. — — *S. AVITI Vita* e vett. Mss. *incerti auctoris* excusa, in Actt. SS. m. Febr. T. I. p. 660. — Aviti *Opera* c. nott. ediderunt *Joach. Zehnerus*, Lips. 1604. 8; *Jac. Sirmond.* Paris. 1643. 8. — Cf. etiam *Polyc. Leyseri Hist. Poëtarum medii aevi*, p. 85. sq.

ff. De Patribus et Scriptoribus Seculi VI.

§. 249. De *BOETHIO* optime consuluntur *Petri Bertii Praefatio* ad Anicii Manlii Torquati Severini Boëthii *Libros V de consolat. philosophiae*, Lugd. Batav. 1633. 16. — *Dan. Papebrochii Comm. hist.*, *quo agitur de Symmacho et Severino Boëthio*, in Actt. SS. m. Maii T. VI. p. 702. — *Jo. Clerici Vie de Boëce, avec la critique de ses ouvrages*, in Biblioth. choisie. T. XVI. p. 194. — *(Gervaisii Abbatis) Histoire de Boëce avec l'analyse de touts ses ouvrages, des notes et des dissertations historiques et theologiques*, Paris. 1715. V. 12. — *Jo. Thd. Benj. Helfrecht Vita Boëthii*, praefixa Ej. Editioni libri Boëthii *De consolatione philosophiae*, Curiae 1797. 8. — *Heyne Censura ingenii et morum Boëthii* c. Memorabilibus ex Ejus Scriptis. Goetting. 1806. — — De *PROCOPIO GAZAEO* cf. *Choricii Sophistae Orat. funebr. in Procopium Gazaeum* ex interpretat. *Jo. Chr. Wolfii*, in Jo. Alb. Fabricii Biblioth. T. V. c. 31. — *Jo. Chr. G. Ernesti De Procopii Gazaei Commentariis graecis in Heptateuchum et Canticum ineditis*, Lips. 1785. 4. — — *S. FULGENTII RUSPENS. Vita* a quodam Ejus discipulo (quem *Fulgentium Ferrandum* plerique putant esse) conscripta extat in Actt. SS. m. Janu. T. I. p. 32. — — *S. CAESARII ARELAT. Vita* conscripta a *Cypriano* quodam ejus *discipulo*, *Massiano presbytero* et *Stephano diacono*, ext. in Laur. *Surii* Vitt. SS. d. 27.

Aug. p. 284. — *Cas. Oudini Diss. de vita et scriptis S. Caesarii Arelat.*, in Ej. Comm. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1339. — Cf. Ejusd. vit. in *Jo. Mabillonii* Actt. SS. O. S. Bened. Sec. I. p. 659. — *Homilias* Caesarii c. nott. et varr. lectt. ed. *Steph. Baluzius*, Par. 1669. 8. — — *S. ENNODII* Episcopi Ticinensis *Vita* descripta a *Jac. Sirmondo* extat in Actt. SS. m. Jul. T. IV. p. 271. — Cf. etiam *Notas*, quas scripserunt in editt. Opp. Ennodii *Andr. Schottus*, Tornaci 1610. 8; et *Jac. Sirmondus*, Paris. 1611. 8. — — *FULGENTII FERRANDI Opp.* c. notis et dissertatt. edita sunt a *P. Fr. Chiffleto*, Divione 1649. 4. — — In *CASSIODORI* lectione adhibenda est *Jo. Cuspiniani Vita M. Aurelii Cassiodori*, praemissa Cassiodori *Chronico*, quam Cuspinianus c. commentario edidit Francof. 1601. f. — *Jo. Garetii Magni Aurel. Cassiodori Vita*, praefixa Operibus Ejusd. a Garetio editis Rothomag. 1679. II. f., ubi legitur etiam Garetii *alia Diss. de Cassiodori vita monastica.* — *Dan. W. Molleri Diss. de Magn. Aur. Cassiodoro*, Altorf. 1686. 4. — *Dion. Sammarthani* (de Sainte Marthe) *Vie de Cassiodore*, Paris. 1694. 12. — *C. F. Staeudlin* Cassiodorus, in Staeudlin, Tzschirner et Vater Kirchenhistor. Archiv, Lips. pro ao. 1825. p. 259. — — *LIBERATI Breviarium* causae Nestorianorum cum notis ed. *Jo. Garnerius* S. J. Presb. Paris. 1675. 8. — — De *S. ANASTASIO SINAITA* seniore notitiam suppeditat *Jac. Basnagii Observat. de duplici Anastasio Antiocheno et Sinaita*, in Canisii Lectt. antiqq. ed. Basnag. T. I. p. 433. — — De *LEONTIO BYZANTINO* scripserunt *Observationes Henr. Canisius* et *Jac. Basnagius*; extant utriusque scripta in Canisii Lectt. antiqq. ed. laud. T. I. p. 529. 531. — — *S. GREGORII TURONENSIS Vita* ex ipsius potissimum scriptis congesta est per *Odonem Abbatem (Cluniacensem)*, quae c. aliis ad hujus S. Gregorii historiam pertinentibus inest *Theod. Ruinarti* editioni *Opp. S. Gregorii Turon.* Lut. Paris. 1699. f. — Cf. *C. G. Kries De Gregorii Turon. vita et scriptis*, Vratislav. 1839. 8. — — De *VENANTIO*

FORTUNATO legesis *Chph. Broweri Vitam Venantii Honorii Clement. Fortunati*, in Ejusd. Broweri edit. *Opp. Venant. Fortunati*, Mogunt. 1603. 4. — — De *S. GREGORIO MAGNO* optime consuluntur *Pauli Diaconi* Monachi Casinensis *Vita S. Gregorii Papae*, in *Opp. Gregorii* ed. Maurina (per *Dion. de Sainte Marthe*, Paris. 1705. IV. f.) T. IV. P. II. col. 1. — *Joannis*, Monachi Casinensis ac postea Eccl. Rom. Diaconi, *Vitae S. Gregorii P. Libb. IV*, ibid. col. 19. — *Dionys. Sammarthani Historia S. Greg. M.* ex Ejus potissimum scriptis adornata, ibid. col. 199. — *Anonymi Vita S. Gregorii M.*, ab *Henr. Canisio* primum in lucem edita, c. *Jac. Basnagii* Observatt. in Canisii Lectt. antiqq. ed. Basnagii T. II. p. 251. — *Zachariae* sedis incertae Episcopi *Sermo de S. Gregorio M.*, in *Pezii* Thesaur. nov. Anecdd. T. IV. P. II. p. 16. — *Lud. Maimburgii Histoire du Pontificat de S. Grégiore le grand.* Par. 1686. 4. — *Cas. Oudini Diss. de vita, indole, doctrina et scriptis genuinis et spuriis S. Greg. M.*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1491. — *Franc. dal Pozzo Istoria della vita et del pontificato di S. Gregorio M.*, Rom. 1750. 4. — *E. F. Wernsdorf Progr. de Columba Gregorii M. in auriculam ei insusurrante*, Vitemb. 1780. 4. — *Gust. F. Wiggers Comment. de Gregorio M. Ejusque placitis anthropologicis*, Rostoch. 1838. 4. — Fuere, qui *Pauli Diaconi* supra memorati sententiam, *Monachum O. S. B. fuisse Gregorium*, impugnarunt, et in his praesertim *Baronius* in *Annalibus suis eccl.* ad a. Chr. 581 n. 9. sq., et *Ant. Gallonius* in *Libro apolog. pro assertis in Baronii Annalibus de Monachatu Gregorii*, Rom. 1604. Sententiam autem illam tueri adnisi sunt *Constant. Bellotus, Const. Cajetanus, Matth. Lauretus, Henr. Zypaeus*, et inprimis *Jo. Mabillonius*, qui scripsit *Vindicias Vitae Gregorianae Paulum Diaconum auctorem praeseferentis*, in Ej. Vett. Analectt. (Paris. 1723. f.) p. 498; et dissertationem *De monastica vita Gregorii M.*, ibid. p. 513.

gg. *De SS. PP. et Scriptt. praestantissimis Sec. VII et reliqq.*

§. 250. *Vitam S. ISIDORI HISPAL.* literis consignarunt *Braulio* Isidori amicus et Episcop. Caesaraugust.; et *Canonicus quidam regularis* Coenobii Legionensis (forte *Lucas* postea Episc. Tudensis) c. Comment. praevio et notis *Gfr. Henschenii;* utraque in Actt. SS. m. April. T. I. p. 327. 330. — Cf. *Cas. Oudini Dissert. de scriptis Isid. Hispal.*, in Comment. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1581. — *Faustini Arevali Isidoriana*, praemissa Operibus S. Isidori ab ipso editis, Rom. 1797—1803. VII. 4. — — *De vita et obitu S. BEDAE VENERABILIS* scripsit *Cuthbertus Monachus*, in Actt. SS. m. Maji T. VI. p. 718: cf. *Mabillonii* Actt. SS. Ord. Bened. Secl. III. T. I. p. 534. — *Cas. Oudini Diss. de scriptis Venerab. Bedae Presb. et Mon.*, in Ej. Comm. de Scriptt. eccl. T. I. p. 1681. — *H. Gehle De Bedae Venerab. vita et scriptis*, Lugd. Bat. 1839. 8. — — *S. JOANNIS DAMASCENI* res illustrant *Joannis Hierosol. Vita S. Joannis Damasceni*, c. emend. et nott. in edit. Opp. S. Damasceni cur. *Mich. Le Quien* (Par. 1711. II. f.) T. I. et c. notis *Dan. Papebrochii* in Actt. SS. m. Maji. T. II. p. 111. 723. — *Constantini Acropolitae Sermo de Joanne Damasceno* ex versione *J. Fr. de Rubeis* ed. ibid. p. 731. *Anonymi Narratio de vita et conversatione Jo. Damasceni*, in Le Quieni ed. Opp. Damasc. T. I. — *J. Allatii Commentatio de Joanne Damasc.*, et *Mich. le Quien Dissertatt. Damascenianae;* ibid. — — *B. FLACCI ALCUINI Opera* c. admonitt. praeviis ac dissert. edidit *Frobenius* (*Forster*, Abbas ad S. Emmeran. Ratisbonensis) Ratisb. 1777. II Ti. (III Vol.) f. — Cf. *Fr. Lorentz* Alkuins Leben, Halae 1829. 8. — — *S. THEODORI STUDITAE Vita* a *Mich. Studita* Theodori discipulo (sed ea nondum typis expressa est). — *Naucratii* Confessoris *Encyclica de obitu S. Theodori Studitae*, in Biblioth. PP. Lugdun. T. XIV. p. 903. — *Alia* ejusdem S. Patris vita *ab incerto auctore*, edita ab *Jos. de la Baune* gr.

et lat. unac. *Sirmondi* Opp. (Paris. 1696. f.) T. V. — — *RABANI MAURI Vita* descripta a *Joanne Trithemio*, in Rabani Opp. ed. *Ge. Colvenerii* (Colon. 1627. VI. f.) T. I. p. 9. — Cf. *Actt. SS.* m. Febr. T. I. p. 500; et *J. F. Schannat Hist. Fuldens*, (Francof. 1729. f.) T. I. p. 100. sq. — — *PHOTII* res illustrant *Scriptt. Historiae eccl.* cum veteres tum recentiores; item *Cas. Oudinus* in Comment. de Scriptt. eccl. T. II. p. 200. — — *S. PETRI DAMIANI Vita per Joannem Monachum* Ejus discipulum extat c. *Henschenii* Commentar. et Notis in Actt. SS. m. Febr. T. III. p. 406; et c. *Mabillonii* nott. in Actt. SS. Ord. S. Benedicti Secl. VI. P. II. p. 245. — Cf. *Cas. Oudini Diss. de Scriptis Petri Damiani*, in Ej. Scriptt. eccl. T. II. p. 686. — — *LANFRANCI Vitam* scripserunt *Eadmerus* Monachus primum Beccensis dein Cantuariensis, et *Milo Crispinus* Cantor Beccensis; in Actt. SS. m. Maji. T. VI. p. 833, et in *Mabillonii* Act. SS. Ord. S. Bened. Sec. VI. P. II. p. 630. — *Opp.* Lanfranci c. nott. et observatt. edidit *Luc. Dacherius* Par. 1648. f. — — De *JOANNE SCOTO ERIGENA* novissime edid. libellum *F. A. Staudenmayer* Erigena und die Wissenschaft seiner Zeit, Francof. 1833. 8. — Cf. *Hjort* Johannes Scotus Erigena, (§. 237. fin.). — — De *S. ANSELMO* nobis suppeditat *Eadmeri* discipuli ejus *Vita S. Anselmi*; in Actt. SS. m. April. T. II. p. 685, et in Anselmi Opp. ed. *Gabr. Gerberonii*. — Cf. etiam Anselm, Erzbischof von Canterbury, in Drey etc. Tübinger theologische Quartalschr. Tubing. ao. 1827. p. 435. sq. — — De *HUGONE VICTORINO* scripsit *A. Liebner*: Hugo von St. Victor und die theolog. Richtung seiner Zeit, Lips. 1832. 8. — — De *RICHARDO VICTORINO* commentatus est *J. G. V. Engelhardt* Richard von St. Victor etc. Erlang. 1838 8. — — De *PETRO LOMBARDO* Sententiarum Magistro Dissertatio extat *Cas. Oudini*, in Comment. de Scriptt. eccl. T. II. p. 1218. — — *S. BERNARDI* Abb. Claraevallensis *Vita et res gestae* Libris septem a variis auctoribus conscriptae exhibentur

in Bernardi Opp. ex edit. *Jo. Mabillonii* (Paris. 1667. II. f.) T. II. p. 1076. — *Philothei* Monachi *De vita et moribus S. Bernardi*, carmen encomisticum, ibid. p. 1310. — *Gaufridi* Abbatis *Sermo in anniversario obitus S. Bernardi*, ibid. p. 1326. — *Alani* Episc. Autissiodorensis *Vita Bernardi* ad Pontium Abbatem Claraevall. scripta, ibid. p. 1252. — *Philippi de S. Jo. Bapt. Vita del divoto et mellifluo Dottore Bernardo*, Neap. 1634. 4. — *La vie de S. Bernard, divisée en six livres*, quorum tres priores de vita, tres autem posteriores de scriptis Bernardi exponunt, Paris. 1684. 8. — *De Villefore Vie de S. Bernard*, Paris. 1704. 4. — *Petri Magagnotti Vita S. Bernardi* (nimirum septem illi variorum auctorum libri supra memorati) *in ling. italic. translata*, sed novis accessionibus aucta, Patav. 1744. 4. — *A. Neander* Der heil. Bernhard und sein Zeitalter, Berolini. 1813. 8. — *Synopsin* operum S. Bernardi edidit *Phil. Jac. Steyrer*, Abbas monasterii S. Petri in Sylva nigra sub titulo: *Medulla opp. omn. S. Bernardi collecta et in VI libros distributa*, Frib. Brisgov. 1779. 8. — — *INNOCENTII III. vitam* illustravit *Fr. Hurter* in opere bipartito c. inscriptione Papst Innocens III. und seine Zeitgenossen, Hamburg. 1834. II. 8. — — *S. BONAVENTURAE Vitam* exhibent Actt. SS. m. Jul. T. III. p. 838; c. Comment. praev., ib. p. 811. — *Cas. Oudini Diss. de scriptt. S. Bonaventurae*, in Comment. de Scriptt. eccl. T. III. p. 372. — *Bened. Bonelli a Cavalesio Prodromus ad Opp. omn. S. Bonav.*, Libb. VIII complectens, Bassani 1767. f., quo plura Sancto Doctori restituuntur, quae Oudinus temere inter supposititia rejecerat. — — De *S. THOMA AQUINATE* agunt *Guil. de Thoco Vita S. Thomae Aquin.*, in Actt. SS. m. Mart. T. I. p. 657. — *Cas. Oudini Diss. de scriptis S. Thomae Angelico Doctori attributis*, in Ej. Comment. de Scriptt. eccl. T. III. p. 234. — *Bern. de Rubeis De fabula monachatus Benedictini D. Thomae Aquinatis* etc. Ed. auctior Venet. 1746. 4; Ejusdem *Dissertt. XXX criticae et apologeticae*,

ibid. 1750. f.; utraque pars in editionem *Opp. S. Thomae* (Ed. altera Venet. 1745—1760. XXVII. 4.) recepta est, ubi etiam *Thomae Vita s. Elog. a Jac. Echard* diligentissime concinnata, et *Bern. de Rubeis* in singula opera *admonitiones praeviae* leguntur. — Cf. *D. Feigerle Hist. vitae* SS. Thomae a Villanova, *Thomae Aquinatis* et Laur. Justiniani, in usum cleri adornat., Vienn. 1839. 8.

Caput II.

Regulae in ipsa PP. lectione observandae.

I. Regulae generales.

1. Lectio attenta sit et iterata et collectaneis mandata.

§. 251. Qui, ut supra monitum est, bene praeparatus ad Patrum lectionem accedit, non solum in *lingua originali*, qua scripti sunt, libros adhibeat (§. 235.), et in eligendis Patribus *ordinem* quendam observet (239.); sed etiam, quidquid ad manus sumit, *attente et a capite usque ad calcem legat relegatque;* attamen caveat, ne nimium una vice prosequatur, et prolixa et immodica lectione disturbet atque obruat potius, quam erudiat animum. Cum porro nullius hominis memoria adeo felix sit, ut textus Patrum saepe longiores retineat, aut in voluminosis eorum operibus ad nutum, ubi opus fuerit, inveniat; necesse est, ut *lecta adnotentur* conscribendo *indices reales*, quas dicimus, vel conspectus materiarum secundum ordinem alphabeticum, aut etiam adornandis *collectaneis* et *excerptis*. Bene in hanc rem *Andr. Hyperius: Quisquis*, ait, *SS. Patrum evolvit commentarios, minime praetermittet astericis vel obelis insignire, aut potius commendare memoriae (si cui ea tanta est); vel, quod*

multo est praestabilius, in librum locorum communium, quos sibi ipse congerit, transcribere, quaecunque hinc inde occurrunt ad rectam institutionem vitae propriae, seu ad docendum consulendumque aliis utilia [1]).

2. sit ad sensum, non ad verba solum, directa.

§. 252. Nec in eo acquiescat lector, ut sola *verba* intelligat, sed *vim* quoque eruat *et sensum verborum*; inde verba *in contextu* sumat, et ad illud inprimis, quod ipsi Patres intendebant dicere, seu *ad scopum*, ad quem tota collimat oratio, attendat, seduloque videat, num S. Pater *ex propria mente* an ex *aliena* loquatur; num id, quod de sua promit, *simpliciter ac diserte*, an forte *dubitanter* et in modum *conjecturae* adserat. Maxime vero ingenuus ac proprius de re aliqua sensus erui potest ex illis locis, in quibus auctor *data opera* et quasi *ex professo* rem inquisivit, cum in reliquis securius fortasse locutus, atque hinc inde etiam hallucinatus sit. Qui itaque omnia verba ad summum Grammatices apicem exigere, et paritates praesertim ultra scopum urgere vellet, nae is a vero Patrum verborum sensu saepissime aberraret. Inde sapienter *Theodoretus* in *Dial. III. adv. haeres.* monet, Patres interdum etiam *modum excessisse*, quum adversus Ecclesiae hostes dimicarent. *Quod ipsum*, ait, *agricolis quoque stirpium cultoribus usu venit, qui, cum incurvatam aliquam plantam viderint, non solum ad rectam normam eam erigunt, sed etiam ultra directam in partem alteram inflectunt, ut ex vehementiore in contrarium inclinatione ad rectum statum perducatur. Sed caveat lector, ne statim hac interpretatione in exponendo duriori loco utatur.* Sunt enim (ut exemplum afferam), qui etiam *S. Augustinum* disputationis aestu abreptum *expressionibus rigidis ultra, quam par est*, gratiam Dei evexisse et liberum hominis suppressisse arbitrium dicant. Minime vero. Cum enim Patres subinde ita haereses impugnasse fatemur, ut

1) De Theologo s. de ratione studii theologici Lib. IV, cap. 10. p. 740.

in contrarias propemodum abiisse viderentur, hoc eo potissimum tempore evenit, quo oppositus hic error nondum in Ecclesia invenerat sectatores; aliter res *D. Augustini* fuit. *Is enim*, ut recte observavit *Tobenzius* in Institt. PP. saepius laudatis c. CCXXXI p. 98. (Edit. III.), *si plus justo gratiam Dei extulisset, Manichaeos juvisset, omnia adserentes necessitate fieri; sive nimium libero tribuisset arbitrio, Pelagianis favisset, quos debellatum ibat. Ergo in medio consistere necesse habuit, qui ab utroque extremo pariter sibi cavere debebat.* Nec juvat provocare ad locum istum, qui *Parvulos in originali peccato decendentes poenam ignis sustinere* edidisserit. Dicit *S. Thomas Aquinas*, haec Augustini verba *latiori sensu* pro *damnatione* esse accipienda; *Bonaventura* autem D. Doctorem *plus dixisse* sed *minus intelligi voluisse* reponit. Utut haec verba accipias, non desunt magni nominis viri docti, qui ea *stricte* sumta veram S. Scripturae doctrinam continere arbitrentur. At vero haec de poena Parvulorum baptismo non accepto morientium controversia ejus generis quaestio est, in qua, etiamsi plus justo dixisset Augustinus, non tamen *in materia praedestinationis*, *gratiae et liberi arbitrii* excessive scripsisse arguendus esset. Ceterum hodie neminem latet, *Librum de fide ad Petrum*, ex quo ille locus acriter vexatus desumtus est, *non Augustinum* habere auctorem *sed S. Fulgentium Ruspensem* (vd. §. 172.).

a. et sensum quidem maxime popularem et obvium respiciens.

§. **253.** Verba Patrum *in sensu eorum populari et obvio* accipienda sunt. Hic canon, ut in ceteris auctoribus, ita etiam in Patribus interpretandis fundamentum constituit. Cum enim scriberent, ut a legentibus intelligerentur, ad id lege naturae adstricti erant, ut illam verbis suis significationem tribuerent, qua a reliquis hominibus accipiantur. Quoniam autem sensus verborum non *idem* semper est, minus, quid *nunc* significent verba, lec-

torem oportet attendere, quam quid significaverint *illa aetate*, qua proferebantur; id quod optime ex coaevis Scriptoribus discimus. Neque in Patribus latinis a tertio deinceps seculo ea semper cum verbis notio jugenda est, quae ab aurei aevi auctoribus aut a recentissimis etiam temporibus usurpata fuit. Ad hoc *Glossaria* (§. 235.) magno usui sunt. Sic e. gr. *fabulae* nomen communi nunc nostri temporis usu fictionem denotat; vox *plerique* aurea aetate idem ac nostrum Die Meisten sonabat. Ubi vero *S. Hieronymus* in Lib. II. contra Rufinum id, quod de *Beel* et *Dracone* apud Danielem prophetam legitur, *fabulam* vocat [1]); et in Catal. Scriptt. eccles. *S. Petri secundam Epistolam genuinam esse plerosque negare* dicit [2]); probe memineris, quod ei fabula nihil aliud ac *historia*, et plerique idem quod *nonnulli* sonaverit. Sed eave, notionem *terminorum ecclesiasticorum*, quibus Patres tanquam *technicis* utebantur, ne aliunde quam ab aliis item *ecclesiasticis* Scriptoribus depromas. Terminorum enim, quos technicos vocamus, is sensus obvius est, quem ars aut scientia, quam auctor profitetur, eisdem attribuit. Sic Patres graeci, dum *soli Deo esse revelanda peccata* dicunt, tantum abest, ut homini eadem confitenda negent, ut potius proprie *auricularem confessionem*, remotis nimirum testibus, significare velint. Et cum etiam ejusmodi technici termini notionem subinde mutaverint, iis temporis quoque ratio habenda est; quemadmodum e. gr. vocabulum *hypostasis* Antiquissimis *naturam* quandoque designat, post Nicaenum autem concilium constanter *personae* habuit significatum. Denique observandum est, quod Patres in usurpandis nonnullis vocibus quandoque minus attenderint ad *propriam communemque* significationem, quam ad notionem ab *Adversariis* iis subjectam; qui usus v. gr. in *S. Cyrilli* disputationibus contra Nestorianos satis apparet.

---

1) in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 431.
2) ibid. col. 101.

b. et adhibita interpretatione regulariter declarativa.

§. 254. Interpretatio igitur sive determinatio sensus verborum regulariter *declarativa* esse debet, quae nempe verba ita accipit, ut nec minus nec latius pateant mente loquentis. Siquod autem verbum Patris in hoc sensu naturali obvioque sumtum *erroris* eum arguat aut *contradictionis*, *benigna interpretatione* temperandum est; cum praesertim tunc temporis, quo scripsit Pater, materia ista nondum satis eliquata, necdum authentice quaestio definita fuerit. Hinc *S. Hieronymus* in *Apol. adv. Rufin. Lib. II* de Patribus Ante-Nicaenis verba faciens: *Certe*, inquit, *antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute* (de Filio Dei) *loquuti sunt, et quae non possint perversorum hominum calumniam declinare* [1]). Quid mirum enim, si securius adeoque minus curate scripserint, cum a Catholicis sese rite intelligi putaverint, adversarii vero, controversiis istis nondum motis, non adfuerint, qui verba eorum in crisin severiorem vocarent. Etenim erratum fuisse tunc demum dicendum est, cum nullam in melius interpretandi rationem cognoverimus. Hac igitur benigna interpretatione uti decet, ubi erroneae sententiae sensus *clarus* i. e. unius tantum sensus capax est.

3. Loca ambigua vel obscura elucidanda

a. vel ex ejusdem Patris locis parallelis.

§. 255. *Obscure* vero aut *ambigue dicta* ex alio *ejusdem Patris clariore* loco eruenda, et proinde loca *parallela* consulenda sunt. Locus autem *obscurus* dicitur, cujus sensus aut nullus est, aut nonnisi aegre determinandus; *ambiguus* vero, qui non unius tantum sensus sed plurium capax est. Sic e. gr. *Tertullianus* in Libro de Idololatria c. 17: *Credamus*, ait, *succedere alicui* (Chri-

1) in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 411.

stiano) *posse, ut ... ne juret quidem.* Ergo Tertullianus jusjurandum *omnino illicitum* Christianis existimavit? Imo conferas cum hoc loco alium ejusdem e libro de Spectaculis c. 26, ubi *ipse juramento interposito* fidem dictis suis conciliare voluit; et alium De Idololatria c. 21, ubi de illo juramento, quod *per falsos Deos* seu *per Genium Caesaris* praestatur, se dixisse apperte declarat, et illorum loco *in Dominum responsionem nostram transferre* (i. e. Verum Deum testem invocare) urgente necessitate jubet. Ergo ubi ejusdem Patris locus alius ambiguus vel obscurus, alius autem clarus est, ex *ipso auctore* verborum sensum eruere nos oportet, cum secundum tritum *Suorum quisque verborum optimus interpres* sit. Atque unus locus Patris *ex pluribus* ejusdem, non plures *ex uno* sunt exponendi. Aequitati enim naturali consentaneum est, quod quis ea potius pro veris habuerit, quae saepius asseruit, quam quae semel dixit. Sic *S. Hierouymus* in Epist. LXXXV ad Salvinam: *Adolescentula vidua*, inquit, *quae se non potest continere vel non vult, maritum potius accipiet quam diabolum. Pulchra nimirum et appetenda res, quae Satanae comparatione suscipitur!* [1]) Haesitas, quid S. Doctor sibi velit? Annon secundas nuptias hisce verbis *prorsus damnat?* Lege sis alia Ejusdem loca, velut Epist. ad Marcellam XXVII; *Illi* (Montanistae) *in tantum putant scelerata conjugia iterata, ut, quicunque hoc fecerit, adulter habeatur ... Nos secundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus Paulo jubente* (I Timoth. V. 14.), *ut viduae adolescentulae nubant* [2]); ... Vel adi Lib. I contra Jovinianum: *Non damno Digamos, imo nec Trigamos, et (si dici potest) Octogamos* [3]); Vel Epist. XXX ad Pammachium seu Apolog. pro libb. adv. Jovinianum: *Aperiant quaeso aures obtrectatores mei, et videant, me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino* [4]);

1) in Ej. Opp. ed. Maurin. T. IV. P. II. col. 669.
2) ibid. col. 64.
3) ibid. col. 160.
4) ibid. col. 232.

Vel Comment. in Epist. ad Tit. c. I: *Scripsit et Tertullianus de Monogamia librum haereticum, quem Apostolo contraire nemo . . . ignorabit* [5]). Videbis in aprico, secundas nuptias a S. Patre minime damnatas, sed tanquam *majoris perfectionis obstaculum* recte designatas esse.

b. vel collatis aliorum Patrum sententiis.

§. 256. Et hac via interpretandum est, si locus ejusdem Patris alius ambiguus alius vero certus est. Hoc autem non semper evenit, sed accidit nonnunquam, ut *uterque locus ambiguus* sit. Tunc facta ab utraque parte amborum textuum interpretatio conferenda est, et, quae *naturae magis consentanea* apparet, eligenda. Ea enim procul dubio interpretatio verior est, quae minorem naturae verborum violentiam infert, quae nihil auctore suo indignum continet, quae auctoris scopo quam maxime congruit et cum antecedentibus ac consequentibus quam maxime cohaeret. Quodsi vero loca Patrum obscura vel ambigua neque per loca parallela, neque adhibita mitiori aliqua interpretatione elucidari possunt, ex *fide Ecclesiae*, qualis fuit eo tempore, quo S. Pater vixit, seu *ex Scriptoribus coaevis* sententia Patris exponenda est. Recte enim praesumi potest, quod viri *sanctitate* et eruditione conspicui non recesserint a *fide Ecclesiae* sui temporis, nec fieri facile potuisset, quin, si quid *contra* fidem Ecclesiae docuissent, errores isti cum perpetua ignominia *publice notati* fuerint. Hac ratione nixus jam *D. Augustinus* in Libro I contra Julianum c. 6. contendit, *verba S. Chrysostomi*, quibus peccatum originale infitiari Juliano visus est, *non ita intelligenda esse*, ut Pelagianus iste voluit, *quod nimirum reliqua catholica Ecclesia* S. Joanni Constantinopolitano coaeva aut paulo antiquior, *SS. Cyprianus, Innocentius I. Papa, Basilius M., Gregorius Naz., Hilarius Pictav., Ambrosius, cett.* peccatum originale diserte confiterentur.

5) ibid. T. IV. P. I. col. 415.

4. Loca dura ad Ecclesiae judicium conformanda.

§. 257. Denique si dura Patris alicujus sententia nulla prorsus expositione, nulla cum reliquorum Patrum sententiis comparatione emolliri queat, *cum reverentia*, quae viro cetera praestantissimo negari minime debet, *ab ea recedendum* esse noveris, monente S. *Augustino* in Epist. CXLVIII ad Fortunatum, ubi *licere nobis* ait *salva honorificentia*, quae tantis debetur hominibus, *aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere*, *si forte invenerimus*, *quod aliter senserint*, *quam veritas habeat*. Ergo, quando omnes adlatae regulae eo non valeant, ut veritas ad evidentiam liqueat, *Ecclesiae judicium* requirendum erit, cum inde demum veritas petenda sit, ubi certissime constat, nec *ignorantiae* locum esse, nec ullum *fraudi* receptum patere, nempe *ex fide Ecclesiae*, cujus est, ut Scripturae sacrae ita et Traditionis verum sensum determinare.

II. Regulae speciales.

1. in lectione operum exegeticorum.

§. 258. Primum inquirat lector, quinam Patres prae ceteris sensum *literalem* sint sectati (§§. 126. 127.); deinde scripta ea, quae *introductionis instar* et *ad enodandas difficultates* comparata sunt, *propaedeutica* nimirum et *subsidiaria* (§§. 116. 117.) pervolvat. Nec *Catenas Patrum*, quae quasi compendium laboris faciunt, adhibere dubitabit (§. 90.). Denique ut *Novi Testamenti Commentarios* (§§. 123. 124. 125.) *prius quam Veteris Testamenti Expositiones* (§§. 120. 121. 122.) perscrutetur, vix opus habeo monere. Ceterum *Graecos ante Latinos*, et *Antiquiores* utrobique *ante Recentiores* adeat, et in specie *de N. T. SS. Chrysostomum*, *Hilarium Pictav.*, *Hieronymum et Augustinum in Matthaeum*; *Gregorium M. (et Theophylactum) in Marcum*; *Chrysostomum*, *Ambrosium et Augustinum in Lucam*; *Augustinum*,

Cyrillum Alex. et *Gregorium M.* in *Joannem; Chrysostomum (et Oecumenium)* in *Acta Apostolorum; Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Hilarium Diaconum, Theodoretum, Cassiodorum, Primasium* et *Joannem Damascenum* in *Epistolas S. Pauli; Didymum, Oecumenium, Theophylactum* in *Epistolas catholicas; Aretam, Cassiodorum, Primasium, Gregorium M.* in *Apocalypsin*; de *Veteri* autem *Testamento Basilium, Gregorium Nyss.* et *Ambrosium* in *Hexaëmeron; Chrysostomum* in *Genesin; Augustinum, Cyrillum Alex., Theodoretum, Procopium Gazaeum, Isidorum Hispal.* in *Pentateuchum (Heptateuchum, Octateuchum); Theodoretum, Procopium Gazaeum* (et *Gregorium M.*) in *Libros Regum* et *Paralipomenon; Augustinum* et *Gregorium M.* in *Librum Hiob; Eusebium, Athanasium, Hilarium Pict., Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum, Theodoretum* in *Psalmos; Gregorium Thaumat., Gregorium Nyssenum, Hieronymum, Salonium* in *Ecclesiasten; Eusebium, Gregorium Nyss., Ambrosium, Gregorium M.* et *Theodoretum* in *Canticum Canticorum; Chrysostomum* in *Isaiam, Gregorium M.* in *Ezechielem, Hieronymum* et *Theodoretum* in *Isaiam, Jeremiam, Ezechielem* et *Danielem*, nec non in *omnes minores Prophetas.*

2. in scriptis dogmaticis et polemicis.

§. 259. In scriptis *dogmaticis* primum nosse oportet id genus librorum, qui de divina *Traditione* (§. 136.) exponunt. Deinde vel ad *singulos deinceps Articulos fidei* descenditur, vel *unum alterumve* tantum pro fine lectoris dogma attenditur (§§. 135—154.). Dogmata autem fidei non in *uno* solum et altero Patre, sed *alia ab aliis* inprimis quaerenda, et scripta non modo *mere dogmatica* adhibenda, sed cum his simul etiam *polemica* consulenda, praecipue vero eorum libri evolvendi sunt, qui de dogmate proposito *data opera*, sive de fide interrogati, sive contra Haereticorum impetus scripserunt. Et in scriptis quidem

polemicis (§§. 156—186.) ante omnia *controversiae status, causa disputandi, finis et adjuncta* exploranda; deinde primum Patres, qui contra *Gentiles*, tum ii, qui adversus *Haereticos* pugnarunt, audiendi; et in his ipsis, qui dogma aliquod ab Haereticis impugnatum pertractant, Patres ii potissimum consulendi sunt, qui inter ipsos Haereticos vixerunt, et tanquam *egregii fidei catholicae vindices prae ceteris* eminuerunt, velut SS. *Archelaus, Titus Bostrensis, Alexander Lycopolitanus, Augustinus adv. Manichaeos* (§. 163.); *Tertullianus*, SS. *Hippolytus, (Malchion), Dionysius Papa, Athanasius adv. Praxeam, Noëtum, Paulum Samosatenum et Sabellium Antitrinitarios* (§. 164.); SS. *Athanasius, Hilarius Pictav., Basilius, Gregorius Naz., Gregorius Nyss., Didymus contra Arianos*; SS. *Optatus et Augustinus contra Donatistas* (§. 166.); SS. *Augustinus, Prosper Aquit., Fulgentius Rusp. adv. Pelagianos et Semipelagianos* (§§. 171. 172.); S. *Cyrillus adv. Nestorium* (§. 174.); S. *Leo M. adv. Eutychetem* (§. 174.); SS. *Sophronius et Maximus Confessor contra Monotheletas* (§. 178.) etc.

3. in scriptis moralibus et disciplinaribus.

§. **260.** Cuncta fere Patrum scripta saluberrima *praecepta moralia* continent, nec facile est discernere, quinam prae ceteris eligendi Patres et quaenam eorum potissimum documenta perlustranda sint. Tamen nobis inter praestantissima opuscula hujus generis supra recensita (§§. 188. sq.) *praecipue commendatu digna* videntur S. *Cypriani Liber III testimoniorum adv. Judaeos*; S. *Basilii Ethica*; S. *Macarii Aegypt. Ascetica*; S. *Augustini Epistolae* (praesertim Epp. 21. 111. 115. 118. 127. 130. 243. al. edit. Maurin.) et *Opuscula De vera religione, De fide et operibus, De agone christiano, De continentia, De bono conjugali, De virginitate, De bono viduitatis, De mendacio, De cura pro mortuis gerenda, De utilitate jejunii, De disciplina christiana* (quorum plera-

que T. VI. ed. Maur. continentur); *S. Chrysostomi Homiliae et Sermones; S. Gregorii M. Moralia s. Expositiones in Job, item Lib. de cura pastorali; S. Isidori Hispal. Soliloquia; S. Bernardi Tract. de diligendo Deo, De praecepto et dispensatione, De gradibus humilitatis et superbiae, Epistola ad Hugonem Victorinum; S. Bonaventurae De quatuor virtutibus cardinalibus, De regimine animae, De pugna spiritus adversus septem vitia capitalia.*

§. **261.** Res etiam *disciplinares* Ecclesiae in scriptis Patrum inquirere necesse est. Attendat lector ad ea, quae jam supra (§§. 199. sq.) admonuimus. Dein probe distinguat *dogmatica et moralia* praecepta a *disciplinaribus;* cum enim multum inter se differant, siquidem fidei dogma et lex moralis sit immutabilis, disciplina vero ecclesiastica pro tempore vicissitudine varia, distinctio *talis* eó magis necessaria, quod SS. Patres interdum praecepta morum et disciplinae perquam commisceant, et nonnihil etiam tanquam mere disciplinare protulerint, quod cum dogmate arctissime cohaeret. Maxime vero commendanda est antiquitatis christianae studiosis lectio *Epistolarum*, quippe ex qua notitiam subtiliorem acquiremus, quam e scintillis passim in reliquis libris emicantibus. Etenim quae exponuntur in Epistolis, praesens necessitas adduxit, quare et solertiori cum cura conscripta sunt. Ceterum ea, quae Patres de disciplina tradunt, non jam *per se* quidem vim legalem obtinere, maximam tamen testificationis habere auctoritatem, etiam me non monente omnes sciunt. Videat lector in hoc quoque capite, in quem potissimum *finem* et *quo loco* Pater scripserit; quid *subjecta* materia, quid *connexa* innuat; quid *data opera*, quid *obiter* tractet; num *praecepta* referat et *leges*, an *consilia;* numquid ceu *universaliter receptum*, vel quasi *ex ingenio suo* depromtum exponat, etc.

Explicit tomus primus.

Addenda.

Ne taedeat te, Lector benevole, ea quoque notare suisque locis inserere, quae demum postquam liber e prelo exiit, desiderari intelleximus.

pag. 24, v. 32. ante *Latinos* adde: ***Macarius Magnes***, *Presbyter Hierosolymitanus*, Scriptor pro christ. religione adversus Theosthenem ethnicum, † a. c. 270.

p. 32, v. 19. ante *Bruno* adde: ***Burchardus*** *(Brocardus)*, O. S. B. Monachus, deinde *Episcopus Wormatiensis*, magna edita canonum collectione emeritus; † 1025.

p. 36, v. 23. ante *Neque* adde: Ex hisce *Nourrii* Dissertationibus et iis, quae in *Gallandii* Biblioth. vett. PP. (§. 81. fin.) aliisque celebrioribus collectionibus habentur, praestantiores depromtas in unum collegit *Placid.* ***Sprenger***, easque adjectis prooemiis et notis in lucem edidit s. t. *Thesaurus rei patristicae*, Wirceburg. 1784—92. III. 4.

p. 106, v. 22. ante *Alii* adde: Duos item tractatus reliquit *S.* ***Vigilius Tridentinus*** sub forma epistolarum, quarum altera ad *Simplicianum* Episc. Mediolanensem, altera ad *Joannem* Ep. Constplt. (Chrysostomum?) scripta est, *De martyrio SS. Sisennii et Sociorum* (Martyrii nempe et Alexandri); qui anno 397 Tridenti a Gentilibus trucidati sunt; extat utraque epist. in *Galland.* Biblioth. PP. T. VIII. p. 203. sqq.

p. 108, v. 1. ante *Sequebantur* adde: ***Eulogii Cordubensis*** ***Memoriale Sanctorum*** (sc. Martyrum, qui sub Abdorrhamano Maurorum in Hispania principe pro Christi fide necati sunt); ed. in Biblioth. max. PP. *Lugdun.* T. XV. p. 243. sq.

p. 109, v. 4. ante *S. Honorat.* adde: ***S. Hilarius Arelatens.*** *Vitam S. Honorati* Abb. Lirinensis et postea Episc. Arelatensis, et . .

p. 130, v. 2. ante *Anastas.* adde: ***Olympiodori*** *Commentar. in Ecclesiasten*, gr. et lat. in *Front. Ducaei* Auctario Biblioth. vett. PP. (Paris. 1624. II. f.) T. II.; Ejusd. *Comment. in Jeremiam et Threnos*, gr. et lat. in *M. Ghisleri* Catena PP. graecc. et latt. in Jeremiam (cf. p. 83.). Paulus Comitolus *eidem* etiam tribuit *Comment. in Job;* alii vero gravioribus argumentis muniti ***Nicetam*** *Heracleensem* auctorem ejus esse conjiciunt (cf. ibid.).

p. 140, v. 16. ante *S. Hieronym.* adde: ***S. Chromatii*** *Tractatus in Evang. Matth.* ex octodecim homiliis (cf. §. 206. p. 344.) concinnatus, in *Galland.* Biblioth. T. VIII. p. 333.

p. 190, v. 5. ante *Nec omittenda* adde: Ab eodem ***Petro Carthagin.*** *Diacono*, ad quem potissimum S. Fulgentius illam de Incarnatione epistolam direxit, extat hodiedum *Epistola s. Liber* ejusdem tituli *De incarnatione et gratia Christi ad Fulgentium;* ed. Lovan. 1556. 8., et in Bibl. PP. max. *Lugdun.* T. IX. p. 196. sq.

p. 254, v. 4. ante *Tertullian.* adde: ***S. Agrippae Castoris*** *Excerpta confutationis in Basilidem*, qua hujus Haeretici praestigias et fraudes detexit, omnemque ejus fallaciam in lucem protulit; ed. in *Galland.* Bibliothec. PP. T. I.

p. 266, v. 1. ante *Lucifer. Calar.* adde: *Hosii Cordubens. Epistola ad Constantium* de persecutione, qua iste imperator Catholicos petebat; ext. in *S. Athanasii* Epist. ad Solitarios, Opp. Athanas. ed. *Commelin.* (Heidelb. 1601. II. f.) T. I. p. 649.

p. 268, v. 6. fin. adde: *Agnelli De ratione fidei,* Epistola ad Armenium, erroribus Arianorum opposita; ed. in Biblioth. PP. max. *Lugd.* T. VIII. p. 666.

p. 272, v. 22. ante *Mar. Mercator.* adde: *Aurelii Carthaginens. Episc.* († 430) Epistola encyclica ad omnes Episcc. per Byzacenam et Arzugitanam provinciam *De damnatione Pelagii et Coelestii,* in *Galland.* Bibliothec. PP. T. VIII.

p. 351, v. 19. ante *Origenem* adde: *S. Dionysii Corinth. Epist. ad Soterum fragmm.,* e quibus epistolas Clementis et Soteri publice in Ecclesia legi consuevisse dicimus, et de largis muneribus, quae Rom. Ecclesia alienarum ecclesiarum fidelibus suppeditabat, ut eorum inopiam sublevaret; in *Coustant.* Epist. RR. PP. ed. *Schoenemann.* T. I. p. 80.

Index
rerum ac scriptorum
locupletissimus.

Numerus nominibus appositus paginam significat.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

31 *

H.

I. J.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

Emendanda.

p. 20, v. 31 pro *Turonensis* lege *Turonensis*.
p. 66, v. 28 pro *Giraldi* l. *Girardi*; ita et p. 161 not. 3, p. 166 not. 8, p. 176 not. 1, p. ac saepius.
p. 71, v. 25 pro 1768. *X*. 8 lege 1768. *V*. 8.
p. 72, v. 14 pro *d)* l. *dd)*.
p. 84, v. 22 pro *Goehl* l. *Boehl*.
p. 96, n. 3 pro 1838. 15. l. 1838. 16.
p. 115, v. 5 pro *Cuspiani* l. *Cuspiniani*.
p. 116, v. 16 pro *Reginonnis* l. *Reginonis*, et ibid. n. 6 pro *Colvernerius* l. *Colvenerius*.
p. 127, n. 4 pro 1331. 8. l. 1831. 8.
p. 140, v. 28 pro *Mathaeum* l. *Matthaeum*.
p. 143, v. 12 qro *Aunott*. l. *Annotationes*.
p. 175, v. 26 pro *bb*. Latini l. b) Latini.
p. 176, v. 6 pro *bid*. l. *ibid*.
p. 322, v. 27 pro *Excessiva* l. *Excessivae*.
p. 327, v. 11 ante *Patrum eruditio* add. *V*.
p. 338 n. 12 pro *Basili* l. *Basilii*.
p. 380, v. 24 pro *Indas* l. *Judas*.
p. 440, v. penult. pro *Massiano* l. *Messiano*.
p. V, v. 23 Indicis pro *Osterii* l. *Asterii*.